ACTA
SANCTAE SEDIS

II COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA ET ILLUSTRATA

STUDIO ET CURA

VICTORII PIAZZESI

IURIS UTRIUSQUE DOCTORIS

Acta iuridica et solemniora ex Supremo Romano Pontifice immediate dimanantia: acta inter ea quae publici fieri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones, sive Responsa et alia huiusmodi; praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones ex variis EE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes, in compendium diligenti studio redactae: alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant: in utilitatem eorum qui in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et in regimine christiani gregis, vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant.

Volumen XXIV.

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

1891-92.

Reprinted with the permission of Libreria Editrice Vaticana

JOHNSON REPRINT CORPORATION
111 Fifth Avenue, New York, N.Y. 10003

JOHNSON REPRINT COMPANY LTD.
Berkeley Square House, London, W1X6BA

First reprinting 1969, Johnson Reprint Corporation
Printed in the United States of America

LITTERAE, in forma brevis, Sanctissimi D. N. Leonis XIII; quibus erigitur Seminarium ss. Ambrosii et Caroli; quod ad s. Caroli in Urbe sedem habet.

In supremo, quo fungimur, ministerio, nihil rei christianae opportunius, nihil Nobis expetendum magis censemus, quam ut iuvenes, ex omni regione, in sortem Domini vocati non sancta solum vitae disciplina, sed sincera etiam solidaque scientia instituantur, ut pro sui muneris ratione ubique lux mundi, sol terrae esse possint, bonumque illud fermentum, cuius virtus inter fideles ad rectam sentiendi vivendique rationem diffundatur. Cum enim Ecclesia sit regnum a Christo Domino fundatum in salutem omni credenti, sit columna et fundamentum veritatis, oportet ut valida in ministris suis instrumenta habeat, quibus commode possit salutaria sua munera explere, et in fundamento veritatis ac iustitiae, in quo ipsa constituta est, vicissim filios suos, omnesque accedentes ad se, per ministerium sacrorum virorum stabili ratione ubique constituere.

Quamobrem numquam Nos curas Nostras in hoc opus conferre praetermisimus, ut nempe domicilia ecclesiasticae disciplinae solidaeque doctrinae Clericis non urbanis solum, sed etiam exterarum Dioecesium in hac Alma Urbe paterent, in qua Principis Apostolorum Cathedra posita est; purique fontes ad doctrinas hauriendas, Nobis vigilantibus, cuique parati sunt; Nostrique muneris omni tempore esse duximus iis domiciliis non modo liberalitate, sed auctoritate etiam praesto esse, ubi maturum tempus visum est, ut eis legitimo esse iure, ad canonicam formam tribueremus. Ex huiusmodi autem institutis studia Nostra hoc tempore merito postulat illud, quod olim Collegii nomine ad S. Caroli in Urbe excitatum, iuvenes Clericos Dioecesium Galliae Transpadanae seu Longorbardicae, quam vocant, regionis sacris disciplinis erudiendos excepit. Hoc Collegium iam ' inde ab anno MDCCCLIV initium in Urbe habuit, felicemque Alumnorum proventum extulit, quibus Insubria merito laetata est; sed rerum publicarum conversiones, quae anno MDCCCLXX in Urbe evenere, effecerunt ut, contubernio Alumnorum soluto, una simul Collegium ipsum esse desierit. Id Nos aegre admodum et moleste ferentes, ab exordiis Pontificatus Nostri cum Edoardo Borromeo illustris memo-

riae, S. R. E. Cardinali, Collegii Patrono, impense egimus, ut Alumnorum contubernio restituendo operam navaret, Nobisque placere demonstravimus, si ea aedes non excipiendis solum ex Insubria Clericis, sed etiam ex Dioecesibus Italiae Superioris, nec non e Dioecesibus Mutinensis, Parmensis et Placentinae regionis universe pateret. Amplissimo, quem diximus, Viro curante, et divina adspirante benignitate, factum est, ut die XXX Octobris anno MDCCCLXXVIII quo in loco Collegium fuerat, in eo, sub auspiciis Sanctorum Coelitum Ambrosii et Caroli Mediolanensium Antistitum, sacri Seminarii initia dedicata fuerint ex Clericis adlectis Dioecesium Italiae superae, qui opportunitate oblata fruituri in Urbem mature convenerant. Cum haec initia prospere cessissent, novi Instituti rationibus et prosperitati Nos consulere cupientes, leges ei regendo descriptas et ad Nos allatas Auctoritate Nostra probavimus, spectatissimos viros disciplinae Seminarii et rei familiaris administrationi praeposuimus, laetumque solatium percepimus, compertum habentes, Alumnorum in virtute et doctrina progressus exspectationi Nostrae respondere. Nunc vero dilectus Filius Noster Lucidus Maria S.. R. E. Cardinalis Parocchi, Noster in Urbe Vicarius, et Seminarii eiusdem Patronus, nec non Venerabiles Fratres Archiepiscopus titularis Nicomediensis et Archiepiscopus titularis Me litensis, Seminarii disciplinae et bonorum eius administrationi praepositi, precibus ad Nos delatis, postularunt, ut Clericalis Instituti, quod iam annorum undecim experientia commendat, stabilitati et incremento p rospiceremus, eique iusti et legitimi Seminarii ius ad canonicas leges Auctoritate Nostra tribuere vellemus. Nos itaque firma spe adducti faustis inceptis Deum incrementa daturum precibus ad Nos oblatis annuendum censuimus, atque his Litteris ad maiorem Dei gloriam, ad incrementum Catholicae Religionis, Seminarium, quod ad S. Caroli in Urbe sedem habet, excolendae Dioecesium Italiae Superioris, et Mutinensis, Parmensis, et Placentinae regionis Clericis, sub auspiciis Sanctorum Coelitum Ambrosii et Caroli, ac sub Nostra et Successorum Nostrorum auctoritate, erigimus et constituimus, atque eodem iure esse volumus, quo quae optimo et legitimo iure Clericorum Seminaria in Urbe sunt. Cum porro maxime interesse ad plenum perfectumque mentis ingeniique cultum putemus, ut, qui in Seminarium cooptantur, rite ponant fundamenta doctrinae, quibus positis solitum deinde scientiae aedificium in suam et aliorum hominum utilitatem attollant, statuimus ut ii, emenso litterarum cursu, studiorum in Seminario initium a philosophicis disciplinis ducant, atque exinde rite instructi et comparati ad aliarum disciplinarum regiones progrediantur. Quod si

interdum contigerit, ut iuvenes Clerici, philosophicarum disciplinarum cursu iam perfuncti, in Seminarium recipi cupiant, et iustas ob causas a communi praescripto solvi postulent, Seminarii Moderatoris munus erit de iis ad Nos et ad Successores Nostros referre, ut quod opportunum visum fuerit decernatur. Paternae autem benevolentiae Nostrae curas, quas Seminario rite constituendo contulimus, acres stimulos admoturos confidimus Seminarii Alumnis, ut virtutis et doctrinae laude in dies magis augeantur; quam ad laudem eos etiam impellere debet ea cogitatio, quod ad ministerium obeundum praesertim in ea regione vocantur, ubi Sacerdotalis virtutis vestigia, olim a Sanctis Coelitibus Ambrosio et Carolo impressa non leviter, sed fixa ad sempiternum rei Christianae bene gerendae exemplar fuere, et in qua fertilis campus, idemque amplissimus, ad benemerendum de Ecclesia patet. Nec porro dubitamus, quin Dioecesium Antistites, quarum Alumnis haec Ecclesiasticae disciplinae Sedes in Urbe constituta est, libenter auctores sint praestantibus e sacra militia iuvenibus, ut, oblata opportunitate, impigre utantur: simulque spe ducimur piorum virorum liberalitatem non defuturam ad novi Seminarii praesidium, fulgente praesertim maiorum exemplo, qui olim ad Collegii erectionem et tutelam illustria suae beneficentiae monumenta reliquerunt. Omnia demum, quae hisce Litteris Nostris statuimus ac declaravimus, rata ac firma uti sunt, ita in posterum esse volumus ac iubemus, irritum et inane futurum decernentes, si quid super his a quoquam contigerit attentari, contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XV. Decembris MDCCCXC. Pontificatus Nostri Anno decimotertio.

M. CARD. LEDÒCHOWSKI.

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

ROMANA. Decretum beatificationis et canonizationis ven. servi Dei Gasparis del Bufalo canonici basilicae S. Marci de urbe, fundatoris congregationis missionariorum pretiosissimi sanguinis D. N. I. G.

Super dubio

An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, et Caritate in Deum ac Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine ac Temperantia earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur ?

Plurima inter argumenta quibus Romanam Urbem Deo esse carissimam patet, illud certe eximium, viris sanctitate conspicuis eam semper floruisse. Huiusce divinae benevolentiae signa hoc ipso saeculo plura fuerunt: hodieque inter ceteros Christi héroes ven. Gasparum del Bufalo recensere laeto animo possumus.

Romae enim piis parentibus ortus anno MDCCLXXXVI, a tenerrima usque aetate, *sicut lux aurorae oriente sole, mane absque nubibus rutilat,* praeclara fidei, candoris animi, pietatis specimina praebuit. Adolescentiam ingressus, pro eo quo in Deum et proximos amore flagrabat, clericali militiae nomen dare constituit, ut ad gentes infideles pergeret, ibique pro Christo vitam cum sanguine funderet. Quod consilium quum per aetatem exequi non posset, totus incubuit ut *sapientia cresceret et gratia coram Deo et hominibus;* siquidem in lyceo Gregoriano praeceptorum laudes promeruit, atque omnibus exemplo fuit, praesertim quod, piis sibi adiunctis sociis, religionis et caritatis officia cum ipsis exerceret, verboque et opere condiscipulos hortaretur, *ut custodiendo sermones Dei corrigèrent mas suas, et immaculati Domino in directione cordis confiterentur.* Canonicatu auctus in insigni Basilica Marciana et sacerdotio initiatus, veluti *lucerna super candelabrum posita* refulsit in templo Dei, in omnimodis sacri ministerii muneribus obeundis : excellens quoque per id tempus exemplum fortitudinis edidit, qui exilium et carcerem invicto animo toleravit, ne iura Ecclesiae nefario iureiurando vel minimum laederet. Romam reversus, Deo ad

maiora vocante, Canonicatu sese abdicavit, ut animarum saluti liberius et impensius vacaret. Quamobrem aliquot sibi sacerdotibus et sacras expeditiones et spirituales exercitationes associatis, prima iecit fundamenta Congregationis Presbyterorum saecularium, quam a Pretioso Sanguine appellandam esse duxit. Incredibile dictu est, quam multa ipse et magna, tamquam bonus Christi adiutor, in Dei gloriam et proximorum utilitatem per annos viginti duos perfecerit, Romae potissimum et in Umbria, Aemilia, Piceno, Tuscia, Campania, Samnio, aliisque mediae Italiae regionibus. Omnia contemnens delenimenta vitae et oblatas sibi dignitates recusans, nulli molestiae, vigiliae, discrimini pepercit, nullam sibi vel moram vel quietem, adversa licet valetudine, indulsit, ut veritatem catholicam diffunderet ac amorem Domini sui in cordibus hominum excitaret ac foveret *Evangelium Dei evangelizans in doctrina Spiritus, omnibus omnia factus ut omnes Christo lucrifaceret,* seipsum praebuit exemplum bonorum operum, praecipue in pietate, humilitate ac mortificationis et poenitentiae spiritu, nec ulla fuit hominum conditio, quae salutarem Venerabilis opem experta non sit. Adhuc memorantur increduli per Ipsum ad fidem conversi, peccatores ad bonam frugem adducti, divini honoris zelus in clero excitatus, piae sodalitates institutae. Et nostra ipsa Roma testis est flagrantissimae eius caritatis erga pueros in gymnasiis ac orphanotrophiis, erga pauperes in nocturno hospitio S. Gallae aliisque, erga miseros in custodiis vinctos. Tot virtutum praestantia, quam splendidiorem Deus ipse caelestibus charismatibus reddidit, aucta semper in dies est, usque dum, extremo correptus morbo, quum iam vigentem suam Congregationem vidisset, viribus exhaustus, suaviter conquievit in osculo Domini die Martyribus Innocentibus sacra anno MDCCCXXXVI.

Sanctimoniae fama, qua vivus ven. Gaspar floruerat, etiam apud viros virtutibus, doctrina, dignitate praeclaros, post eius obitum late diffusa est et confirmata prodigiis, quae ipsius intercessione ferebantur patrata. Quapropter auctoritate ordinaria inquisitiones habitae sunt super eius vita rebusque gestis : atque omnibus peractis, quae in hisce causis ex Apostolicis constitutionibus gerenda sunt, examen de ipsius virtutibus institutum est.

Quadruplici idcirco disceptatione ab hac Sacra Congregatione ea de re actum : prima nimirum calendis Iuliis anno MDCCCLXXIII in aedibus ci. me. Card. Patrizi, Causae relatoris, altera idibus

Aprilis, anno MDCCCLXXV, et tertia ad tutiorem causae exitum, XVII calendas Iunias anno MDCCCLXXXII, utraque in aedibus Vaticanis, quarta in generalibus comitiis, ibidem coram SSmo Dno Nostro Leone Papa XIII habitis iv nonas Septembres anno MDCCcxc In hisce Rmus Card. Caietanus Aloisi-Masella Sacrae Rituum Congregationi Praefectus, vices gerens absentis Rmi Card. Angeli Bianchi Episcopi Praenestini Causae Relatoris, proposuit dubium: *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac Proximum, nec non de Cardinalebus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Venerabilis servi Dei Gasparis Del Bufalo, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?* et Rmi Cardinales, et Patres Consultores singuli suffragia tulerunt. SSmus vero Dominus Noster sententiam suam proferre distulit, atque ut in re tanti ponderis auxilium superni luminis precibus implorarent, hortatus est.

Hac vero die sancto Deiparae Sponso dicata, Eucharistico Sacrificio celebrato, ad hanc nobiliorem Vaticani aulam accedens et Pontificio solio assidens, Rmos Cardinales arcessivit Caietanum Aloisi-Masella Sacrae Rituum Congregationi praefectum et Angelum Bianchi Episcopum Praenestinum Causae relatorem, nec non R. P. Augustinum Caprara S. Fidei Promotorem et me infrascriptum Secretarium, iisque adstantibus declaravit: *Constare de Virtutibus Thelogalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, earumque adnexis venerabilis servi Dei Gasparis Del Bufalo in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum evulgari et in Acta Sacrae Rituum Congregationis referri iussit, xiv calendas Aprilis anno MDCCCXCI.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praef.*

L. ijB S.

VINCENTIUS NUSSI *S. R.* C. *Secretarius*

Vitae commentariolus.

Ut ex arbore electa fructus electissimus, ex honestis piisque parentibus Antonio Del Bufalo, et Annuntiata Quartieroni legitimis coniugibus die 6 ianuarii 1786 lucem Romae aspexit noster

Dei Famulus, cui Gasparis nomen postero die sacro fonte abluta, impositum est. Anni deinde ambitu confecto, sacri Chrismatis confirmationem infans, morbo periclftans, suscepit.

Biennium prope tetigerat, cum ita praegravi oculorum afficitur morbo, ut medicae artis peritus de visu recuperando spem prorsus omnem abiiceret. Hic pia infantuli mater Divi Francisci Xaverii patrocinium obtestata, mirum ! infirmitatem a nato ita depulsam vidit, ut in posterum ille aeque bene, non absque prodigio, oculorum acie ad obitum usque usus sit.

Quod cum caelestis opitulatoris beneficium a genitrice accepisset puer, tanta et devotione et gratitudine illum coepit excolere, adeoque progrediente aetate venerationis fervorem adauxit, ut ab illius ara, ubi orando et contemplando horas impendebat, divelli non posset, et in ecstasim raptus caelesti gaudio ad virtutem efferente tenellum perfundi pectus sentiret.

Iamvero ab ipsis ineuntis aetatulae primordiis egregia in puero indoles praefulgebat. Porro inanes avertere iocos, altariola propriis manibus parare atque exornare, secretum a ceteris precibus indulgere, templa celebrare, sacrificantibus sacerdotibus reverenter administrare ; hae curae deliciaeque illius, haec studia fuerunt.

Quid, vero inquam, quanta submissione, obsequio ac caritate parentes prosequutus sit ? Ut a vultu eorum et nutu penderet ? Ut, si quid forte errasset invite, ad eorumdem pedes suppliciter sterneretur, veniamque oborto fletu efflagitaret ? Sufficiat referre, quod pater mentionem de illo faciens, lacrymas prae gaudio comprimere nequiret, et parvulum sanctum appellaret. Qui quidem simul cum piissima coniuge ad eximiam institutionem pueruli, sive quo ad pietatem, sive quo ad literarum rudimenta diligentiam cogitationemque omnem contulit. Mater autem ut secum ad sacram rem in templum natum adducebat, christianisque praeceptis apprime imbuebat, sic domi ad ordinem, nitorem munditiemque servandam adhortabatur ; atque ut in illis praecipue pietatis excitamentis, sic in hisce quoque officiis propter obedientiae meritum submisse puer se, et diligenter gerebat. Vilia quoque domi adimplebat officia, eius experiendi gratia a genitrice demandata, quae eo iucundius perficiebat, quod humilitatis virtutem exerceret, et s. Aloisii mores imitaretur ; cuius innocentem pariter et poenitentem vitam commemorare cum audivisset, tenello ingenio ita penitus hausit, ut in

toto suae vitae curriculo eundem exprimere omni contentione -conatus sit.

Si enim pudorem et verecundiam nostri parvuli herois intuemur, candore Aloisii radicasse videbimus. Nam si quae forte parentum iudicio indecora verba inter mensas, nescio a cuiusnam labiis excidissent, ipse repente pallore suffundebatur, ad cibos manus porrigere non poterat, ipsa deficiebat vox. Tanta animi anxietate premebatur! Eadem quoque exordiente aetate ne inter affines quidem sanguine alterius sexus oculos sustóllebat, et a nullis, non excepta ipsa matre, contrectari sinebat.

Exemplum quoque angelici illius iuvenis in recolenda et vehementissimo affectu veneranda Dei Matre adaequavit; cuius de cultu, ut multa in progressu huiusce orationis disseremus, ita nunc silentio praeterire minime possumus quod, eo tempore cum ipsae Virginis effigies depravationes mortalium indignantes oculis commoveri visae sunt, piissimus Dei Servus, collecta, quos poterat, devotorum caterva, sub solis occasum imagines Deiparae inter semitas publice extantes religioni circumibat, ibique positis in terram genibus, summa pietate et amoris aestu Lauretanas Litanias concinebat.

Verum cum Divo Aloisio Gonzaga et pudicitia assimilaretur, quod virginitatis lilium omni terrestri faece inviolatum in totam vitam custodivisset, et Beatae Virginis, quam leviter modo attigimus, strenua devotione emicuisset, sic severitate et afflictatione in innocuum corpus eundem heroem aemulatus est. Hinc lectulum transversis tigillis substernere, ac delicatum latus acutissimis stimulis clam comparatis in cilicii modum transfigere ut subucula sanguineis saepe notis rubuerit, et genitrici asperum poenitentiae genus detexerit. Saepe in multam noctem illum ante altariolum orantem et meditantem parentes invenerunt, saepe in nuda terra somnum carpentem. Ciborum autem tanto utebatur, quanto vires non interirent. Delitiosarum gustatu epularum abstinebat. Veneris et sabbati, aut vigiliarum diebus pane et aquae tantum haustu corpus macerare voluisset, nisi providens genitricis cura obstitisset. Matutinum quoque prandium pauperibus distribuebat, et cum eius mater, ne prae inedia elanguesceret, aliam illi cibi portiunculam apponeret, puer continuo reiiciebat, ut charitatis simul et poenitentiae meritum ob Virginis amorem moraretur. Non raro pecuniam quoque a parentibus acceptam in sinum pauperum recondebat. Quae ob

virtutum specimina omnes iam cum stupore perculsi venerabantur, et cum Divo Aloisio Gonzaga aut Divo Ioanne Berchmans conferebant.

Sed quoniam per confectionem propriae inclinationis virtus maiori luce coruscat, ita infìciandum minime est, quod fervidam naturae constitutionem et ad iracundiam pronam noster Servus Dei sortitus sit; quam quidem succenso vultu in adversis, et nervorum convulsionibus ostendens, summo afficiebatur moerore quod horum plenum nondum regimen motuum suscipere poterat. Nihilo tamen minus, vix expiatis per primae confessionis sacramentum, quod sexto fere suae aetatis anno suscepit, huiuscemodi labeculis, excandescentem indolem ita moderatus est, ut, etsi eorumdem motuum vim persentiret, ne mininum quidem indignationis igniculum patefaceret. Hinc benignitas, patientia et in obstaculis ac controversiis hilaritas locum fastidii et quaerimoniarum susceperunt. Igitur quod tanta gratia illi ad tribunal poenitentiae provoluto arrisisset Dominus, factum est, ut puerulus id sacramentum mira assiduitate animique contritione frequentaret.

Sacerdotii autem amorem et apostolici potissimum muneris studium sub primam aetatis auroram portendit. Clericalem enim vestem induere a genitore petiit et obtinuit, quodque longe maioris momenti est fratrem ipse suum, et aequales pueros ad sacerdotes venerandos, ad cultum religionis ac innocentiae observantiam pro aetate exhortabatur; sic audita concionatorum consilia, aut pias meditationes in concionis speciem repetebat, et ad inculcandam peccatorum conversionem ingenuum exiguumque suum corpus funi acriter verberabat.

Quod vero in pavida illa et tenera aetate prope incredibile videtur, domesticos deserere lares animo agitabat, et cum quodam familiari consilium contulit suum, ut in infidelem turcarum gentem proficiscentur, et christianam ibi fidem praedicaret. Huc adde, quod infantibus iam pridem labiis martyrium invocaret, et desiderium eiusdem tota animi intentione ostenderet.

Iam vero praestat, ut doctrinam cum pietate coniunxerit, ita de illius studiis aliquid praelibare. Porro elementis grammaticae in primo pueritiae limine eruditus, ad Collegii Romani Gymnasium accessit. Hic vero omnium facile princeps ingenii divitias explicavit, praemia retulit et maiorem natu fratrem

longe addiscenda superavit. Labores autem in studiorum curriculo obeundo tantos suscepit, ut valetudinem conterere, et pluries in annum gravi morbo decumbere cogeretur.

Quanto vero literarum amore, tanto pietatis merito aequales vincebat. Quocirca antequam ad scholas pergeret, divino Sacrificio reverenter intererat, et cum vespere deambulationis tempus recreandi aliquantulum animi causa advenisset, in adorationem Augusti Sacramenti publicae devotioni expositi, protinus ille pro volabat. Viam vero ingrediens de domo ad gymnasium cum optimis collegis de studiorum ratione diligenter loquebatur. Nemo autem hunc nisi cum patre, aut electis perpaucis egregiae indolis adolescentulis incedentem vidit.

Undecimum circiter annum agebat cum Angelico pabulo primum in sacellis Divo Aloisio dicatis summo cum fervore atque humilitate se refecit. Hinc Domini vocem servulum suum ad se vocantis clariorem in eius corde resonare et divinae illum vocationi libentior respondere.

Iam annis et virtutibus paulo adultiori ad Sacerdotii limen accedere constituit. Igitur antequam sacrae se tonsurae subiicere^ facultate a parentibus implorata, mensis circiter spatio in Coenobio S. Crucis in Ierusalem secessit apud avunculum suum monasticam ibi vitam degentem, ut sacro ritui se consulto pararet. Quo peracto, die Sabbati Sancti mensis aprilis 1800 tanto cum fervore fideique intentione ad sacram caeremoniam accessit, ut cum Episcopus ad comam de more reddendam accederet, ille totis artubus commotus, pene prolaberetur, et Christi Crucem amplecti visus sit. Deinde minores Ordines, Ostiariatum scilicet et Lectoratum die 7 iulii eiusdem anni, et Exorcistatum et Acolythatum die 4 aprilis 1801 recepit.

Clericali igitur militiae adscriptus exercitium virtutum omnium roboravit. Quod vero in hominum depravatione usuvenire solet, ut optimus quisque invidentiae et calumniae morsus effugere non possit, ita noster del Bufalo, derisionibus ,saepe, aliquando etiam insectationibus, iniuriis et verberibus ob studium divini cultus oppetitus, omnia longanimiter et laetanter passus est.

Quibus obstaculis in arripienda virtutum semita nihil retentus, vires animi ingeminabat. Christianam doctrinam pueris multas per Urbis ecclesias, et collectis ex agris, propinquisque pagis villicis explicabat, tradebat, optimisque ac suavitate conditis

monimentis ad gloriam Dei morumque integritatem exhortabatur. Idem quoque christianae misericordiae officium cum rudibus et contagioso morbo laborantibus ad hospitium S. Gallae adimplevit, et quantum poterat in corporis quoque levamine opitulatus, delicatioribus escis a semetipso detractis, inediam pascebat, et convalescentes vires sustinebat.

Deinde ut ad sacram eloquentiam animi facultates pararet, sapientissimi cuiusdam concionatoris plenam orationem memoriae penitus mandabat, et domum reversus conscribebat cum ingenti omnium stupore ob reminiscentiae vastitatem suique profectum. Eumdem ad finem aequales adolescentes clericali Ordini recenter adscriptos, recreationis tempore domum invitaba! suam, ut sermones de re evangelica ultro citroque haberent, dicendi copiam in Deipara magnificanda exercerent ; hinc hymnos integrare, carminum quasi rosarum corollam Virginis beatae ante tabulas intexere, eiusque suavi imagini circum reverenter latae flagrantia oscula defigere.

Neque istic tantum illius restitit industria; quin ab antistite monachorum s. Pudentianae facultatem impetravit, obtinuitque sacello, aliisque aediculis in eo conventu utendis, ut ibi congregationem institueret electorum ex civium ordine adolescentulorum quos precationum ritu et sacris oratiunculis a mundi illecebris et discriminibus retraheret. Huc, cum inter baccanalium udos licentia morum in Urbe eftraenari solet, eosdem conciebat, piisque theatri spectaculis e sacra historia depromptis, animos iucundabat, alebatque pietatem. Id vero cum stupore adnotandum, quod magnam vividiorum adolescentium catervam una peracerba nostri Gasparis iuventus, quam decimus vix octavus exceperat annus, cohibere, et quo vellet, ducere polieret, cum optimo regimine et severissima morum disciplina.

Qua quidem aetate cum humanis uteris operam daret, saeculi vanitatem et inanes motus secum reputans, taedere, atque exhorrere ita coepit, ut humanis illecebris repudiatis, in solitudinem abire, et uni Dei gloriae vacare statuerit. Porro Divi Silvestri claustralem tunicam inducere volvens animo, et quo ad eius fieri poterat, decernens, genitorum veniam obtestatus est; cum vero iidem constanter abnuissent, obedientiam suae voluntati iuxta memorabile illud effatum, praeposuit - *melior est enim obedientia, quam victimae* - Eccl. 4, 17, atque ille per ingentem saeculi frequentiam et tumultum solitariam ac inconta-

minatam inter domesticos, aut templorum parietes, vitam degens, eximiam parentibus obtemperantiam, eoque acceptius sui voti holocaustum Deo reddidit.

Nondum prae aetate ad sacerdotium pervenerat, cum in Ecclesia Iesu dicata sacram explanavit scripturam, et omnium ad se audientium ora admiration emque convertit. Ditissima quoque eloquentiae copia et vehementi caritatis igni panegyricas orationes in Deiparae laudes recitavit; quibus in peragendis cum lectissima sacerdotum frequentia stipatus esset, et commendationem favoremque omnium et plausus surriperet; adstans ibi oratoris mater, tanta anhelatione et uberum lacrymarum vi comprimi sensit, ut e templo evadere animi recipiendi causa coacta sit.

Haec inter pia ministeria, et assiduam virtutis, quam late patet, exercitationem phylosophicae et theologicae facultatum cursum amplissimis cum laudibus exegit.

Cum vero maiores Ordines subdiaconatus et Diaconatus, alterum 21 februarii 1807, alterum vero die 12 Martii 1808 recepisset; Canonicus insignis Collegiatae s. Marci, per Bullam s. m. Pii VII, 8 kal. decembris 1807 renunciatus est, aetatem agens 22 annorum. Presbyter autem ordinatus est die 31 iulii 1808, vigore Brevis Apostolici super defectum aetatis et rescripti SSmi super extra-tempora.

Incidit interea luctuosum illud gallicae excursionis tempus, quo sacerdotum non pietas, non innocentia, non mansuetudo ab insidiis eos impiorum incolumes servabant. Hinc mitissimus Dei Servus, quod iusiurandum a Sancta Sede interdictum praestare abnuisset, rapacibus correptus manibus Placentiam prius deportatus, ubi gravi fuit morbo afflictus, dein Bononiam, ubi in carcerem detruditur die 12 septembris 1812.

Patienter ille et fortiter exilii carcerisque mulctam perpessus, discrimina et labores omnes magno animo subiit. Iamvero constantiam illius et fiduciam in Deum, neque cellulae angustia, neque exorti inde morbi et tumores, neque nudis in tabulis accubitus, neque cibi inopia, neque custodum asperitas et contemptus, neque longae peregrinationis vel maiorum impendentium malorum metus perfringere, aut ne digito quidem deflectere potuerunt.

Huic tanto animi corporisque afflictationum cumulo, dolorem addito, ex matris sane interitu, quam unice diligebat, con-

ceptum. Hasce vero inter aerummas non mòdo querelis nullam permittebat viam, sed placide Deo grates agebat, quod se vellet in arduis experiri. Missae sacrificium, ut poterat, agebat; neque alia pia emittebat officia et ministeria, immo ad haec singula statutas horas impendebat vel orando, vel meditando, vel spirituales lectiones recitando in summam captivorum secum aedificationem; quos immeritae ppenae consortes sacerdotali amplitudine insignitus et eadem qua noster Del-Bufalo insectatione laborantes, ille mirifice solabatur, ad sperandum in Deo animos erigebat, vehementibusque ac ignitis, ut ita dicam, verbis hortabatur atque obtestabatur, ut Christi crucem humeris libenter attollerent suis, ut magno animo macti essent, ne prae quibuscumque cruciatibus Summi Pontificis oraculum praeterient, immo caecam illius nutui et plenam obtemperantiam obsequiumque praestarent. Qua in re cum nonnulli haud deessent, qui animum S. D. ambire et emollire niterentur, et subdola quorumdam argumentorum specie, quasi laqueo irretire, ut culpam in iureiurando nullam simularentur; nihilo secius ipse lumine caelesti illustratus, propositique tenax, mala sustinere cuncta maluisset, quam a recto tramite detorqueri.

Incommoda vero et angores non modo alacriter perferebat,, sed ne eorumdem quidem exitum et finem efflagitabat aut expectabat, ne votis quidem ad libertatem recuperandam anhelabat, aut gemitum ullum exprimebat.

Cum plures autem eodem in carcere detinerentur sacerdotes, petiit obtinuitque sibi cellulam incommodiorem, ut ibi melius oraret, et rebus ecclesiasticis studerei; verum ut humilitatem cum solitudinis amore coniungeret, simul cum ceteris vescebatur, et mutua pietatis exercebat officia. Quo in convictu cum reliquos virtute et sapientia anteire visus esset, ita collationum spiritualium director maxime idoneus habitus, et licet modestia repugnaret, concordibus suffragiis acclamatus est. Hoc igitur officium cum humiliter suscepisset, sic diserte, prudenter, comiter et sancte adimplevit, ut non minus admiratio et stupor, quam aedificationis fructus in sodalium animos redundaret.

Sic Deo benedicens et in omnia pro fide supplicia perferenda paratus, Bononiae, Fori-Cornelii et Luci in arce carcerem passus, cum in Corsicam deferri demandatum esset, iamque iter aggressus Florentiam pervenisset, gallica tyrannis, Deo vindice^

occidit exinanita, et sacri ministri cum optimo Del-Bufalo in libertatem reversi sunt.

Post suum in patriam reditum Societati Iesu nomen dare sibi proposuerat, cum Pii Pontificis VII iussu ad evangelium praedicandum proficisci cogitur. Perhumiliter Servus Dei, at libenter tantum onus suscipiens, tanta fortitudine, alacritate et constantia pertulit, ut prius animum, quam id deposuerit.

Erant autem in disertissimo ac sanctissimo viro eae ingenii virtutisque dotes, ut nil supra ad sacrum effingendum oratorem desiderari posset. Namque et consilio sapiens, et prudentia dexter, et fiducia in divinam opem, ac seraphica caritate pollens, et in scientia rerum divinarum maxime versatus, omnia haec cum uberi, culta, vehementi sermonis copia coniungebat, tum gestus orisque dignitate exornabat, deque animis auditorum affectuum motu percitis, et quasi in caelum sublatis, triumphabat.

Apostolico ergo muneri ita penitus adhaesit, adeoque eximio erga nostri Redemptoris mysteria fervore efferebatur, ut Congregationem missionariorum a pretiosissimo Iesu sanguine nuncupatam instituere decreverit. Cui proposito a S. Sede approbato, cum opes et modus deesset, nihil diffidit, aut animis pependit, sed divina spe fretus, oculos, et manus in coelum sustulit, unde optatum sibi descenderet auxilium. Nec sua eum fiducia fefellit. Etenim spectatissimi Viri, quos inter eminentissimus Cristaldi, piique benefactores tantum eleemosynarum contulere, tantaque sedulitate operam impendere suam, ut parvum redditum ad institutum promovendum efficerent.

Atque hic eximius Dei favor laboribus et pietati sui famuli prospiciens, mirifice eluxit. Nam exiguus sacerdotum coetus sub ductu nostri Del-Bufalo sancta societate coniunctos, sine divitiis, sine opibus ullis, calumniis saepe, et insectationibus, ut bonam succrescentem messem invidentia internecare anhelabat, oppetitus, eo crevit, in diemque magis nunc crescit.

Protinus ergo floruit roboravitque se Institutum, ac tresdecim domos in pluribus pontificiae ditionis provinciis aperuit; et in illis potissimum quae Campaniam colunt, aut maris littora tangunt : cum enim eas gentes, natura ipsa loci et effera ingenia latrocinan, et inhoneste degere docuerit, ipse Maximus Pontifex Pius VII missionarios Del-Bufalo duce, suas illic sedes figere iussit, ut eorumdem populorum labes abstergerent, ac re-

ligione animos demulcerent. Quapropter quo maior piorum sodalium copia in easdem domos confluebat, eo amplius caelestis bonorum omnium impertitur, suas benedictiones et subsidium cumulabat.

Methodum autem, qua in tradendis missionibus S. D. utebatur ex optimis concionatoribus virisque tum sanctitate, tum apostolicis laboribus claris expresserat, et eloquentiae stylum, ut animos facilius audientium pervaderet, omnibus artis coloribus perpoliebat, et modo placidam et lenem, de divina caritate disserens, adhibebat orationem, qua corda coelesti igne accenderei, nunc praegravem et horrificum minarum sonitum exprimebat, aut in vitiorum turpitudine effingenda, aut in mortalium ingratitudine Deum tentantium corripienda, aut in inferorum carcerem aeternis tormentis sub oculis prope exponendis. Ad quod severum et formidabile orationis genus sacra iracundia in hominum nequitiam abreptus, ferrea scutica se acriter verberabat, populumque permovebat.

Quis vero urbes, oppida, castella, pagos, loca denique omnia recensere posset, quae ille divinae praeco doctrinae circumierat, et religione bonisque moribus florentia, ac suae sanctitatis fama concita reliquerat?

Ut ab Urbe exordiamur, catholici orbis dominatrice, plurimis in ecclesiis tum missiones, tum spiritualia egit exercitia. Illas quidem in templis sancti Nicolai in Carcere, sancti Vincentii Camertium et alibi, haec vero in sacellis sancti Aloisii Gonzagae anno 1814, quae pluries deinceps instauravit, tum ad Sapientiae archigymnasium, tum ad iuvenes chirurgicae arti, ad hospitium Consolationis studentes, tum ad bonarum artium cultores, tum ad sacrarium a P. Cara vita nuncupatum, tum ad aedes coercendae morum licentiae excitatas, tum ad milites, tum ad carceribus detentos, tum denique ad monachos cistercienses et quamplurimas ascetriarum domos, quas longi negotii esset singillatim indigitare.

Externae vero missiones plus heroicorum S. D. laborum sibi vindicarunt. Velitris enim et Anxure apostolico officio perfunctus, saepius Frusinone, atque hinc reversus Centumcellis. Proinde Alatri, Verulis, Ferentini, Fregellis, Mamurrhis, montis Formiani, Beneventi, Caietae aliisque innumeris in locis, quos nimis longae morae esset recensere, Campaniam fere totam, divini verbi semen conserens, peragravit. Hic oppida dissentioni-

bus et odiis inter se seiuncta, et itineris spatio dissita, generosus Del-Bufalo per hyemis perfrigidae tempestatem, nivium iactu semita praecepta circumiens, consilio, opera, adhortatione eo profecit, ut animos componeret et aeterno inter se foedere coniungeret.

Memorabile quoque relatu est, ut indefessi magnanimique missionarii extet exemplum, quod cum ad evangelicum exercendum munus, in terram vulgo *Bassiano* proficisceretur, per saticulanam silvam, curru subverso, in praeceps delapsus est. Quem ob casum disiecta eiusdem currus compagine, pedibus carpere viam coactus, dolore pressus, et, magna interim veniente pluvia, madefactus, febri correptus fuit. Non tamen ille secus missioni operam dedit, quo labore exasperata febris invaluit, sed si eum invitum e suggestu aliquoties detrahere valuit, confessionibus tamen excipiendis divellere non potuit. Tanta ille alacritate in gloriam Dei et animarum salutem contendebat !

Neque hisce in regionibus desiit industria et sedulitas nostri evangelici operarii, quin plurimas Romandiolae civitates, provincias Piceni, Umbriae circumivit, in cuius postremis terris ut Hispelli, Camerini, ceterisque Dioecesibus in vinea Christi colenda, plurimum operum, et sudorum impendit. Reati autem cum populum sacra oratione teneret, prodigio Deus ipse illius zelum comprobavit. Namque sub exitum conciones fulgur, caelo sereno, sine tonitru delapsus, transversas templi fenestras, loco et turbae innoxius pertransiit, quo portento, perculsa corda, plurimum in compunctione et timore Domini proiecerunt.

In hisce, quas innuimus, missionibus non solum concionando, sed in omnibus piis officiis bono populorum vacabat; quibuscumque enim ordinibus, cuilibet aetati spiritualia tradebat exercitia, profecturaque in animarum salutem munimenta relinquebat, aediculas nocturnis precibus aptas instituebat, congregationes adolescentulis sub nomine s. Aloisii Gonzagae, puellis filiarum Mariae, aut caritatis sororum cogebat. Demum immensa eius caritas innocentem aetatem primis christianae religionis rudimentis imbuere, fervidum virorum ingenium compescere, libidinum laqueos infringere, omnes nequitiae dolos indagare, patefacere, extinguere, supremis animi corporisque viribus, ac contentione connitebatur. Ac tot licet ac tantis spiritualibus in negotiis versatus ac distractus, in tribunali poenitentiae diei ac noctis partem consumebat. Qua de re adnotandum, quod viris

addictissimus, mulieribus, ob mirandum castimoniae studium, difficilius et parce attendebat.

Ut corporali quoque commodo in Dei amorem prospiceret in Claravallensi missione, coetum instituit praenobilium loci feminarum, quae optimo regimine, inopibus aegrotis stipem ac res lintearias elargirentur. Eodem ductus caritatis spiritu, morbo vel in hospitiis, vel in carceribus confectis plurimum victu, subsidio, adhortatione, solatio opitulatus est. Omnes autem populi, quocumque incessit, aut diversatus est, illum sanctitate insignem, Dei proximique caritate seraphicum, dissentionum expulsorem, odiorum extinctorem, pacis concordiaeque vadem ac reconciliatorem, omnis virtutum generis excitandi, fovendi ampliandique auctorem salutarunt, beneque dixerunt.

Quin enim fructus bonorum eius facinorum persequi singulos possemus! Mirificus prorsus, inusitatus, perabundans fuit profectus in spirituali populorum, quotquot coeleste eius verbi ros exhauserunt, salute. Eius quidem rei, ut praeclara multa, brevitatis gratia exempla praetereamus, mittere minime possumus, quod Beneventi 1815 septemdecim iuvenes atheorum sophismatibus imbuti, cum Dei Servum de supremo mortalium iudicio disserentem audivissent, commoti penitus, errorisque tenebris ex animo fugatis, confestim pravam doctrinam publice abiuravere, et in gremium catholicae Ecclesiae iterum provolarunt. In missione quoque loci vulgo *Prosstdi* appellati 1823 vir publica infamia notatus, a concione absens, et voce Servi Dei turpitudinem corripiente, inter ipsos domesticos parietes excitatus, e vitiorum coeno emersit, et in bona fruge perseveravit.

Neque supervacaneum est adiicere, quod felix hic missionum a Del-Bufalo traditarum exitus etiam comites in re evangelica, virtute illius, apud Deum intercedente, manebat. Porro uberrimam messem in agro apostolico collectam, quamcumque humanam operam expectationemque superantem, ac plane divinitus, partam testantur innumerae aliae improborum hominum subitae ac solidissimae conversiones permultorum infidelium, variisque sectis addictorum in sinum s. Matris Ecclesiae reditus; testantur civitates mutua pace inter se denuo coniunctae ; testantur dissidiorum iniuriarumque obliviones; testantur deleta quaelibet scabitudo animi inter coniuges antea dissidentes, ac se invicem aversantes, restitutaque pax, amor et non

peritura concordia ; testantur turbae numero infinitae sacra reconciliationis tribunalia obsidentes, quae summo cum animarum fructu dies noctesque sacerdotes detinebant; testantur denique acervi illi armorum etiam pretiosorum, librorum corruptorum, lascivarum imaginum in frusta resectarum, muliebrium ornatuum, vetitarum alearum, quae a poenitentium manibus ultro oblata, in exitu missionum, publicis in plateis flammis tradebantur.

Cum fortissimum Dei Virum viderimus congregationem, piaque alia instituta fundantem in superni Numinis honorem, et continenter operantem utilitati, sive temporali, sive spirituali, videretur iam de eius virtutibus peculiarius edisserendum ; sed quoniam de his, commentariolo absoluto, fusius et singillatim de more agendum est, operae pretium nunc erit vitae Servi Dei cursum perstringere, et de supernaturalium munerum divitiis, de felici eius transitu, deque prodigiosis signis aliquid innuere, ut universis pateat quot quantisque favoribus et charismatibus viventem illum, vitaque functum Deus condecoraverit, et arduae virtuti praemium in terris visibile rétribuent, ut et mortales intelligant quanta beatitudine fruatur in coelis.

Prophetia praecipue claruit. Nam sive proximam mortem, sive discessum e missionariorum sodalitio, sive fundationem aedium missionis alicui praedixit, omnia evenerunt. Praenunciavit Emo Cardinali Fransoni detrimentum valetudinis ex balneis, praenunciavit mulieri valetudinis restitutionem ex assumptione habitus regularis, et uterque praedictionis veritatem expertus fuit.

Accedebat discretionis donum, quo illico quemvis de electione status consulentem ad hunc, aut illum impellebat, optimo semper exitu ; et quo, uno oculorum coniectu, veros a suppositis obsessis secernebat. Accedebant ecstases inter orandum, accedebant raptus, accessit et aliquando bilocatio, sic ut in Mendolae pago, dum publicam concionem haberet in foro, simul conspiceretur in templo dans operas excipiendis confessionibus.

Quod vero respicit apostolicum munus, ut praetereamus miram illam fortitudinem humanas plane vires excedentem, qua tot labores subiit ac toleravit, ut missum faciamus domum scientiae, et id impertitam quo rebelles quaslibet voluntates sibi subiiciens, nequissimos passim ad optimam frugem traduce-

bat : ut, inquam, haec mittamus, memoratu sane dignissimum est, quod aliquando concionem habens, intelligi potuerit a multis ex variis nationibus qui Oratoris linguam plane ignorabant : quod alias audiri valuerit ab iis, qui multis passuum millibus ab eo distabant : quod denique Hispelli a conferto populo eum audiente conspectus fuerit ornatus tribus micantibus stellis.

Neque charismatibus modo, sed et miraculis claruit. Aletri D. Paschalem Aloisi, variis, iisque gravibus confectum infirmitatibus liberavit, firmamque reddidit valetudinem. Alterum quoque infirmum, spe medicorum deperdita, et in extremo prope agone animam agentem, impertita benedictione a mortis faucibus eripuit. Neque alia defuerunt exempla, multis enim aegrotis valetudinem redintegravit, quin phtysi et dementia captos, prodigiose sanavit: attractam pariter mulierem, patrocinio s. Francisci Xaverii commendatam, sospitem reddidit.

Praeter miraculosas sanationes, in defectu nummorum ad emendum pro domo congregationis victum, exiguam pecuniae summam multiplicavit, et idem praestitit in annona.

Iam vero ex heroica virtutum omnium exercitatione, ex supernaturali charismatum fulgore, ex tot tantisque prodigiis per nostrum Del-Bufalo publice spectatis, fama sanctitatis dimanavit. Quae quidem tum apud proceres civitatum, quotquot perlustravit, tum apud plebem summo in gradu, constanter, indeclinate per temporis lapsum progressum adepta, et incrementum ad exitum usque eius vitae percrebuit, indeque clarior resonuit, ut infra erimus demonstratum. Hanc Romani Pontifices retinuere cum illum congregationem suam fundare atque ampliare in bonum reipublicae christianae iusserunt ; hanc praestantissimi Antistites cum regimen ei propriae Dioecesis animarum ultro aceito tradiderunt atque commendarunt ; hanc quamplurimi Purpuran' Patres, et Praesules sanctitate, uteris et doctrinis ornatissimi testati sunt; cum in sermonibus eum, suis in epistolis sanctum appellarunt; denique provinciae, oppida, cultissimae civitates humilesque villae sanctum viventem nuncuparunt, et memoriam illius quam diuturnam servantes religiose sunt prosecutae.

Interea diuturni incredibilesque suscepti pro re apostolica labores, itinerum, frigorum, nimborum aestuantisque caeli perpessa incommoda, magnanimum virum in exitum suae vitae proripiebant. Ipse vero antequam infirma premèretur valetudine

adven tantis interitus, ob immissum sibi de coelo lumen, haud nescius cum familiaribus aut sociis futuram praenuntiavit mortem, eamque ob causam ad singulas missionum domos pergere voluit, et supremum vale tum demum iterare.

Verum morbi causas, ut inde martyrii meritum illi deberi ostendatur, pandere libet. Nepete in missione pituita laborare coepit, eumque morbum ob exercendi muneris apostolici zelum neglexit. Hinc lapsus ille e curru saticulanis indumentis, quem antea retulimus, praecordia obtudit, assiduamque tussim excitavit ac febrim. Continuo languores, cibi fastidium, nervorum convulsione consecutae. Quibus sane cruciatibus, nil spiritu labefactus, sacrificium quotidie, ceteraque pietatis officia peragebat. In toto infirmitatis decursu, admirabili patientia, aequanimitate, fortitudine praeluxit, et cum curando corpori indulgere illi opus esset, asiatica lue Urbem invadente, Romam accitus fuit de mandato Cardinalis Vicarii, ut ibi missioni in sancti Philippi Nerii templo operam daret. Hunc autem ad nuncium nihil ille nisi urgentis caritatis stimulos ac faces persentiens, huc omni posthabita mora provolavit. Istic non secus ac in reliquis missionibus copiosissimus in populum spiritualis fructus redundavit; sed perfractae labore vires, et tussis vociferatione exasperata, infirmam iam valetudinem plane prostrarunt. Sic morbo in dies magis progrediente, Albanum se transtulit, ubi maxima difficultate negotia suae congregationis gerere non destitit. Quin omni studio incumbebat, ut omnia perficeret, et successori suo, ut dictitabat, liquida et expedita relinqueret. Hinc incompleta absolvere, rationum summas conferre, epistolas conscribere, iussa impertiri, omnibus de rebus providenter consulere, ac, ne multa, infirmas vires quantum poterat conferebat suas, ut singula coordinata constarent, et regimen quoad se, quoad socios, quoad universam congregationem probaretur. Interim ingravescente morbo eo patientiae specimen provexit, ut etsi ceteros inter angores, ardenti siti ureretur, nunquam tamen inter noctem sese refrigeraret, ne Missae sacrum mane intermitteret. Nec sacri Officii assiduam lectionem, quamvis magna cum molestia ob virium imbecillitatem, aliqua ex parte praeteribat. Immo etiam viribus destitutus, interdum ob alimenti defectum languescens, cum familiaribus nil aut petebat, aut conquerebatur, sed pallore vultus non verbis defectionem animi patefaciens, ne quis turbantur orabat divinaeque voluntati se in sacrificium offerebat. Sic

graviter laborans Romam propriam ad domum elatus est, ubi extremos morbi cruciatus sustinuit. Furentis igitur infirmitatis vim ita pertulit, ut semper ore esset renidenti et nec voce, nec suspirio quidem ullo vehementes dolores accusaret ; preces iterando lamentabiles dies trahebat, Dei placito se committens, et gubernandum tradens, et modo in B. Virginis, modo in Divi Xaverii imagine, modo in sacro Iesu praesepi a piis ascetriis dono accepto, quod toto corde venerabatur, oculos amore flagrantes defigebat. Sacramentis vero, quibus nostra Religio migraturos ex hac vita spiritus abstergit, pascit, solatur atque confirmat, se omnibus munivit. Quae cum sua sponte, non medici exhortatione recepisset, caelesti micavit risu, et *nunc bene laeteque valeo !* exclamavit. Certam autem de morte praescientiam habens, nihil in humanis opibus ac remediis confidebat, aut reparandae spem fovebat salutis, sed totus iam versabatur in coelis, et immortales delicias animo praeconcipiebat.

Nihilo tamen minus medicamentis, licet gravibus et afflictantibus, sese subdere non recusavit, et quamquam sanguinis emissionem in damnum sibi futuram iudicasset, ut obedientiae meritum aucuparetur, medici iussibus obsequens, venam sibi aperire non renuit; neque supremis in cruciatibus animi vigorem exuit. Immo familiares circum se lugentes solabatur, et quoad eius fieri poterat, ingentes angores occultare nitebatur. Sensibus ad extremum usque spiritum omnibus vigens, iisdem in confirmando se Dei iussibus, in fortiter perpetiendo, et heroicarum omnium virtutum specimine luculenter exhibendo utebatur. Eodem transitus die familiari cuidam suo commendavit, curaret, ne qua mulier exanime iam frigidumque suum corpus contrectaret, adeo sedulus pudicitiae custos, ut quod tota vita diligentissime vitaverat, id demum, cassis quoque sensuum vestigiis, adversaretur atque arceret. Ita iam animam agens, post iteratam saepius confessionem, apud adstantem sacerdotem Vincentium Pallotta, virum sanctitate insignen, summa pace, in Creatoris sui complexu requievit die 28 decembris 1837, aetatis suae 51.

Vix ad superos evolaverat, cum idem D. Vincentius Pallotta, qui supremis in confessionibus totius vitae innocentiam cum poenitentia et omnium virtutum genere coniunctam admiratus erat, sic, inquit, sic iusti obdormiunt in Domino, *Sanctus* ^ hic caelum ingressus est.

Eadem qua interiit nocte, pia asceteria Eminentissimi Sala neptis Gorae degens, servum Dei sacerdotali circumdatum amictu, suis cum missionariis psalmos concinentem, et ad caelum assurgentem conspexit. Alii item sacrae virgini e sensibus raptae caelestis gloria Canonici Del-Bufalo spectanda obiicitur , Divo Xaverio occurrente. Hinc magis magisque sanctitatis fama percrebuit.

Parentalia in aede sacra S. Angeli in foro Piscario peracta sunt, magno devotorum stipante concursu, deinde exuviae Albanum, ut ibi conderentur, fuerunt translatae. In s. Pauli templo cadaver, toto civitatis procerum adstante coetu, detegitur. Hinc prodigia protinus refulgent. Nam quarto ab obitu die odor suavissimus ex arca patefacta diffunditur, tum cadaver integrum et flexibile reperitur. Artis concurrunt periti, qui praestito de more iuramento, mortales exuvias inspicerent. Hi cum nullo medicamine cadaver servatum conditumque animadverterent, ad supernaturales causas portentum retulere. Et cum attentius corpus perscrutaretur, viscera morbo exesa, post obitum redintegrata coniecere. Os scorbuto ulceratum bene olens reperierunt, linguam humentem viderunt atque rubicundam; vesicatoriorum vestigia lympham adhuc nil graveolentem dimanantia observarunt, humeros, quos Servus Dei, ut peccatorum veniam impetrant, saepe verberibus onerabat, purpureis vividisque notis, ceu rosarum floribus rubentes.

Quibus sane mirandis signis, aucta sanctitatis fama, vicinas civitates et rura complevit. Protinus delubrum devotae turbae defunctum sacerdotem ut Sanctum consalutantes inundarunt, nec proximi tantum incolae, sed ex longinquis civitatibus, nec itineri, nec ullo incommodo pepercere. Hinc alii illum eximium Apostolum, alii gloriosissimum Sanctum, sese commendando, appellabant, pars ceram de facibus captare, pars indumenti frusta secare, pars corollis, aut anulis, aut digitis sacras exuvias contingere gaudebant. Nec per diem aditus iam ullus ingrediendo templo a concursu relinquebatur, nec, obducta nocte, turbae a feretro divelli poterant. Excubiae positum cadaver tuebantur.

Canonicorum Collegium cum alumnis seminarii memoriam et exuvias expositi illic Canonici veneraturi perrexerunt, et solemni requietis Sacrifìcio interfuere, cum angélicos extincti mores funebri oratione R. D. Ioannes Meiiini, iam illius confessa-

rius et tunc superior Generalis Congregationis Pretiosissimi Sanguinis, collaudava, cuius sermoni gemitus et lacrymae universi populi responderunt, apertissimum sane et praeclarum communis in defunctum amoris et venerationis monumentum.

Dum talia peraguntur, ab arce Gandulphi vir assidua quartana pluribus ab annis excruciatus atque exinanitus, templum D. Pauli invisit. De facibus quae cadaver Servi Dei circumferebantur ceram sumit et déglutit. Illico febris fugit, vires convalent, florida redit sanitas, atque illinc abiit exultans, quo ingrediens vix poterat repere. Maius tamen beneficium sensit adulescens quidam animo simul et corpore ibi sanatus. Is enim et turpitudine morum, et abiecta religione nequissimis, simulque pudenda aegritudine exesus cum aliis ad Dei Famuli exequias curiositate compulsus confluxit. Sed primo statim in limine animo commoveri quasi caelitus tactus persentit. Deinde linteolo prope cadaver sumpto abiit et aqua cui illud immerserat, aegra membra respergens, illico omne inde venenum abstersit, et quem morbum nulla medicae artis praesidia curare potuerant, extemplo vidit abactum. Quo eventu obstupescens, simulque commotus, consulturus iam animae suae sacerdotem adiit, et expiatis per poenitentiae sacramentum praeteritae vitae sordibus, novam prorsus iniit vivendi rationem, in eaque postea constanter perseveravit.

Absoluto autem funere, exuviae die septima, in eodem quem retulimus statu manentes, in arca sigillis et aliis documentis distincta, in ecclesia ipsa s. Pauli conditae fuerunt, et cum in loculo excavando lapicida laboraret, alterum additum portentum est. Nam faber ipse, rheumatismo di vexatus, illico se sanatum sensit, neque in posterum ea aegritudine unquam affectus fuit.

Neque vero tanta sanctitatis fama concidere poterat, aut brevi ambitu contineri. Iam propiores Albano civitates Arcem Gandulphi, Lansum, Lanuvium praeterlapsa, Ansurem, Soram, Beneventani, Arianum, Apuliam, Manfredoniam complevit, atque clarior Romam, omnesque pontificiae ditionis fines occupavit. Neque apud plebem dumtaxat, sed apud cuiuscumque ordinis viros etiam lectissimos et prudentia, doctrina, morum gravitate spectatissimos, apud proceres, nobiles matronas, Praesules, Car-.dinales qui Servum Dei veluti caeli colam venerantes, eius patrocinium implorare consueverunt. Hinc piorum frequentia ad

eius tumulum augetur in dies ex dissitis etiam urbibus, imo etiam hinc passim offeruntur dona, vel votivae exhibentur tabellae testes collatarum gratiarum, vel lipsana, imaginesque petuntur, quarum idcirco plurimas coloribus aut typis expressas vulgare oportuit, non modo in italorum usum, sed exterarum gentium, quae a missionarii fama ad eius sepulcrum accitae, imaginem saltem eius inde referre gestiunt.

Placuit autem Deo tantam populorum pietatem ac fiduciam in Servi sui patrocinium haud raris prodigiis approbare et confirmare. Nepete anno 1838 iam agebat spiritum ex peripnemonia Francisca Mariani, extremusque munita sacramentis a sacerdote Deo commendabatur, cum implorato a praesentibus S. D. auxilio, illico con valuit. Setiae reverenda mater Electa Margarita de Castris noxiorum comestione fungorum ad exitum vitae perducta, omnem morbi vim, invocato Servi Dei nomine, illico sensit abactam. Lipsana vero missionarii nostri corniti Soderini hernia laboranti, et mortalibus presso angoribus, soporem intulerunt, et expergefacto, integritatem valetudinis, sine morbi vestigio redonarunt: haec Antonium Fulloni ab apoplectico morbo vindicarunt : haec puerulo Antonio Brugiaferro a nativitate attracto et muto, membrorum et linguae usum illico restituerunt: haec Nicolaum Sestini ab ulcere pessimo sospitem reddiderunt.

Neque oppidum aut pagus ullus repertus est, qui cum viventis Del-Bufalo ore et divina eloquentia laetatus esset, idem potentiam et intercessionem illius vita functi non senserit. Namque ut Albani ingentia prodigiorum signa patravit, sic in arce Gandulphi, praeter innumera alia, Agatha Marozza brachii actione privata ob taxationem metacarpi, illico, invocato Servo Dei, sanitati redditur : item puella Anna Maria Marozza pene obcaecata a tumore in regione oculi exorto, ope eiusdem illum sensit exemptum : Algidi, Maria Antonia Acciari a saevissima odontalgia, invocato nomine Del-Bufalo, statim sanatur: Lami, Magdalena de Petro a duplicis gutturis gianduia sanationem obtinuit; ibique Iacobus Marini ab ischiatico dolore optime convaluit: Lanuvii Petrus Paulus Pochini putrida febri correptus, et sine spe ulla salutis iacens, admota reliquia, liberatur, atque eiusdem sanati soror epiléptico morbo morti proxima, integram ac constantem obtinuit sanationem. Neque non Angela d'Alessio et Carolina Frezza a mortis faucibus ereptae sunt. Ioseph Ferrante

iam sacro oleo inunctus ob gravissimam pectoris infirmitatem valetudinem statim recuperavit. Corae Thomas Porcari ab inflammatione, dolore punctorio, aliisque infirmitatibus liberatur. Asculi soror Constantia Vitali religiosa a tribus annis affecta convulsionibus, intercessione S. D. sanatur, medico ipso miraculum testante. Arimini Marianus Ballerini sanatur ab hydrope. Romae Stephanus Mondelli sanationem obtinuit ab empophthisi. Denique ut multa paucis concludamus, plurimos ulceribus, aut febribus, aut tumoribus, aut fistulis, aut gutturis morbis, aut phthysi iam perditos a morte redemit ; infantes rachitide aut lethalibus morbis confectos sanavit ; senes apoplecticis ictibus prostratus erexit, vinumque vigorem adiecit.

Neque extremae quidem nationes tantorum beneficiorum copia caruerunt. Namque nicaensis gubernatoris filia cruris morbo ita praegravi affecta, ut ab amputatione ultima salutis spes iam peteretur ; admota laesae parti S. D. imagine, protinus e lectulo desiluit, optimeque sine morbi vestigio valuit. Bastiae Maria Gigante hydrope pectoris laborans, et spe omni deserta, contactu effigiei S. D. protinus sanata est. Tota denique Gallia miraculorum passim suis in regionibus patratorum splendorem admirata Gasparis Del-Bufalo gloriam concelebrat per publicas ephemerides, literisque et monumentis in universum catholicum orbem pervulgat.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

IANUEN.

DISMEMBRATIONIS PAROECIAE

Die 11 Aprilis 1891.

Sess. 21 cap. 4 de reform.

COMPENDIUM FACTI. Vicus dioecesis ianuensis, cui nomen *Qastagnelo*, et in quo 300 circiter animae numerantur, partim paroeciae *Lorsica*, partim paroeciae *Versi* subest.

Heic loci anno 1837 oratorium erigebatur, et capellanus

qui missam celebraret, aliaque urgentiora spiritualia ministeria populo prastaret, ibi ab Ordinario constituebatur. Ast nuperrime apud plures illorum incolarum desiderium insuper ortum est, vivaque efferbuit contentio, ut separata et independens paroecia ibidem in oratorio fundaretur.

Verum duo parochi locorum *Lorsica* et *Verzi,* necnon et Archiepiscopus petitionibus illius plebis benignas aures haud esse praebendas censuerunt: quapropter, instantibus incolis loci *Castagnelo,* res delata fuit ad S. O. Concilii.

Disceptatio Synoptica

DISMEMBRATIO FACIENDA VIDETUR. Patronus, qui causam incolarum Castagneli perora vit, in sua allegatione primum recoluit, ob locorum distantiam vel itinerum difficultatem, quae persuasionem inducat necessitatis vel evidentis utilitatis, deveniendum esse ad dismembrationem novaeque paroeciae erectionem, ex const. Alexandri III *Ad audientiam et cap. 4 sess. 21* C. Trid. expresse atque in terminis praescriptum inveniri. Cfr. et Fagnan. in *cap. Ad audientiam De eccles, aedif. n. 19,* Piton, *discept, eccl. 160 n. 19* Rota *decis. 578 n. 1 p. 19 tom. 2 Rec.*

Atqui in themate utrumque contingit. Nam Castagnelum a *Verzi,* duo ferme kilométra distat, tria vero a *Lorsica :* itinera vero hinc inde asperrima : ceu autumat cognitor geometra.

Imo adeo vera est et distantia et itinerum asperitas, ut hisce praecise de causis anno 1837 concessum fuerit, sacellum in ea regione erigi et capellanum, qui spiritualibus illorum incolarum necessitatibus provideret, a curia dari consueverit.

Nec praetermittendum est, haereticos Valdenses, accepta occasione ab oppositione, quae fit erectioni novae paroeciae opera et ministerium suum saepius obtulisse incolis Castagnelo, eisdem spondentes quod numquam ministri evangelici

oppositionem facerent his, quae populi salutem apprime respiciunt.

Quibus denique accedit, nonnullos ante annos, favorabilius verbis, apud curiam, incolarum vota fuisse excepta, et Vicarium generalem eorum desideriis satisfacturum promisisse, dummodo ii et oratorium instaurarent, et sufficientem congruam cum habitationis domo parocho pararent. Atqui haec omnia fecisse incolae perhibentur ; imo pro congrua parochiali 17,000 libellarum summam collegisse eamque in titulis redditus publici collocavisse, et in promptu habere, illico, cuique, vel ipsi curiae tradendam.

Quin obiiciatur aestimationem de necessitate dismembrationis penes Ordinarium stare : Ordinarium vero in themate contrarium esse. Quandoquidem responderi posset cum De Luca *discep. 34 n. 2 De parodi.,* quod ubi Episcopi arbitrium irrationale est, appellatio vel recursus ad S. Sedem occurrit.

Neque opponatur exiguus populi numerus; nam cumLeurenius in *for. benef. p. la. 160* et Constantinus in *vot. decis. 343* ex auctoritate S. C. O. statuant ad paroeciam constituendam, ubi aliae ceteroquin adsint iustae causae, decem familias sufficere, iam quaelibet in themate difficultas evanescit.

Qui vero ad congruam, quam nec praesto esse, nec liberam exprobrant, duo, qui depositarli sunt summae 17,000 libellarum respondent, se paratos esse ad tradendam hanc summam auctoritati ecclesiasticae, vel alii personae ab Ecclesia designatae.

Quo autem ad quaestus parochorum Verzi et Lorsica, eos minimi esse faciendos, suadere tum bonum spirituale incolarum Castagnelo, tum carentia cuiuslibet veri detrimenti paroeciis dismeinbratis ob venturi. Meminisse enim oportet novam paroeciam sine laesione beneficiorum veterum paroeciarum constitui, et singulis illis paroeciis non adimere nisi 150 circiter filianos exiguamque territorii partem.

Neque subsumatur, populi necessitatibus succurri posse

per capellanum parochi coadiutorem Castagneti degentem ; quandoquidem notum est, ad gregis salutem non eadem sollicitudine vigilare vicarium ac pastorem. Praeterquam quod perpendi debet, C. Trid. *sess. 21 cap. 4* duos distinxisse casus, et coadiutorem dari iussisse, quin paroecia dismembretur, quoties fidelium numerus augeatur, sed distantia et asperitas viarum non verificetur : vicissim vero paroeciam dismembran voluisse, quoties numerosa plebs in disiecto loco diificilisque accessus consideat. Ad rem cf. Bouix *De paroc. p. 2 c. 4 pr. 6 -fin.,* Ursaya *discep. eccl. t. 1 p. 1 disc. 14 oi. 92,* Rota *decis.* 78 *n. 52 cor. Ansaldo** ipsaque demum S. C. C. *in Aquinaten.* 21 Martii 1827, *Nolana* 3 Februarii 1758 aliisque pluribus, ac maxime *in Ianuen.* 18 Augusti 1866, in qua de specie agebatur praesenti prorsus simili, nempe de dismembrando a paroecia Lorsica, eadem quae hodie in causa est, districtu, cui nomen *Figarolo,* exiguo quidem, sed distanti iter horae dimidiae ;' et pro quo quidam Demartino « dotem novae paroeciae testamento constituerat. « Quam dismembrationem, non obstante paroci oppositione, S. C. C. admisit et probavit. Unde sperat orator etiam in praesenti causa, S. C. C. ad eamdem conclusionem esse deventuram.

DISMEMBRATIO NON VIDE FUR FACIENDA. At ex altera parte perpendendum est quod quamvis ad paroeciae dismembrationem facilius procedere liceat, quando de sola territoriali iurisdictione dividenda agatur, praesto sit dos pro nova peroecia constituenda et veteris beneficii sors non attingatur ; nihilominus ne in his quidem casibus semper et utcumque dismembrationis petitio admittitur et gratia conceditur. Nam « cum ratio postulet, ut illis, quae bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur » ex *cap. b, sess. 25 De reform.* Conc. Tridentini, hinc liquet, ad dismembrationem vel solius spiritualis iurisdictionis deveniri non posse, nisi aliqua iusta intersit causa.

Atqui ex his omnibus, quae ab incolis loci *Castagnelo* eorumque patrono proferuntur, nil videtur esse aut tanti mo-

menti, aut sic exploratum, quod dismembrationis iustitiam in tuto sufficienter ponat : quin imo plura adesse quae et inutilitatem et inopportunitatem novae paroeciae arguant. Cum autem de re mèri facti agatur, nil utilius est quam ipsa documenta quae ad rem faciunt ex ordine proponere.

Porro in primis a veritate alienum est, aut saltem veritati parum conforme, Ianuensem curiam petitionibus incolarum Castagnelo morem ab initio gessisse, eorumque spem aliquando fovisse, ceu nunc refert Ordinarius.

Pariter a veritate aliena, prosequitur Archiepiscopus, aut sin minus valde incerta sunt, quae de constitutione dotis pro novae paroeciae erectione praedicantur, quin prudentes suspicari liceat de aliqua fraude.

Porro sine certa dotis constitutione paroeciam erigi non posse, nec beneficium constitui, principium est, quo non vulgatius aliud.

Quibus accedit ad animarum salutem necessariam minime videri novae paroeciae erectionem. Nam urgentioribus spiritualibus necessitatibus providit capellanus qui in loco residet: pro aliis vero succurrunt duo parochi locorum *Y er zi* et *Lorsica,* qui nec plurima distantia, nec difficili itinere a suis fìlianis dividuntur. Sane, si fides habenda sit perito qui a parochis rogatus schema topograficum redegit illius vallis *de Malvara,* in qua Castagnelo aliaeque paroeciae consistunt habetur quod maxima distantia Ecclesia, Castagnelo ab Ecclesiis Verzi et Lorsica haud pertingat ad metros 1500.

Praeterquamquod duae aliae paroeciae, *Monteghirfo* et *Favate,* adiacent, quae, licet propriae incolarum Castagnelo non sint, nihilominus cum proximae sint, Monteghirfo enim a Castagnelo 800 metros abest, eos incolas utique iuvare possunt. Nec asperitas viarum aut itinerum difficultas, saltem magni momenti, ibi, iuxta praefatum peritum, revera habetur.

Nulla ergo videtur adesse necessitas novam erigendi paroeciam. Sed quod magis est, dum per eam paroeciae erectionem casui necessitatis vel evidentis utilitatis pro Castagneli

incolis minime consuleretur, gravia vicissim damna et exitum dismembrandis paroeciis inferretur iuxta ea, quae parochus loci *Ver zi* perpendit, cui et Archiepiscopus et alter parochus suffragantur.

Denique iidem duo parochi adnotant, magis cavillationis causa, quam ex necessitate postulari et exigi a Castagneli incolis paroeciam. Praeterquamquod ne concordes quidem omnes in hanc mentem existere, sed plures eorum unioni cum veteribus paroeciis adhuc favere. Quin imo, prout subdit Archiepiscopus, nunc, maior numerus, qui olim fervere videbatur, tranquillus sistit. Unde neque hic titulus, id est cauta prudentiae ratio, amplius invocari posse videtur ad paroeciae erectionem.

Accedit quod sindicus et assessores municipii supplici libello ad SSmum dato instant et exorant, ut gratia ab oppidanis Castagneli implorata denegetur, idque, 1. ne ob erectionem paroeciae, quae nulla necessitate nullaque vera utilitate probatur, vera vicissim gravamina, saltem pro ecclesiae fabrica, municipio adiiciantur, ac novae curae et sollicitudines parentur ; 2. ne veteres parvae pauperesque paroeciae ad conditionem adhuc tristiorem adducantur; 3. denique de nova paroecia in miserrimo statu, cum exiguo territorio, ac paucissima plebe erigatur.

Unde tandem haud immerito Archiepiscopus in sua epistola in hanc sententiam venire videtur : eius nempe suffragium huic esse erectioni contrarium. Porro quanto in honore Ordinariorum iudicium in hisce praesertim materiis haberi soleat, nemo est qui ignoret. Et optimo sane iure ; nam Episcopus praesumitur magis quam quisque alius de rebus et necessitatibus suae dioecesis informatus, ut tradit Rebuffus *Prax. benef. c. 1 Be erect. in cur. et p ar oec.* ac S. C. C. passim, ceu videre est in *Ipporogien. Dismembr.* 23 Augusti 1879 § *Sed contra*, in *Lucana Dismembr.* 14 Maii 1881 aliisque quam plurimis.

His itaque adductis, propositum fuit diluendum

Dubium

An et quomodo sit locus erectioni novae paroeciae in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita sub die 11 Aprilis 1891 censuit respondere: *Negative in omnibus* (1).

MELEVITANA

DISPENSATIONIS

Die 11 Aprilis 1891.

Per Summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Baro Nicolaus Galea exponit, inter plures filios quos genuit, duos, Ioseph et Laurentium, alterum 13, alterum 14 annorum, in Melitensi collegio S. Ignatii S. I. esse receptos, et clericali coetui adscriptos, et n nullique mqne eorum duo beneficia iurispatronatus laicalis possidere. Petit autem ut facultas sibi seu duobus hisce suis filiis fiat optandi et assequendi alia adhuc beneficia eiusdem naturae; quorum redditus, additus illis quae iam possident, pertingat libell. 2500 pro unoquoque. Quam dispensationem ad hunc effectum pater postulat, ut possit filios suos a Melitensi collegio S. Ignatii educere et aut Romam aut alio transferre quo satior fieret eorum educatio.

Episcopus baronis preces commendat, quia agitur de duobus iuvenibus qui, si militiam ecclesiasticam prosequantur, sibi et ecclesiae magnae utilitatis et decoris esse possint : quia ad genus nobilissimum pertinent ; a quo, praeter alios commendandos, etiam illustris Cardinalis Fabritius Sceberras originem duxit ; et ex alia parte oratorum pater nequit ferre expensas in hunc finem necessarias.

(1) Kecole Vol. III, 396; Vol. XII, 287; Vol. XIII, 60, 293, 299,

Disceptatio Synoptica.

Dispensatio petitur a communis iuris lege, gravissimis verbis Tridentino *sess. 24 cap. 17* confirmata, et distributivae iustitiae proxime innixa, quae prohibet in unam eamdemque personam plura beneficia cumulari: et dispensatio poscitur non determinate ad possidendum tertium aut quartum beneficium, sed indeterminate, quousque nempe redditus 2500 libellarum, quo forte plures sacerdotes etiam in ea insula destituuntur, a duobus hisce pueris attingatur : et insuper petitur non ut necessaria, sed dumtaxat ut splendidior aeducatio eisdem pueris paretur; nam ex reddito duorum beneficiorum, quae singuli possident, sufficientia desumi ad eorum aeducationem in Collegio S. Ignatii comparandam, implicite videtur in precibus admissum.

Utrum tamen attento illustri oratoris genere, commendatione Ordinarii, et spe futuri boni, gratia videretur indulgenda, remissum fuit definire EE. Patrum prudentiae.

Quibus aliisque praemissis, quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita sub die 11 Aprilis 1891, censuit respondere. *Negative.*

COMPOSTELLANA

SPONSALIUM

Die 11 Aprilis 1891.

Sess. 24 cap. 18 De reform, matr.

COMPENDIUM FACTI. Sub huius saeculi initium, ac praecise die 28 Aprilis 1803, Carolus III, Hispaniae rex, decretum tulit, *pragmaticam* vocant, quo haec statuebat : « In nullo tribunali ecclesiastico vel civili dominiorum meorum admit-

tentur petitiones de sponsalibus, si non fuerint ista per publicam scripturam promissa ».

Huiusmodi dispositio, ceu patet, contraria erat recepto communi iuri, quod ad validitatem sponsalium nulla solemnia exigit, sed id tantummodo requirit, ut contrahentes fidem de ineundo matrimonio vere invicem interponant, iuxta *can. Nostrates 30 quaest. 1, I. 1 De sponsal. et matr.* ipsumque *cap. 1 sess. 24* C. Trid. *De reform, matr.* Praeterquamquod ecclesiasticae iurisdictionis erat dispositio laesiva, quatenus scilicet eam legem ferendo civilis potestas, suos excesserat limites et spiritualem provinciam invaserat. Causae enim matrimoniales et sponsalium ad forum dumtaxat ecclesiasticum pertinent ex *Sgllab. pr. 74,* et super his ea solummodo saeculares Principes decernere possunt, *quae in genere creili versantur,* ex encycl. *Arcanum* S. P. Leonis XIII.

Qua de causa haec Caroli Ili pragmatica, utpote canonici iuris restrictiva et ecclesiasticam invadens iurisdictionem, ab exordio penes complures haud erat accepta, et plerique Episcopi contra eam reclamarunt.

Verum, procedentibus annis, factum est, ut et episcopales curiae et ecclesiastici viri illius dispositioni paullatim acquiescèrent ; adeo imo ut plures ad ultimum haberentur qui vel in scholis vel in tractatibus de re morali aut canonica sustineant, sponsalia de futuro penes Hispanos non valere nisi publica scriptura celebrarentur, perinde ac si ad eorum validitatem in Llispania haec forma evasisset substantialis. Unde Placentinus Episcopus circa annum 1880 fidem faciebat « in omnibus tribunalibus ecclesiasticis dispositionem Carolinam adamussim adimpletam fuisse », eamque, pergebat Emus illius temporis Pronuntius « constanter universaliterque observatam fuisse ; et ideo consuetudinario iure canonicae disciplinae et sanctioni ecclesiasticae vim ademptam fuisse ».

Cum tamen alii aliud sentirent, hinc, rogante *Piacentino* Episcopo, die 31 Ianuarii 1880 coram S. C. C. sequentia dubia proponebantur, I° *an sponsalia, quae in Hispania contrahuntur absque publica scriptura sint valida;* et quatenus

negative, 2° *an publicam scripturam supplere queat instrumentum in curia conflatum pro dispensatione super aliquo impedimento.* Quibus S. C. C. respondit : *Ad I et II negative.* Unde opinio probata est eorum qui retinebant publicam scripturam ad validitatem sponsalium factam esse penes Hispanos substantialem ac necessariam (1).

Age vero nuperrime contigit ut novus civilis codex in Hispania conficeretur, et in eo novae, quoad sponsalia, dispositiones darentur, siquidem in *art. 43* ita statuebatur : « sponsalia de futuro, onus ineundi matrimonium non inducunt. Nullum tribunal petitionem excipiet, pro eorumdem complemento. Et in *art. 44:* Si promissio facta fuerit per actum publicum, aut scripturam privatam ab eo qui sit aetate maior, aut minor, auctoritate suffultus personarum, quarum concursus necessarius est pro matrimonii celebratione ; aut vero factae fuerint publicationes, ille qui nuptias inire renuet absque iusta causa, tenetur compensare expensas, quas alter fecerit, matrimonii gratia. Verumtamen actio directa ad obtinendam damnorum instaurationem, promoveri poterit tantum infra annum, computandum a die qua celebratio matrimonii denegata fuit.

Quibus stantibus , compostellanus Archiepiscopus scribebat : quoniam declaratio S. C. G. in *Piacentina* vim obligandi contulit legi civili, quae nunc amplius non viget; quaeritur, vim obligandi adhuc inest ne citatae declarationi, vel redit dispositio iuris canonici pro locis illis quibus obligat cap. *Tametsi?* Impedimentum constituunt ne sponsalia absque scripto peracta ?

Disceptatio Synoptica

IMPEDIMENTUM AMPLIUS NON VIGET. EX officio animadversum fuit punctum quaestionis in re praesenti hoc unum esse, utrum nempe propter civilis legis mutationem, mutatum quoque sit in Hispania ecclesiasticum ius relate ad sponsalia.

(1) Relata fuit quaestio haec Vol. XIII, 186.

Porro si aliquid hac in re dubitationis subrepere potest ex eo dumtaxat posse venire videtur, quod peculiare ius in Hispana ecclesia vigens quoad sponsalia, et cui S. C. C. subscripsit in *Piacentina* citata, ortum habuerit a civili lege, et cum ea intime videatur connexum, adeo ut, hac corruente, illo quoque corruere necesse sit. « Cum enim principalis causa non consistit, ne ea quidem quae sequuntur locum habent » ex 1. *Nihil dolo 129 ff. De reg. iur.* « nam quae accessio-» num locum habent extinguuntur, cum principales res peremptae fuerint » ex *I. 2 ff. De pecul. leg.*

Utrum vero in themate hoc retinendum sit, an non, Emorum Patrum est definire. Animadverti nihilominus debet, quod in hipothesi qua peculiare ius in Hispania hucusque receptum, e loco cessisse iudicetur, definiendum ulterius superesset, utrum communis canonica lex quoad sponsalia in Hispania revixerit, an potius aliqua nova disciplina sit quoad hoc inducta vel inducenda.

IMPEDIMENTUM ADHUC VIGERE VIDETUR. Verum non minora militant ut retineatur ex civilis legis mutatione nihil esse in Hispana ecclesia de ecclesiastico iure immutatum. Sane sponsalia, utpote quae ad matrimonium tendunt, canonico iure regi debere, et solius Ecclesiae esse ea moderari, quae vel ad substantiam, vel ad formam et solemnia huius contractus pertinent, Ecclesia semper retinuit, ex *sess. 24* C. Trid. *De ref or. matr.'* plane fluit.

Quapropter sive quae Carolus III sub huius saeculi initium, sive quae nuper Hispanus codex quoad sponsalium obligationem sanxit, pro christiana utique conscientia nulla sunt atque invalida. Leges enim et statuta saecularia quae de ecclesiis et iuribus ecclesiasticis seu spiritualibus specifice disponunt, aut quae contra libertatem et immunitatem ecclesiasticam procedunt, non valere, quin imo *non constitutionem, sed destructionem et usurpationem iurisdictionis* dicenda esse docetur *text. expr.* in *cap. ult. De reo. eccl. non alien.*

Quin dicatur S. C. C. Carolinam pragmaticam proba-

visse et sanxisse. Quandoquidem respondere licet S. C. C. magis ecclesiasticam consuetudinem, subsequentur ad pragmaticam inolitam, quam ipsam pragmaticam recognovisse. Notum est autem quod diuturni « mores consensu utentium comprobati ius efficiunt » ex § *Ex non scripto de iur. nat. et gent. in Inst.* et *cap. C umana 59 De eieci.:* et idcirco ex iis in Ecclesia tolli seu abrogari communem legem, novamque contrariam induci posse, exploratissimum est. Cfr. Reiffenstuel ad *tit. De consuet. n. IO, il, seq.* Quapropter non civilis potestatis praescripta, quae nulla erant in se, sed utique ecclesiasticam consuetudinem paullatim introductam, quae quidem ius non scriptum constituerat, S. C. C. et recognovisse et ratam habuisse dicendum est.

Unde etiam ruere videtur ratio dubitandi ex adverso allata. Nam si peculiaris dispositio quoad sponsalium valorem non vi legis status, sed sacrorum canonum auctoritate inducta in Hispana ecclesia censeatur, et civilis lex nonnisi occasio fuerit novae huiusmodi ecclesiasticae disciplinae quoad sponsalia, sequitur, ecclesiasticam hanc disciplinam cum civili lege non esse intime connexam, nec illam huic tamquam accessorium principali inhaerere. Observat enim Barbosa ad *reg. 4.2, iur. in IV n. 12,* quadrupliciter aliquid posse esse accessorium alterius, I° ut sine illo res principalis nulla vel inutilis reddatur, 2° si ita rei inest ut portio et pars illius reddatur, 3° quia ex natura rei, vel dispositione legis vel partium conventione semper sequitur et comitatur aliud, 4° quia ab alio dependet tamquam effectus a causa. Porro cum ecclesiastica lex de sponsalium solemniis in Hispania nullo modo dependeat a sanctione civili tamquam effectus a causa, aut aliqua alia ratione, hinc retinere oportet eam, semel inductam absolute et independenter a civilis" codicis arbitrio et variatione subsistere.

His aliisque adductis, propositum fuit diluendum

Dubium

An quae S. C. C. quoad sponsalium valorem in Piacentina *diei 31 Ianuarii 1880 declaravit et sanxit, hodie, post civilis hispani Codicis mutationem, adhuc vigere censeantur in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Congreg. Concilii re cognita sub die 11 ylprilis 1891, censuit respondere: *Affimative.*

EX QUIBUS COLLIGES. I. Quae ad formam, substantiam et solemnia matrimonia respiciunt, regi debere per Ecclesiae Romanae leges.

II. Et consequenter, quidquid disponant, quoad sacramentum matrimonii, leges civiles, habendum esse ceu iurisdictionis usurpationem.

III. Ius tamen constituere et legem cum vi obligandi, diuturnos mores, consensu utentium comprobatos ; ex quo fit ut in Ecclesia lex communis abrogetur et nova contraria inducatur.

IV. In themate retineri posse, non ex facto pragmaticae Carolinae, sed ex inolita legitima consuetudine, auctoritate pontificia suffulta, ius non scriptum promanasse, adhuc vigens, ex quo decernitur, sponsalia in Hispania nullius esse valoris, nisi peracta fuerint per publicam scripturam.

BONONIEN.

MATRIMONII

Sess. 24 cap. 1 De reform, matrim.

CAUSAE PROSEQUUTIO. In plenariis comitiis diei 10 Maii 1890 (1) proposita huiusmodi controversia sub dubio « *An constet de matrimonii nullitate in casu* » EE. PP. rescribere tunc placuit : « *negative* » Vix edito hoc rescripto, comes

(1) Belata fuit quaestio haec Vol. XXIII, 140.

Antonius Zucchini novae audientiae beneficium impetravit, atque idcirco hodie iterum controversia examinanda proponitur.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO COMITIS ANTONH. Patroni qui viri partes tuentur plurimorum DD. auctoritate freti, in iure recolunt in primis in matrimonio, quod perpetuum ac indissolubile vinculum secum fert, requiri plenam, absolutam atque omnimodam libertatem, ac consensus spontaneitate m, cui maxime obest timor in animo contrahentis perturbationem inducens. Gonzalez *lib. 4-Decret, tit. I cap. 15,* Pirringh *lib. 4 tit. I sect. 4 n. 101.* Et maius et perfectius voluntarium requiri ad matrimonium, quam ad alios contractus civiles ; adeo ut minor metus satis sit ad irritandum matrimonium. Fortius *De impecimi, matrim, caus. 31 q. 3 § 13,* Cosci *De separ. thor. lib. I cap. 8 n. 3.* Quinimo adeo plena esse debet libertas et securitas in contrahentibus matrimonium, ut non modo compulsio, sed etiam timor compulsionis in eorum animis, seu iusta metus suspicio et parentum indignationis sufficiat pro metu. Zypaeus apud Van-Espen *part. 2 sect. 2 tit. 13 7i.* 1, Cosci *De separat, thor. lib. 3 cap. 4 n. 86,* Rota *Decis. 374 § 7 coram Ladovisio.*

Ad effectum autem matrimonii irritandi, necesse non est ut timor sit incussus ope minarum mortis, corporis cruciatus aliorumque huiusmodi, sed talis etiam existimatur, scilicet cadens in constantem virum, timor amissionis maioris partis bonorum, grave damnum subeundi in rebus propriis, amissionis magni lucri, privationis haereditatis, electionis a paterna domo ac in paternam indignationem incurrendi, prout in terminis docent Schmalzgrueber *tom. 4 part. 1 tit. 5 n. 493,* Barbosa *Vat. decis. lib. 2 vot. 16 n. 33,* S. Rota *Decis. 732. § 9 cor. Emerix Decis. 870 num. 3 et 4 cor. Eodem et decis. 326 § 8 cor. Ludovisi.*

Neque tantum minarum natura inspici debet ad gravitatem et pondus timoris dimetiendum, sed etiam qualitas personae tam incutientis, quam patientis metum. Praesertim si

pater sit qui metum incutiat filio secum in eadem domo commorant^ et pater sit indolis asperae et durae erga filium, rigidus ac severus, et propositi tenax. Quo in casu peractas ab ipso minas quamvis non exequatur, tamen, ceu animadvertit Sánchez *De matrim, lib. 4 disp. IO n. 14,* « quis vir constans aut prudens non reputabit grave malum semper coram oculis habere infensum patrem a quo pendet et cum quo semper conversaturus est? > Et quamvis simplex timor reverentialis tam gravis haud existimetur, ut sufficere queat ad matrimonium ex defectu liberi consensus irritandum, nihilominus hanc vim nancisci, aiunt patroni, si cum alio timore copulatur, qui exoritur ab expressis minis, vel ab aliis rerum adiunctis, quique *qualificatus* seu *adminiculatus* dicitur.

Insuper receptissima iurisprudentia est diuturnas atque importunas suasiones, immo preces quoque assidue repetitas de proposito matrimonio contrahendo cum timore reverentiali coniunctas, etiam sine minis et verberibus constituere metum cadentem in virum constantem et ad matrimonium infirmandum efficacem. Cosci *Ds separ. thor. lib, 3 cap. 4 n. 78 et seqq.* Pignatell. *Consil, tom. 9 Con. 180 n. 19,* Pirringh *lib. 4 lit. 1 sect. 4. n. 119,* Schmalzgrueber *tom. 4 part. 1 tit. 1 § 493,* Gonzales *lib. 4 Decret, tit. 1 De spons. et matr. c. 15,* Barbosa *Vot. decis. lib. 1 vat. 1 n. 36,* Antoine *De matrim, cap. 3 q. 3 num. 7.* Lezan *Consult. 47 n. 15 tom. 4.* Ratio est quia, uti notat Reiffenstuel *lib. 1 tit. 40 n. 95,* « ex una parte eiusmodi importunitas parentum valde urget, vexat et quandoque subiectos opprimit. Ex altera vero parte reverentia maioribus parentibus debita, timorque ipsos offendendi haud leviter instant. » Et S. Rota *Decis. 32d § 13 coram Ludovisio.* «Huiusmodi enim persuasiones importunae quando *sumus* in persona cui debetur reverentia iustum metum constituunt, et vim coactionis habent. > Itemque *cor. Emerix Decis. 870 num. 7.*

Quae iurisprudentiae principia multo magis locum sibi vindicant, si pater metum mentiens interesse habeat in matrimonii celebratione, eo quod existimet ac speret magnam

inde utilitatem sibi aut familiae esse obventuram : nam tunc difficilius redditur filio patris desiderio contraire, eo quod magnus exurgit timor in graviorem eius indignationem incurrenda Barbosa *Vat. decis. lib. 2 vol. 16 n. 30.*

Fortius vero si de filio agatur, qui ad maiorem nondum aetatem pervenerit, praesertim si timidae indolis sit et assuetus ad paternam voluntatem exsequendam. Hoc enim in casu minor adhuc metus desideratur ad matrimonium irritandum.

Hisce in iure praemissis quoad nullitatem matrimonii ex causa metus initi, adnotavit quod cum in themate agatur de metu, incusso a patre intra domesticos parietes, filio secum commoranti, ad illud probandum plurimum est faciendum argumentum deductum a verisimilitudine, ab adminiculis, indiciis et coniecturis antecedentibus, concomitantibus et subsequentibus matrimonium, nec testes repellenda, licet alicui exceptioni obnoxii, famuli nempe et consanguinei, veluti plures sacri Auditorii decisiones ostendunt, *Decis. 326 § 3, 351 n. 6 374 § 1 cor. Ludovisio* et *decis. 325 § 11, 732 § 6 870 § 6 cor. Emerix.*

Ad facti deinde demonstrationem descendentes patroni, expendunt in primis quaenam fuerit indoles et agendi consuetudo comitis Caietani Zucchini metum filio inferentis. Huius naturam esse omnino firmam, tenacem ac ferream, et in familiam dominativam ac severam, plures fide digni testes uno ore enunciant, quorum depositiones EE. PP. iam in anteactae causae propositione cognoverunt.

Quin in contrarium quidquam faciant adversae partis testes deponentes, se comitem Caietanum urbanitate et comitate praeditum invenisse. Praeterquam quod enim illorum plerique comitem parum aut nil noverant ; hi insuper non loquuntur de- intimis ac familiaribus relationibus, sed de iis quae cum extraneis ab eodem habebantur : id quod a patronis non denegatur, siquidem idipsum testes ab ipsis inducti confirmant .

Sed hisce etiam missis, ad ostendendam comitis Caietani

indolem ac severitatem in familiae regimine, sufficiunt, iuxta oratores, quaedam epistolae patris ad filium de novo productae, quarum una, licet sine die et consule, scripta, tamen apparet tempore quo filius e collegio ad domum paternam redibat, et ex praeceptis quae continet, colligitur summa severitate patrem sibi proposuisse potestatem suam in filium exercere. Sane ex liae epistola aiunt patroni,, patrem nedum voluisse ut filius verba, cogitationes et desideria ipsi nota faceret adiiciens prohibitionem quidquam a se ipso sine patris permissione cogitandi, idque sub comminatione eum in paternam domum non recipiendi, et denuo in ephebeum remeandi : verum etiam filio iniunxisse usque ab initio plenum et perfectum sacrificium propriae voluntatis, tamquam esset merum instrumentum ad nutum paternae voluntatis.

Sed hisce fastigium imponit tenor alterius epistolae comitis Caietani, ex qua patet ipsum consuevisse levissimos prorsus de causis pergravi indignatione in filium exardescere. Cum enim quodam die (paucis mensibus antequam tractatus de matrimonio cum Gozzadina instruerentur) Antonius quandam levissimam et prorsus futilem culpam admiserit, pater erga eum ita ira percitus est, ut e suo conspectu eiecerit, et quamvis filius per epistolam veniam humillime petierit, satis id tamen haud fuit ut pater dignaretur coram se iterum eum admittere, sel placuit ei in scriptis declarare se numquam huiusmodi culpas, etsi levissimas, toleraturum : imo comminatus est se cum filio vitam haud acturum esse, nisi agendi rationem mutaret et maioris amoris, docilitatis ac reverentiae signa erga patrem exhiberet.

Neque desunt alia exempla rigoris et altitudinis qua comes Oaietanus filium retinere consueverat, uti ex aliis quibusdam epistolis comprobatur.

Quae omnia si copulantur cum indole timida, levi ac submissa comitis Antonii, uti testes uno ore enunciant, validissimum praebent argumentum, metum a patre incussum nonnisi in constantem virum cadere posse, et imo preces tantum et suasiones importunas in hisce adiunctis loco com-

pulsionis et coactionis haberi, iuxta doctrinam superius expositam.

Huic vehementis metus illati praesumptioni et alia accedit ex utilitate quam corniti Oaietano obveniret a matrimonio filii cum Gozzadina. Ex relatis in anteacta causae propositione norunt EE. PP. in quam arcta rei familiaris conditione tunc temporis comes Caietanus versaretur ob fideiussiones nepoti suo factas, et quomodo familia Gozzadini ex praecipuis creditoribus eius esset, cuius igitur ope ac nomine valde indigebat Comes.

Hac in re testimoniis iam alias exhibitis, modo unum adiiciunt oratores ad hoc ut ostendat quaenam revera fuerit huius aeris alieni vis ; et est testimonium ratiocinatoris Stanzani, qui declarat, aes alienum, quo vertente anno 1866 patrimonium comitis Caietani gravabatur, libellarum decies centena millia superasse ; ipsumque pro non minori summa quibusdam societatibus ac privatis fideiussorem accessisse.

Nil mirum igitur si obaerato corniti optimum visum fuerit consilium matrimonium filii sui cum unica Gozzadinorum familiae haerede et proponere et omni nisu ad exitum perducere.

Nec satis, pergunt patroni ; nam alia aeque vehementissima praesumptio illatae coactionis exurgit ex eo quod comes Antonius tempore quo ei propositae fuere nuptiae cum Gozzadina iam a pluribus mensibus magno ferebatur amore erga aliam Bononiensem puellam nobilitate et forma eximiam, ceu plures testes perhibent ; ac proinde eius animus omnino alienus a connubio Gozzadinae esse debebat ; ad tradita per Barbosam *Vol. dec. lib. 2 vol. 12 n. 14* et Rota *cor. Ladovisi.* Hinc Antonius paternae voluntati praeter omnem expectationem se se opposuit statim ac ei nunciatum fuit propositum de matrimonio cum Gozzadina ineundo : hinc patris indignatio et inde frequentes contentiones, iurgia, clamores, violentiae actus et minae patris filium sine auxiliis eliciendi atque exhaeredandi per continuam illam exprobationem « ti accomoderò io » ceu quamplurimi testes fidem faciunt.

Post haec ad diluendas nonnullas difficultates iam in praeterito folio praeventas heic pergunt patroni, et notata iterum indole timida Antonii innata, cum timore reverentiali et periculo maioris partis bonorum amissionis, perpensisque quibusdam rerum adiunctis matrimonium concomitantibus, quae iugem Antonii in matrimonio repugnantiam confirmant, ac demum probata plurium testium dictis clara, directa ac dolorosa patris confessione de gravi a sé errore admisso, concludunt, demonstrationem de vi et coactione ad nuptias in casu plenissimam et numeris omnibus absolutam esse.

Quae in dubium revocari nullimode potest ex testium depositionibus, et quibusdam litterarum laciniis a (J-ozzadinae matre ad amicam scriptis, iuxta notissimam iuris regulam, scilicet in te dium conflictu maiorem fidem esse perhibendam duobus testibus de metu deponentibus, quam mille de libera et spontanea voluntate. Nam probatio spontaneae voluntatis fere impossibilis est, et stante causa metus, actus praesеferentes laetitiam praesumuntur simulati. Panini oll. in *Decis. 102., ann. I pag. 375,* Barbosa *lib. I vol. I num. 84,* Rota *Decis, 326 § 26 et 392 n. 3 cor. Ludovisio, Decis. 628 n. 8 cor. Merlino,* et *Decis. 732 cor. Eme rix.*

Quae iuris regula multo magis vim suam in themate exerit, 1. quia testes ex adverso aliati in conflictu reperiuntur non solum cum aliis de metu deponentibus, sed, quod magis est, etiam cum confessionibus illius qui metum incussit, scilicet patris; 2. quia comes Antonius, inter alia, a patre praeceptum acceperat peragendi semper libenti animo quidquid ei pater imperaret, etiamsi voluntati suae repugnans. Unde actus sub huius praecepti vi eliciti eo magis simulati sunt existimandi, ad tradita per Barbosam *lib.* 2 *vol. 16 num. 87 et 93.* Ex quo etiam explicatur quomodo comes Antonius coram Parocho eum interrogante de more ante bannorum publicationem, responderit absque ulla haesitatione se nuptias sponte ac libere contrahere ; et quomodo in actu celebrationis matrimonii nullum dederit repugnantiae signum.

Et hoc in hypothesi quod plena fides sit adiicienda praedictis testium depositionibus et epistolarum laciniis, quae de cetero e diametro pugnant cum traditis a principissa Simonetti, teste prorsus insuspecta, et ab aliis spectatissimis testibus ; ac proinde quae ex adverso afferuntur sin minus exagerata certo sunt, prout ipsemet actor suis separatis animadversionibus demonstrabit.

Unde patet etiam quanti sint facienda quae a praedictis testium depositionibus et litterarum laciniis hauriuntur et ad sydera extolluntur de mutuo amore et animorum concordia inter sponsos. Verbis potiora sunt facta, separationis thori nempe post paucos menses et subsequentis mulieris fugae.

Quin obiici valeat, durante saltem contubernio metum fuisse purgatum et matrimonii nullitatem inde sanatam. Quandoquidem post Conc. Tridentinum ad matrimonium ratificandum necesse omnino est coram parocho et testibus consensum renovare, excepto casu de occulto impedimento, quod nempe in iudicio numquam posset probari, quemadmodum ex communi Doctorum sententia tradidit Reinffestuel in *Append. Be dispens. § 2 num,. 44.*

Perperam tandem adversarii confugiunt ad regulam « In dubio pro validitate matrimonii esse iudicandum; » quandoquidem in themate, iuxta patronos, attentis gravissimis factorum circumstantiis prout probatum est, nullum superesse potest dubium de metu illato : et insuper cum heic agatur de consensus defectu et proinde de ipsa substantia contractus, contraria potius regula est tenenda, scilicet « in dubio est favendum libertati. » Ita porro docet, ceteris missis, Barbosa *lib. 1 num. 137.* « Matrimonium metu celebratum non est favore dignum ; neque pro eius validitate in dubio praesumendum. » Cui consonat sacrum Auditorium *cor. Séraphin o decis. 893 nivi n. 33.*

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS VINCULI. EX altera vero parte matrimonii vindex ostendere satagit nova testimonia nunc ab Antonio exhibita non modo contra decisionem diei

IO Maii elapsi anni nihil prorsus facessere, sed imo ex his illius decisionis iustitiam magis confirmari.

Documenta siquidem in novo summario allata consistunt in tribus epistolis quae, praeterquamquod utpote extraiudicialiter exhibitae, reiici merito possent, iuxta vulgatum fori adagium « *quod non est in actis, non est in mundo;* » nihil perhibent de asserta coactione patris in filium, si epistolam Petri Baruffi excipias. Hic vero renuntiat, pluries a quadam Zucchini famula, Clarice nomine, audivisse comitem Antonium cum comitissa Laura Malvezzi matrimonium libenter initurum, sed exequi haud potuisse ex patris repugnantia, qui ipsum ad nuptias cum comitissa Gozzadini contrahendas adegit. Nihil igitur vidit Petrus Baruffi, sed tantummodo loquitur de auditu alieno, scilicet de auditis a famula Betti, quae tamen ad examen adducta minime est. Ex quo etiam sequitur praedictum Baruffi extraneum fuisse a familia Gozzadini dum Antonius adulescentiam agebat, secus enim ad famulam Betti non confugisset ut testaretur quae suismet oculis perspicere potuisset ; et proin omnia quae ipse insuper affirmat de comitis Antonii indole, de magno eius erga patrem timore deque sua paternae voluntatis submissione, ad tempus referri debent, quo comes Caietanus iam senescebat. Quae vero idem testis addit, comitem nempe Caietanum in deplorando malos matrimonii exitus declarasse ob peculiares rationes, festi haud expressas, se ab auctoritate ecclesiastica obtenturum, ut matrimonium nullum renuntiaretur, cum veritate pugnant, advertit defensor, cum compertum sit comitem Caietanum post Gozzadinae fugam, scilicet usque ab anno 1870 nullum non movisse lapidem ut hoc matrimonium labefacfaret, et frustra ad hoc consuluit viros spectatissimos et in ecclesiastica dignitate constitutos.

Neque plurimum insuper est facienda enigmatica epistola quam corniti Antonio dedit Iosephus Zucchini die 29 Iulii 1863 ab adversariis laetanter arrepta, ut ostendant amorem Antonii erga aliam Bononiensem puellam. Etenim ex ea in primis non apparet sub nomine illo « *la minaccia* » desi-

gnari praecise puellam Lauram Malvezzi ; at hoc etiam dato, minime exinde consequitur, Antonium duobus post annis invitum Gozzadinae nupsisse, siquidem ambulatoria est voluntas hominis, et a fortiori adolescentis.

Tametsi comitem Antonium Zucchini aliquando animo intendisse Lauram Malvezzi sibi matrimonio coniungere negat vinculi defensor. Siquidem inter testes quos hac in re adducunt adversarii eminet ipsius Laurae germana soror, Anna Malvezzi quae a comite Francisco Massei percontata, respondit : sympatiae signa inter comitem Antonium et suam sororem extitisse ; sed de veris matrimonii tractatibus numquam actum fuisse. Fere eadem habet Paula e comitibus Zucchini-Brunetti, testis ex adverso inducta. Quapropter, ait defensor, ad rem haud quadrare principium Barbosae sacri Auditori! suffultum auctoritate ex opposito inductum, scilicet velle nubere aliam mulierem, est nolle nubere Eleonoram ; quandoquidem nunquam comes Antonius velle Lauram nubere proclamavit ; et nec somnio cogitavit, secus enim obstacula, si quae parabantur, vincere pertentasset opera et auxilio sacerdotum Bonucci, pedagogi, ac Biagi, institutoris, et praesertim amici Iosephi Zucchini, qui in supramemorata enigmatica epistola munus in se suscepisse videtur invigilandi ne procus aliquis L'iuram circumire!, quique Antonio amicum, imo fratrem se profitetur.

Deinde matrimonii defensor pergit ad alteram Caietani epistolam expendendam, et ex ipsis litterarum verbis plane clarescere ait, comitem Caietanum non inhumanum, saevum et filium ad simulanduni cogentem, prout contrarii oratores deprehendunt, sed sanis prorsus consiliis filium hortari ad amorem et sinceritatem erga parentem. Neque haec aliaque consilia prae st iterat Caietanus absque gravi raiione, sed ad id devenit quoniam filius sacerdotem pedagogum mordicus recusabat.

Neque actori magis suffragatur epistola quam comes Caietanus filio dedit die 28 Martii 1863 ; in ea siquidem queritur, quod filius indocilem et irreverentem erga patrem se praebet.

Et notat, haud temerarium esse suspicari hanc epistolam filio fuisse missam cum iste ob frivola verba ad mensam prolata, adstante conviva, a coenaculo eiectus fuit per patrem ; ceu Sucerdos Bonucci, Philippus Brunetti et Petrus Melossi testantur. Quod si Petrus Melossi, famulus, id contigisse occentat quia filius Gozzadinam in uxorem ducere recusabat, nullam hic meretur fidem; siquidem factum expulsionis evenit ante diem 28 Martii 1863, antequam Antonius Europam peragraret ; de matrimonio autem cum Gozzadina, adversa parte fatente, labente anno 1864 agi coeptum est. Quod si factum a Petro Melossi narratimi aliud est ab illo quod comes Oaietanus filio exprobat in memorata epistola, hoc ab actore edoceri debet, et facile posset, si ipse a proposita sibi methodo exhibendi nempe unam alteramve epistolam, aliis omissis, recederei.

Ad pendendam demum Alphonsi Stanzani nuperam attestationem circa ingentem aeris alieni vim comitis Caietani gradum faciens vinculi defensor, animadvertit, nullam fidem adiiciendam esse verbis Alphonsi Stanzani qui nuper codices et commentaria perscrutavit. Ex hoc uno patere, quod comitis Antonii patroni qui nullum non moverunt lapidem ut aes alienum comitis Caietani demonstrare possent, si causae praesidium ex eiusdem codicibus et commentariis sperare possent, hos ultro citroque coram bononiensi iudice et sacramenti vindice exhibuissent. Porro quid requiratur ut codices in pretio haberi queant, omnes sciunt. « Si instrumenta , ait Gregorius IX in *cap. fin. De fide instr.*, propter vetustatem vel propter iustam causam exemplaria petantur; coram ordinario iudice vel delegato ab eo specialiter praesententur; qui si ea diligenter inspecta, in nulla sui parte vitiata reperit, per publicam personam illa praecipiat exemplaria, eamdem auctoritatem per hoc cum originalibus habitura. » Cui consonat Menoch. *cous. 7, n. 1.*

Quoad alterum orationis caput prae primis animadvertit, ad hoc ut matrimonium irritum declarari possit ex capite vis et metus, oportere ut actor facta, cruciatus, minas, mo-

limina quibus ipse invitus et reluctans ad nuptias est adductus in specie designet, ad tradita per Barbosam *Voi. decisio, vot. 127 n. 2'j* cui concinit Conscius *De spons. cap. 8 ??. 61 et seq.*

At vero nihil de hoc in medium afferunt adversi oratores, sed contenti tantummodo sunt exhaeredationis minas magnificare, quas in anteactis animadversionibus satis abunde profligavit matrimonii defensor. Heic unum notatu dignum censet, falso nempe ex parte adversa affirmari avitum fideicommissum ac dotem matris in paternis bonis fuisse cumulatami ac inde nihil Antonium, vivo patre, percipere potuisse absque iudicio separationis bonorum. Et huiusmodi falsitatem per Ferdinandum Belvederi et Guillelmum Masi, qui comitis Caietani logographi erant, evincere satagit.

Neque meliori omine confugiunt adversi oratores ad metum reverentialem, qui si intercessisset, latere profecto haud potuisset saltem contubernalem sacerdotem Bonucci Antonii institutorem, qui tamen nihil se scire professus est.

Ast dato etiam, pergit defensor, quod constaret in casu de absoluto patris .praecepto in adoloscentulum ut Gozzadinam sibi matrimonio copularet, posito etiam quod constaret de assiduis ad hoc et importunis persuasionibus, imo etiam de minis et cruciatibus, haec omnia tamen, iuxta D.D. sententiam, in pretio haberi haud possent nisi insimul constaret, Antonium malis imminentibus facile occurrere non posse vel per se, vel per superiores vel per amicos. Salmaticenses in *tract. De matrim, cap. IX punct, I n. 18* Sabellius *summ, divers, tract. § metus n. 3* Et rationem tradit Angelus *verb. Metus n. 5:* « Imputetur ei qui facile potuit vitare metum, si timore illius aliquid fecerit. »

Age vero, Antonio praesto erant non modo Emus Archiepiscopus et parochus quorum voces et consilia comes Caietanus uti oracula venerabatur, sed etiam spectatissima amicorum, affinium et consanguineorum legio, quos inter eminet laudatus Ioseph Zucchini Antonii intimus atque dilectissimus, qui amorem patruelis sui cum Malvezza fovebat, qui-

que ad iuvandum Antonium paratissimus se proferebat, ut supra dictum est.

At ad ostendendum quod Antonius Gozzadinam deperibat et quod ei indubia amoris signa privatim et publice dedit sive cum de matrimonio ageretur, sive in ipsa matrimonii celebratione, sive nuptiis expletis, factis prope innumeris ac peremptoriis omissis, quae in prima iudicii sede enucleavit, heic responsiones memorat, quas viginti quatuor diebus ante matrimonii celebrationem parocho, nunc vicario generali et Episcopo Sebastensi, consensum de futuro matrimonio exquirenti ipse Antonius dederat. Ex his enim clare patet Antonium sponte ac libere matrimonio consensisse.

Quod si modo profitetur in hisce responsionibus mentitum esse, vinculi defensor ei opponit *cap. IO De proh.* Innocentii III ubi legitur inter alia: « Cum nimis indignum sit (iuxta legitimas sanctiones) ut quod sua quisque voce dilucide protestatus est, in eumdem casum proprio valeat testimonio infirmare. »

Neque valet obiicere, Antonium nulla frui libertate, adstantibus propinquis et patre ; quandoquidem, notat defenspr, non constat sponsos non in conclavi absque arbitris, sed coram propinquis et parentibus excussos esse; imo exploratum est comitem Caietanum, magnificati metus auctorem, ne ad domum quidem Gozzadini, ubi sponsalia facta sunt perrexisse, ut fidem facit praesul Zoccoli, quem iudex ex officio rogavit.

His aliisque adnotatis, et praesertim de argumentis ferventis amoris quae Antonius per quinque annos continuo uxori suae exhibuit, vinculi defensor absque mora confirmationem primae sententiae praestolatur.

Quibus pro utraque parte delibatis, propositum fuit enodandam suetum

Dubium

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Concilii, omnibus ad novum examen revocatis, sub die 30 mensis Maii 1891 sententiam confirmavit, rescribens: *In decisis.*

EX S. CONGREG. EPISC. ET REG.

QUEBECEN.

SEU CONGREG. OBLATORUM MARIAE IMMACULATAE SUPER APPELLATIONE ET VALIDITATE DECRETI.

Die 13 Martii 1891.

COMPENDIUM FACTI. Quidam Carolus Alfridus Maria Paradis, sacerdos professus Congregationis Oblatorum Mariae Immaculatae in dioecesim Octaven, a superioribus missus fuit, ut parvam Missionem in oppido vulgo *N. D. du D eser t* institueret. Verum ipse superiorum iussa contemnens, qui nihil aliud in votis habebant, quam ut spirituali incolarum bono consuleretur, totos nervos intendit ad illam regionem excolendam. Hinc inauditis superioribus, imo contra ipsorum voluntatem, contractus inire et agros modo emere, modo vendere coepit. Neque iis contentus quosdam mercatores vulgo *Gilmour* ad tribunalia laica traduxit, ex eo quod hi arbores caedebant, quae intra agrorum confinia reperiebantur, quos ipse acquisiverat.

Huiusmodi religiosi Alfridi agendi ratio in causa fuit, ut nedum Gubernium inter et dictos *Gilmour* tricae orirentur, verum etiam ut inter fideles scandala excitarentur, quae graviora in dies fiebant, ex eo praesertim quod publicae ephemerides, quibus religiosus rei copiam fecerat, quaestionis naturam immutarunt, eamque in politicam verterunt, petentes ut vel religiosus, vel gubernii minister nomine Rass merita poena plecterentur.

Quaestio in huiusmodi rerum conditione versabatur, cum p. Provincialis, ut ei finem imponeret, obtinuit, ut religiosus Paradis, cuius inconsiderata et imprudenti agendi ratione commotio orta erat, ab illa Dioecesi in provinciam Statuum foederatorum mitteretur, certa spe fretus, quod .per illius amotionem tranquillitas fieret.

Religiosus Paradis rem aegre tulit, hinc Rmo p. Generali contra p. Provincialis agendi rationem recursum porrexit. Verum p. Generalis probe noscens p. Provincialem hac in re recte se gessisse, sub die 10 aprilis 1888 respondit praescribens, ut vel Congregationem relinqueret, cui sua agendi ratione dedecori erat, vel ephemeridibus silentio imposito, quaestionibus valediceret ac suorum superiorum imperiis se subiiceret.

Hoc p. Generalis responso se praegravatum existimans, supplici oblato libello, S. Congr. de Propaganda Fide adivit, quae, *re mature perpensa,* recursum reiecit, mandans ut orator superiorum iussa faceret.

Accepto S. Congregationis rescripto, p. Provincialis non nullum lapidem movit, ut oratorem ad saniora consilia perduceret. Verum cum ipse magis magisque in sua pervicacia persisterei, tandem aliquando e domo religiosa per vim eiectus fuit.

Orator, victus sed non fractus, novum recursum paravit, quem hac vice S. Congreg. Episc, et Regul. porrexit, petens ut implorata appellatio admitteretur, et regulari processu instituto, ac Superioris Generalis praecepto nullo et irrito renuncíalo, ipsemet in religiosam familiam, a qua expulsus fuerat, restitueretur.

Acceptum libellum S. C. Episc, et Regul. die 12 ianuarii 1889 remisit Emo Archiepiscopo Quebecen, pro informatione et voto, audito p. Provinciali.

Eo quo par erat obsequio Emus Tacherau die 16 februarii ex parte sua respondit consultius fore, ut p. Paradis a voto obedientiae et paupertatis dispensantur, et praevia absolutione poenae suspensionis ipsi inflictae, facultas ipsi indulgeatur inveniendi sibi benevolum Episcopum, qui ipsum in sua Dioecesi recipere haud dedignaretur.

Ex parte vero sua p. Provincialis postquam asseruerit, supplicem libellum a p. Paradis S. C. Episc, et Regul. oblatum mendaciis falsisque interpretationibus scatere, et factum natura sua simplex et obvium, ex ipsius agendi ratione, pu-

blicum et aliis ob scandalum perniciosum evasisse, petiit ut ipsius preces a iudicii limine repellerentur, utque ipsi onus imponeretur improbandi scripta, iniurias et calumnias quae scandali occasionem fidelibus praebuerunt, praesertim quia, ipso volente et consentiente, publicae ephemerides in hoc negotio sese immiscuerunt.

At, hisce non obstantibus, S. C. Episc, et Regul. p. Paradis in gratiam suorum superiorum restituere curavit. Verum cum p. Paradis duo proposuisset, quas acceptari haud poterant, sub die 26 martii 1889 rescriptum fuit: *Negative ad utrumque;* et quaestio ex ipsius S. Congregationis mandato transmissa fuit *ad Iudicem Relatorem pro voto.*

Porro Iudex Relator perpendens praecipua facta p. Paradis imputata publica, et notoria esse atque ab ipso admissa, quoad processus formalis petitionem, respondit hunc locum obtinere non posse ob vulgatum iuris principium, quod scilicet *in notoriis ordo iuris non servatur.* Farinae, quaest. 21, n. 60; Reiffenstuel tom. V. p. 24, n. 253. Et eo vel minus, ait, in praesenti casu, in quo si procedura necessaria foret, haec, ad tramitem iuris canonici, nonnisi oeconomica esse posset.

Relate vero ad appellationem ab ipsomet P. Paradis imploratam animadvertit praeprimis in hoc negotio Superiorem Generalem eiusque Consilium iuxta regulas Instituti proprias, seu modo extraiudiciali et disciplinari processisse. Ideoque appellationem proprie dictam admitti non posse; ea siquidem tantum a sententia iudicialiter prolata interponi potest.

Animadvertit praeterea gravaminis motiva a p. Paradis adducta, quod scilicet Instituti Superiores contra ipsum inauditum et indefensum processerint, nec iusta, nec veritate suffulta apparere. Quandoquidem p. Provincialis testatur ipsius defensionem recepisse; et tum cum, die 10 aprilis 1888, p. Generalis praeceptum in scriptis ipsi indictum fuit, ipsum nihil respondisse et contra p. Generalis agendi rationem S. Congregationi de Propaganda Fide recursum obtulisset quaa-illum excipere renuit, et insuper ei praecepit, ut superioribus regularibus se subiiceret.

Praeter haec animadvertit iuris canonici dispositionibus conforme quidem esse, ut ei appellatio seu recursus ad superiorem competat, qui se gravatum existimat; verum subdit, in vim earumdem canonicarum dispositionum appellationem tunc solum admitti, cum ex actis *evidenter* liqueat gravamen existere, ceu eruitur ex decreto *Appellationibus* diei 16 octobris 1600 in Collectanea Card. Bizzarri inserto, et a fel. mem. Benedicti XIV in Constit. *Ad militantis* die 30 martii 1742 confirmato.

Tandem animadvertit, quod Ordinis Oblatorum moderatores, postquam improbandam p. Paradis agendi rationem eiusque contumaciam et pertinacem inobedientiam tum Instituti regulis, tum superiorum praescriptis exposuerint, addiderunt ipsum ob hanc rationem Sacratissimum Principem adi visse, ut scilicet rehabilitationem obtineat et victoriam supra Ordinis moderatores consequatur, quos suos persecutores appellat. Verum huic malo a laudato Summo Pontifice sapienter provisum esse per aliam Constit. *Ad coercenda* diei 1 octobris 1753, qua iuxta communes sacrorum canonum sanctiones, expressis verbis declaratur ad S. Sedem appellationem esse debere innocentibus iusti praesidii, numquam vero effugii et causae reis ad delinquendum, in spretum suorum superiorum immediate praepositorum et in disciplinae ecclesiasticae praeiudicium.

Habito Iudicis Relatoris voto S. G. Episc, et Regul. rescripsit, ut causa poneretur in folio, cum dubiis, quae in calce excribuntur.

Disceptatio ¡Synoptica.

IURA ORATORIS. Favore imploratae appellationis observatum fuit tralatitium in iure esse appellationem a iudice inferiori ad superiorem indulgendam esse, quoties ille qui appellationem interponit a iudice iniuste praegravatum se sentiat: cap. *Omnis oppressus* et seq. , caus. 2, quaest. 6; et cap. *Pastoralis* 53 *de Appellat.* Appellationis enim remedium ad defensionem innocentiae eiusque praesidium institu-

tum est. Cap. *Cum speciali* 61, § *Porro,* et cap. *Suggestum* 15 *de Appellat.*

Hinc appellationis remedium iure naturae concedendum esse cuicumque iniuste gravatum se existimet. Et hoc, etiamsi quis appellationem interponat a sententia, cui se obtemperatum iureiurando promiserit, quoties per huiusmodi sententiam iniuste opprimatur. Cap. *Cum inter,* cap. *Dilecti* 8, et cap. *Significaverunt* U *de Exceptionibus.*

Hisce in iure praeiactis, cum orator decreto expulsionis a Congregatione religiosa iniuste perculsum se existimet; pleno veluti alveo iiuit ipsi imploratam appellationem denegari non posse.

Post haec ad decretum expulsionis gradum faciens, orator sustinet illud nullum et quovis firmitatis robore destitutum renunciandum esse, quippe quia contra elementaría iuris principia editum fuit. Quod pluribus rationum momentis evincere studet, quorum praecipua haec sunt : quia scilicet 1. accusationibus gratuitis et haud probatis expulsus fuit; 2. quia ipsius expulsio locum habuit eo temporis momento, quo ad probandam propriam innocentiam ad S. Sedem confugerat, et antequam hoc S. Tribunal quaestionem examini subiiceret et sententiam proferret. Quae omnia luce meridiana clarius, erui posse ait, tum ex suae expulsionis enarratione a quodam religioso laico peracta et ad acta existenti ; tum ex sua responsionis epistola ad P. Guillard, tunc temporis superiorem, missa.

IURA DEFINITORII GENERALIS. Ex altera vero parte p. Martinet assistens generalis pro viribus contendit appellationem a p. Paradis imploratam concedi non posse, et expulsionis decretum in pleno firmitatis robore manutenendum esse, utpote latum a Superiore Generali, qui illum nedum in vim Constitutionum et Regularum Ordinis; nedum in vim Iuris Pontificii ; verum etiam in vim decreti S. C. Episc, et Regul. expellere valebat.

Quoad Instituti regulas Assistens Generalis observat, ex ipsarum contextu evinci Superiori Generali et eius Definito-

rio factam esse potestatem religiosum ab Instituto dimittendi, si coram Deo iudicabitur, illum ad bonum peragendum et gloriam Dei in societate procurandam minime idoneum esse, vel si ille praemonitionibus omnibus contumax obstinate perseveret, praesertim vero si verbo vel exemplo occasionem peccandi fratribus praebeat. Et licet Regula suadeat ad hoc extremum deveniendum non esse, nisi cum summa prudentia et temperamento, ut existimationi et famae religiosi eliciendi consulatur ; tamen subdit hanc rationem haud obstare debere, quominus Congregatio eruat a se membrum sibi dedecorum vel nocivum, et mandat Superiori Generali, ut hoc ingratum ministerium Superioribus localibus per Provinciales aut Missionum Vicarios committat.

Idipsum nec minus luculenter evinci ait ex praescripto legum ecclesiasticarum, quae Institutis religiosis facultatem indulgent bono communi consulendi, a se eiiciendo religiosos, qui sua agendi ratione impedimento sunt, quominus societas haec pretiosa bona consequatur. Et si agatur de Institutis in quibus vota tantum simplicia emittuntur, permittunt insuper, ut eiectio decernatur, quin opus sit, ut formalis processus instruatur, iudicii forma observetur, et sententia canonica proferatur.

Tandem hoc Superioris Generalis ius inniti,'contendit, decreto diei 5 ianuarii 1866 a S. C. Episc, et Regul. edito, ubi ad rem haec scripta leguntur : « Liberum erit Superiori Generali socios ab Instituto dimittere, quoties iustae causae intercedant, et accedat consensus assistentium generalium. »

Cum igitur in casu iustae causae intercesserint p. Paradis ab Instituto dimittendi et concors assistentium generalium consensus accesserit, nullo pacto ambigi posse concludit, quin decreti expulsionis validitas decernatur.

Hisce aliisque perpensis, proposita fuerunt enodanda sequentia

Dubia

I. *An sit locus appellationi in casu ?* Et quatenus affirmative. 2. *An sustineatur decretum expulsionis, editimi a Definitorio Generali contra p. Paradis in casu ?*

RESOLUTIO. S. Congregatio Episcop. et Regular, re cribrata, sub die 13 martii 1891 respondere censuit: *Ad primum providebitur in secundo: Ad secundum affirmative et amplius et ad mentem. Mens est: scribatur Emo Card. Archiepiscopo Quebecen.. qui prohibeat quominus P. Paradis societatem s. Ioannis Baptistae vel aliam instituat, et de hoc Episcopis suae Provinciae instructas reddat.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Appellationem a iudice inferiori ad superiorem admitti, quoties appellans iniuste praegravatum se sentiat.

II. Appellationis remedium ad defensionem innocentiae eiusque praesidium institutum esse; ideoque in iure naturae fundamentum habere.

III. Quocirca hoc remedium contra sententiam quoque concedendum esse, cui quis se obtemperaturum iureiurando promiserit, quoties per huiusmodi sententiam iniuste opprimetur.

IV. Ex Congregationis Oblatorum Mariae Immaculatae Regulis arbitrio et conscientiae Superioris Generalis eiusque Assistentium remissum esse iudicare de iustitia et congruitate causarum, ob quas religiosus a Congregatione dimitti valet.

V. Et huiusmodi causis iustis ac rationabilibus existentibus, liberum esse Superiori Generali socios ab Instituto dimittere, dummodo consensus Assistentium Generalium accedat.

VI. Neque ad decernendam dimissionem processum vel iudicii formam requiri, sed ad eam procedi posse sola facti veritate inspecta,

PARMEN.

EXEMPTIONIS

Die 13 Martii 1891.

COMPENDIUM FACTI. In dioecesi parmen., prope oppidum vulgo *Bercelo* antiqua existit domus ad usum coenobii cum annexo oratorio publico, quod nomen accepit a simulacro Virginis cui titulus *delle Grazie.*

Rmus Vitalis Loschi tunc temporis Episcopus parmen., sub die 22 maii 1840 decrevit, ut dictum oratorium sibi subiectum esset, ac proinde ab illius oppidi parochi seu praepositi iurisdictione liberum. Praeterea haud multo post, obtentis necessariis approbationibus, dictam domum in seminarium vertit, et decreto die 29 augusti 1842 edito, statuit, ut novum seminarium ac oratorium suae iurisdictioni immediate subiecta essent ; ut solus seminarii rector iurisdictionem ibi exerceret, cum facultate delegandi sacerdotem, qui sacras functiones expleret. Statuit insuper, ut neque oppidi praepositus, neque aliquis ex Collegiatae Canonicis ullum ius haberet, utque sacrae functiones ac processiones quae cum Virginis simulacro ducebantur, ad seminarii rectorem exclusive pertinerent, qui proinde crucem extollere, ac processiones per consuetas oppidi vias ducere valeret.

Verum, Episcopo Loschi e vivis elato, ipsius successor Rmus Neuschel die 12 novembris 1851 decrevit, ut rector *pro tempore* seminarii, in die festo titularis oratorii, Praepositum et Canonicos Collegiatae oppidi ad sacras functiones invitare, ut seminarii clerus primum ad Collegiatam ac deinde una cum populo ad ecclesiam parochialem processionaliter se transferre deberet; ut crux ecclesiae Collegiatae tantum elevaretur : tandem ut, sacris functionibus expletis, ad oratorium, eodem ordine retento, se restituèrent.

Praeter haec Episcopus praescriptionem diei 11 ianuarii 1851 confirmavit, quae varias functiones tum a Praeposito, tum a Canonicis loci *Bercelo* in seminarii oratorio celebrandas respiciebat, quaeque clericis in seminario degentibus oratorium in quibusdam solemnitatibus claudendi, et ad ecclesiam parochialem accedendi onus imponebat, ut ibi sacras caeremonias exercere valerent. Uno verbo Episcopus imme-

diatae parochi loci *Berceto* iurisdictioni oratorium et seminarium subiecit.

Res sic se habebant, quum, ecclesia parochiali ob mortem titularis viduata pastore, Rmus Dominicus Villa, pro tempore Episcopus parmen. die 25 augusti 1880 decreta Episcopi Loschi in vigorem revocavit.

In vim citati decreti non modo publicum seminarii oratorium episcopale denuo declaravit, sed etiam ipsius rectori omnia iura parochialia tribuit circa personas inter seminarii septa degentes.

Hoc peracto, praecepit, ut praeeminentia'quoad processiones, quae extra oratorii vel seminarii septa locum habebant, ad praepositum pertineret, ut functiones festivae, quae in seminarii oratorio fieri solebant, vel ante vel post functiones parochiales celebrarentur; denique ut tam clerici externi, quam in seminario degentes diebus festivis in ecclesia parochiali servitium praestare tenerentur, quoties hi invitati fuissent et absque disciplinae praeiudicio ab instituti rectore veniam obtinuissent.

Contra huiusmodi decretum sub die 15 martii 1882 sacerdos Orsi, actualis Praepositus S. Congr. Episc, et Regul. recursum porrexit, petens ut ipsum nullum declararetur, nedum quia eius iura laedebat, verum etiam quia in causa erat, ut antiqua iurgia et scandala renovarentur.

Super huiusmodi supplici libello Episcopus, ceu de more, requisitus, sub die 29 maii eiusdem anni respondit, a veritate esse aliena quae Praepositus S. C. Episcop. et Regul. retulerat. Se autem motum fuisse ad huiusmodi decretum promulgandum, tum ne institutum disciplinae iacturam diutius pateretur, quandoquidem clerici in instituto degentes nimis frequenter ad ecclesiam parochialem, quae quingentis circiter passibus a seminario distat, accedere debebant; tum etiam quia ipse Praepositus exigebat, ut clerici externi in functionibus de requie servitium praestarent, quae in diebus ferialibus fieri solebant eo tempore, quo lectiones habebantur.

Hisce omnibus adiecit, huiusmodi decretum, ecclesia parochiali vacante, latum fuisse: ideoque Praepositum Orsi parochi officium suscipere haud debuisse, si citatum decretum pro accepto habere nolebat.

Dum haec agebantur, accidit ut Episcopus ex hac vita decederet : hinc iudicium suspensum remansit.

Verum haud multo post instauratum fuit per Episcopum Miotti, qui vix ad illam sedem evectus S. C. Episcop. et Regul. adivit, petens ut, ad extinguenda mala et iurgia, quae paroeciam loci *B er ceto* in antecessum afflixerant, oratorium et adnexum seminarium a paroecia in perpetuum dismembraretur et omnia parochialitatis iura super oratorium et seminarium nec non super personas in seminario degentes rectori *pro tempore* conferretur.

Disceptatio Synoptica

QUAE EPISCOPO FAVERE VIDENTUR. Favore Episcopi adducta fuit doctrina Lucii Ferraris, qui in suo opere *Bibliotheca canonica* etc. verb. *Dismembratio* n. 1 ait : *Dismembratio est quaedam species alienationis ;* nec non auctoritas s. Rotae part. 7 recent, decis. 68, n. 1 ; et part. 10 decis. 90, n. 8, in qua sub num. 9 de dismembratione legitur: *Et sic ut sustineatur, requiritur necessitas causae et evidens ecclesiae utilitas.*

Porro in themate adesse causae necessitatem et evidentem ecclesiae utilitatem nullatenus dubitare sinit Episcopi informatio, qui asserit tantummodo ex seminarii eiusque oratorii dismembratione ac subtractione a parochiali iurisdictione tranquillitatem parochianorum loci *Bercelo,* cleri pacem, rectam seminarii administrationem eiusque valetudinem ac prosperitatem obtineri posse.

Huiusmodi vero dismembrationem non esse rem novam, ipsamque in pluribus Italiae seminariis et praecipue in Venetiarum seminario locum obtinere inquit. Hisce tum in facto tum in iure adductis, Episcopus concludit, seminarii, eiusque oratorii, dismembrationem ac substractionem a parochiali iurisdictione utpote utilem, et necessariam decernendam esse.

QUAE PRAEPOSITO FAVERE VIDENTUR. Verumtamen ex altera parte Praepositus pro viribus sustinet, seminarii ac ipsius oratorii dismembrationem et substractionem a parochi iurisdictione, ab Episcopo invocatam, litium ac discordiarum seminarium esse, ad quas extinguendas necesse esse, ut seminarium et adnexum oratorium iurisdictioni Praepositi

subiiciatur, ceu decretum ab Episcopo Neuschel die 22 novembris 1851 latum statuerat.

In vim memorati decreti, per decursum fere triginta annorum, nihil accidisse contendit, quod pacem concordiamque seminarium inter et parochiam existentem turbaverit. Vicissim decretum diei 25 augusti 1880 in causa fuisse, ut inter seminarium et Praepositum veteres quaestiones et lites excitarentur, quas citatum decretum Episcopi Neuschel composuerat ac penitus extinxerat.

Hisce breviter pro utraque parte perpensis propositum fuit diluendum sequens

Dubium

An et quomodo locus sit dismemb rationi oratorii et adnexi seminarii a territorio paroeciae loci Berceto *in casu?*

RESOLUTIO. S. O. Episc, et Regul. sub die 13 martii 1891: *Refórmalo dubio ut sequitur : - An et quomodo sustineantur decreta 28 augusti 1880 et 18 aprilis 1881* - respondere censuit : *Affirmative et amplius.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

PICTAVIEN. Decretum Beatificationis ed Canonizationis ven. Servae Dei Ioannae Elisabeth Bichier des Ages confundatricis Congregationis Filiarum Crucis vulgo Sororum sancti Andreae.

Scripta, quae praedictae Ven. Servae Dei Ioannae Elisabeth Bichier des Ages attributa, quaeque Sacrae Rituum Congregationi exhibita fuerunt, ut super iis revisio et examen ad tramitem Decretorum institueretur, in sequenti elencho describuntur videlicet.... *(Sequitur scriptorum elenchus).*

Proposito autem ab Emo et Rmo Domino Cardinali Raphaele Monaco La Valletta, Episcopo Ostieri, et Velitern. Causae Ponente in Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis Dubio super revisione peracta horum scriptorum, Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post eiusdem Emi Viri relationem, omnibus mature perpensis, auditoque R. P. D. Augustino Capram Sanctae Fidei promotore, rescribendum censuerunt: *Nihil obstare quominus procedi possit ad ulteriora,., reservata tamen facultate Promotori Fidei opponendi si et quatenus e iure.* Die 23 Aprilis 1891.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni XIII per sacrae Rituum Congregationis Secretarium relatione, Sanctitas Sua rescriptum eiusdem Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit. Die 13 Maii eodem anno.

C. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C Praefectus.

L. * S.

VINCENTIUS NUSSI S. R. C. Secretarius.

PICTAViEN. Decretum Beatificationis et Canonizationis ven. Servae Dei Ioannae Elisabeth Bichier des Ages confundatricis Congregationis Filiarum Crucis vulgo Sororum sancti Andreae.

Quum Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII benigne induisent ut de dubio signaturae Commissionis introductionis Causae Servae Dei Ioannae Elisabeth Bichier des Ages praedictae agi possit in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria absque interventu et voto Consultorum, licet nondum elapso decennio.a die praesentationis Processus Ordinarii in Actis Sacrorum Rituum Congregationis, nec ipsius Servae Dei scriptis perquisitis ac re visis, Emus et Rmus Dominus Cardinalis Raphael Monaco La Valletta Episcopus Ostiem et Velitern. Causae huius Relator, ad instantiam Rmi D. Raphaelis M. Virili, Antistitis Urbani eiusdem Causae Postulatoris constituti, attentis Postulatoriis Litteris nonnullorum Emorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Rmorum Sacrorum Antistitum aliorumque Virorum ecclesiastica vel civili dignitate illustrium in Ordinariis Sacrae ipsius Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit, nimirum : *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur ?* Et Sacra eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara, Sanctae Fidei promotore, rescribendum censuit: *Affirmative, seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 23" aprilis 1891.

Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit, propriaque manu signavit commissionem introductionis Causae ven. servae Dei Ioannae Elisabeth Bichier des Ages praefatae. Die 13 maii anno eodem.

C Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praefectus.

L. >£ S.

VINCENTIUS NUSSI S. R. C. Secretarius.

NULLIUS seu NONANTOLEN. Decretum confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti Hadriano Papae III. sancto nuncupato.

Rmus Dominus Carolus Borgognoni hodiernus Archiepiscopus Mutinensis atque Abbatiae Nonantolensis Sancti Silvestri Abbas Commendatari us, autumans ope monumentorum, quae satis authentica et perspicua existimavit, demonstrare se posse ab immemorabili tempore ac longe ante Decreta sa. me. Urbani Papae VIII praefato Summo Pontifici Hadriano III tributum fuisse publicum cultum ecclesiasticum, obtinuit a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII per decretum Sacrae Rituum Congregationis sub die 18 Ianuarii vertentis anni, ut in eiusmodi Causa ab ordinaria et iuridica inquisitione dispensaretur cuius vices plane supplebat 'documentorum series cura et studio ipsius Rmi Archiepiscopi collecta, quae deinceps in Actis eiusdem Sacrae Congregationis in authentica forma exhibita sunt; praevia tamen exegesi a R. P. D. Promotore Sanctae Fidei, loco animadversionum, exaranda.

Quare quum ad instantiam Rmi Domini Iulii ex Marchionibus Campori, Antistitis Urbani, huiusce Causae Postulatoris constituti in ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, a me infrascripto Sacrae eidem Congregationi Praefecto et Causae relatore propositum sit dubium: *An constet de casu excepto a Decretis s. m. Urbani Papae VIII in casu, et ad effectum de quo agitur?* Emi et Riïii Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, adductis monumentis rite perpensis, auditoque R. P. D. Augustino Capram S. Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative, seu constare de casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII,* die 2 Iunii 1891.

De quibus facta postmodum per subscriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideli relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis ratum habens, confirmavit cultum publicum ecclesiasticum ab immemorabili tempore praestitum praefato Sancto Hadriano Papae III die 10 iisdem mense et anno,

C. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praefectus.

L. * S.

VINCENTIUS NUSSI S. R. C. Secretarius.

EPISTOLA SSmi D. N. Papae Leonis XIII ad Archiepiscopos et Episcopos Regni Lusitani, qui excitantur ad habendos quotannis peculiares Episcoporum conventus, praeter congressiones, quibus etiam laici fideles intersunt, per quos mirabili modo consulitur bono fidei, quae apud plures in discrimine vocatur.

Pastoralis vigilantiae, qua ad tuendam fovendamque religionem vires intenditis, novum ac praeclarum Nobis argumentum praebuit conventus illustris Bracarae Augustae nuper actus, quem feliciter absolutum renunciavit Nobis gratissima epistola ab iis ex Vobis data, qui in eo consessu adfuere. Equidem in ea perlegenda delectati sumus tum zelo et sedulitate Pastoris civitatis quae congredientes excepit, quippe qui rei gerendae praecipuus auctor fuit coetuique sic praefuit ut optatos haberet exitus, tum studiis et pietate Antistitum qui sese eidem adiunxere socios, vel graves misere viros, vice sua perfuncturos in ea congressione, tum denique frequentia ingenti lectissimorum hominum e clero populoque fideli, doctrina, virtute et auctoritate praestantium. - Eo gratior autem conventus iste Nobis accidit quod mira fuerit animorum consensio in iis decernendis quae conferrent summopere ad Ecclesiae amplitudinem et rei catholicae profectum. Neque reticere volumus, inter alia quae opportune scita sunt suffragiis concordibus pro temporis locique ratione, non mediocre Nobis attulisse solatium ea capita quae devotam prorsus huic Apostolicae Sedi declarabant voluntatem coëuntium et studium, quo flagrant, ut debitus illi pro dignitate habeatur honor, neve quid de maiestate et iuribus eius minuatur.

Bona profecto Nobis spes inest fore ut ea quae conscita in eo coetu et constituta sunt, quum naviter constanterque peracta fuerint, largam effundant salutarium fructuum ubertatem: ac facere non possumus quin memoremus amplam adhuc prostare segetem quae operam poscit et industriam vestram. Ob eam rem, etsi non ita pridem datis litteris Vos alloquuti sumus de statu rei catholicae eiusque necessitatibus in Lusitano regno, deque ratione ineunda, ut iis commode prospiciatur, placet tamen iisdem litteris nonnulla adiicere, quae pretium esse ducimus communicare Vobiscum, ne, quum ultro oblata Vobis sit scribendi occasio, videamur segniter officio Nostro defuisse.

Haud Vos praeterit, dilecti filii Nostri, Venerabiles Fratres, quod Bracarensi coetui optime compertum fuit, eo deventum esse, ut fides ipsa apud plures in discrimine vocetur,' adeoque cavendum pro viribus sit ne ignorantia vel socordiâ ex animis excidat aut elanguescat, sed curandum ut haereat alte defixa cordibus et in bonis operibus cultuque virtutum laetam gignat copiam et dulcedinem frugum optimarum. Certandum est adversus conatus hostium veritatis ne latius serpat mala labes quae ex eorum exemplis, pravisque doctrinis passim effusis promanat. Multa sunt consananda vulnera, quae istorum labor improbus et calamitas temporum gregibus intulit curationi vestrae commissis, multa sunt excitanda quae iacent, multae adhuc animas fidelium premunt necessitudines, quas, si penitus tolli nequeunt, leniri saltem oportet.

Haec, quae, uti diximus, curas flagitant et industriam vestram, plenius et commodius effici poterunt si arctior in dies inter sacrorum Antistites concordia fiat, eorumque sit opera coniunctior in necessitatibus cleri et fidelium explorandis, in conferendis consiliis ac decernendis iis, quae communiter visa fuerint expedire cum singularum dioecesium rationibus, tum iis quae latius patent et altius eminent, quippe quibus gentis universae prosperitas et salus continetur. Arctioris huius consociationis inter sacrorum Antistites opportunitas minime latuit eorum prudentium qui Bracaram Augustam convenere : quare probatissima Nobis ea scita fuerunt illustris coetus, quae ad hanc coniunctionem fovendam spectabant, per quam fidelis populus ampliora expectat eaque diuturna benefacta a praesulibus suis, quibus ducibus et rectoribus utitur.

Atqui ad summam hanc denique duraturam coniunctionem efficiendam nihil praestabiles est more et instituto in aliis regionibus iam recepto, ut praeter congressiones quibus etiam laici fideles intersunt, cuiusmodi coetus Bracarensis fuit, agantur quotannis peculiares Episcoporum conventus, quem morem penes vos etiam induci et Vobis in votis esse novimus et Ipsi magnopere optamus, quum bona eius ope religioni parta, multiplici et constanti eluceant experientiae testimonio. Sane ex huiusmodi conventuum frequentia primum ea sequitur, quam diximus, summa consensio et consociatio virium, quae una magnis inceptis faustos dare potest exitus, tum coëuntium Antistitum magis magisque incenduntur ad agendum animi, confir-

matur fiducia, collustrantur mentes collatis consiliis et invicem sapientiae luminibus communicatis. Ad haec per hosce coetus sternitur via quodammodo cum ad dioecesanas et provinciales habendas Synodus, tum ad cogendum nationale concilium, cuius celebrationem Vobis in optatis esse magnopere gaudemus, eam namque diuturna experientia utilitatis e similibus praegressis captae vehementer suadet, et sacrorum canonum praescripta maiorem in modum commendant. Porro ex. annuis, quos diximus, Antistitum conventibus illud etiam optimum sequitur, ut laici fideles novis veluti stimulis admotis alacrius gradientes ea quam iniere via pergant et ipsi conventus agere, consilia conferre, iunctisque viribus conniti ad communem tuendam religionis causam, ac dicto audientes Pastoribus suis ea studiose peragere quae ab ipsis docentibus et cohortantibus exceperint. Neque vero congredientibus Vobis in coetibus annuis negotiorum copia defutura est, quibus vos oporteat, studium operamque navare. Nam praeter peculiaria negotia quae forte in singulis dioecesibus inciderint, quaeque rectius expediri potuerint adhibitis communis experientiae luminibus, amplam praebebit segetem prudentiae et consultationi vestrae deliberatio et constitutio eorum quae maxime profutura sint ad incendenda sacerdotum studia, qui modo operantur in vinea Domini, atque ad alumnos excolendos quos enitere aliquando oportebit in Domo Dei, solidae scientiae lumine, germani spiritus ecclesiastici laude, omni demum sacerdotalium virtutum ornatu. Item paternam vigilantiam vestram exercebit diligens inquisitio eorum quae plurimum conferant, ut fidei rudimentis populus recte imbuatur, eiusque corrigantur mores, ut scripta vulgentur quae sanam doctrinam serant, et virtutum germina foveant, ut opera instituantur quae benefacta caritatis effundant, et quae iam condita sunt novis floreant incrementis. Gravissimum denique argumentum deliberantibus Vobis datura erit opportunitas constituendi recipiendique in Lusitano Regno religiosas sodalitates, cuius rei periucunde vidimus summam fuisse curam omnibus qui Bracarae Augustae congressi sunt. Scilicet haec sodalitia non modo auxiliares quasi copias suggèrent clero qui in dioecesibus vestris sacram Christi militiam colit, sed etiam, quod plurimi est, sufficere poterunt Apostolicos viros qui sacrarum missionum obeant ministerium in regionibus transmarinis Lusitanae ditioni subiectis. Huius autem perfunctio muneris cum

ad amplificandum Christi regnum in terris erit profutura, tum ad Lusitani nominis ornamentum et decus. Sane perennem adepti sunt gloriam Principes et maiores vestri quum, amplis quae latuerunt regionibus detectis, evangelicae doctrinae lumen una cum politiori humanitatis cultu, favente ac iuvante Apostolica Sede, iis attulere. Verum ut praeclaris hisce inceptis sua constet natura et vis, neque ea a pristina gloria et stabilitate decidant, nitantur oportet constanti praesidio et virtute praestantium virorum, qui divino spiritu oppleti et contra adversos acatholicorum conatus obnitentes, studium omne suum et operam conferant ne omnino intercidant, sed novo indito vigore reviviscant ea bona quae in eas oras e Lusitana regione fluxerunt. Horumce virorum erit contendere ut qui iam crediderunt in Deum confirmentur in fide: hanc qui firmiter tenent, prae se ferant etiam honestate morum, religionis cultu, summa in servandis officiis diligentia, demum ut qui iacent adhuc in tenebris sese ad cognitionem veri Dei et ad evangelii lucem accipiendam convertant.

Iamvero plures huiusmodi viros sanctos flagrantes zelo large praebere poterunt religiosae sodalitates, quarum alumni, prudentium virorum iudicio, cui aetatum omnium suffragatur experientia, non minus feliciter quam laboriose perfungi consueverunt hoc ministerio salutis. Hos enim cum societatum quibus addicti sunt ratio et disciplina, tum sua cuiusque virtus constanti exercitatione exculta tanto pares operi prae ceteris solet efficere.

Nobis profecto persuasum est fore ut Lusitanum Gubernium prona excipiens aure consilia vestra eaque bona plurimi faciens quae ceteris antecellunt, ultro amoliatur óbices omnes qui religiosarum sodalitatum libertatem intercipiunt, ac potestate sua faveat studiis vestris quae eo spectant ut pleno robore vigeat lateque floreat cum avita gloria catholica religio in Lusitania locisque omnibus ditioni eiusdem adiectis.

Hanc autem persuasionem eo facilius induimus quod iam neminem latet, prout et Vobis compertum est, quaenam Nostra sint hac super re consilia et vota. Haec scilicet, dum ad religionis bonum feruntur, intendunt pariter solidam Lusitanae gentis prosperitatem. Hoc enim munus, hae partes Ecclesiae a divino Conditore datae sunt ut in communi hominum societate vinculum pacis sit et salutis praesidium. Quare nihil detrahit

Ecclesia de potestate eorum qui civitatibus cum imperio praesunt, illam imo tuetur ac roborat, dum legibus ab ea manantibus sanctionem religionis addit, debitam magistratibus observantiam inter officia a Deo imposita recenset, commonet cives ut a seditione et quavis rei publicae perturbatione abstineant, docet omnes virtutem colere et munia sedulo obire quae cuiusque statui et conditioni cohaerent Est itaque Ecclesia morum magisterium optimum, cuius salutaris disciplina cives praestat probos, honestos, pios in patriam, fideles principibus iisque addictissimus, tales demum qui publici civitatum ordinis stabile firmamentum constituant, iisque vires praebeant invictas ad ardua quaeque et praeclara aggredienda facinora. Eapropter rei publicae salubriter utiliterque consulitur quum Ecclesiae sinitur ea uti agendi libertate quam iure vindicat, eique amice via sternitur ut late explicare beneficas vires suas, et omnem quo praedita est instructum in commune bonum valeat adhibere.

Quae quidem sententia licet ad gentes omnes pertineat, aptissime tamen cadit in Lusitanum populum, penes quem catholicae religionis pars tanta fuit iampridem in fmgendis hominum moribus et ingenio, in fovendis scientiarum, litterarum et artium studiis, in inflammandis animis ad egregia quaeque domi militiaeque gerenda, ita ut videatur quasi parens et altrix divinitus data ad pariendum fovendumque quidquid in ea gente enituit humanitatis, dignitatis et gloriae.

Fusius hac de re vobiscum egimus in memoratis litteris encyclicis quas dudum ad Vos dedimus; hoc unum modo praestat recolere, religionis vim et virtutem nullum pati interitum, quia ea quae tradit principia doctrinae, Deo auctore, nullis temporum locorum ve finibus coërcentur, quippe ad salutem et solatium pertinent populorum omnium. Quare ea beneficia maxima, et valida praesidia quae alias attulit praenobili genti vestrae potis est adhuc praestare ad eius salutem, prosperitatem et decus. Hoc praesertim tam iniquo tempore, quo tanta est animorum infirmitas vel perturbatio ut oppugnentur audacter, nedum in incertum revocentur, summa principia quibus humanae societatis ordo et tranquillitas continetur, nemo est quin intelligat quam necesse sit religionis uti praesidio et sanctis quae ab ea traduntur praeceptis ac documentis.

Convenit enimvero inter cordatos omnes honestosque viros nullum certius esse aptiusque remedium adversus mala, quibus

nostra premitur aetas et pericula quae impendent, quam doctrinam catholicam, si integra excipiatur et incorrupta, eumque teneant homines vitae cursum, qui ad normam eius exigatur.

Quamobrem non ambigimus, Dilecti Filii Nostri, Venerabiles Fratres, quin eo quo praestatis pastorali zelo, animi vi et constantia manum admovere properetis operi quod Vobis commendavimus. Ita Vobis agentibus erit summae laudi iustaeque gratulationi quod optime mereri potueritis de religione, cui studetis summopere, ac de patria et gente vestra, qui vehementer optatis, non minus quam cupimus Ipsi, ut constet immota tranquillitas et cuncta ex sententia procedant.

Deum interea adprecantes, ut Vos suis muneribus cumulet et vestra propitius incepta secundet, Apostolicam benedictionem, paternae caritatis testem Vobis, Clero et fidelibus vigilantiae vestrae concreditis, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxv Iunii anno MDCCCLXXXXI,,. Pontificatus Nostri decimo quarto.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

OINGULANA

ABSOLUTIONIS ET REDUCTIONIS ONERUM.

Die ***3i*** *Ianuarii* ***i891.***

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Hieronimus Raffaelli canonicus cathedralis ecclesiae Cingulanae refert, se a nonnullis annis administrationem gerere pii sodalitii a Suffragio ; et in hoc munere ex aliquali convenientia adactum fuisse facere satis personaliter oneribus dicti pii sodalitii, excipiendo stipendia etiam minora illis, quae communiter offerri solent : et hac de causa, ut ipse ait, ab anno 1883 ad Aprilem anni 1890 omisisse 172 missas ex oneribus suo canonicatui adnexis.

Horum itaque condonationem in primis postulat, et insuper ut in posterum onus 80 missarum eidem suo canonicatui adscriptum dimidietur, duplicem hanc allegans causam 1. quia angustiis oeconomicis premitur, 2. quia annuus reditus suae praebendae, qui olim 1250 libellas excedebat, nunc 750 non attingit.

Disceptatio Synoptica

Imminutis notabiliter reditibus locum quoque esse, saltem ex Apostolico indulto , congruae onerum reductioni, res vulgatissima est et apud S. C. C. recepta : itemque succurrendum esse sacerdoti qui in egestate versatur, quique ex suscepto munere aliquod tulit incommodum: celebravit enim aliquot missas infra synodalem taxam, pietas ipsa et aequitas suadent, praesertim si, uti in casu, favorabile Episcopi votum suffragetur.

Cui accedit, clausulam a fundatore adiectam, Apostolicae Sedis potestatem auferre non posse, nec exercitium illius iuris impedire quod in commutatione piarum voluntatum natura sua ad Supremam Potestatem competit. Quapropter obiecta verba id solummodo importare videntur, ut sub alia efficaciori forma exprimatur propositum ac lex testatoris, ne sua voluntas sine iusta causa pessumdetur.

At vero ne preces exaudiantur obstat peculiaris fundatoris voluntas, quae sub lege caducitatis prohibet quominus onerum reductiones petantur.

Quibus praenotatis, quaesitum fuit quomodo preces essent dimitte ndae.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita sub die 31 Ianuarii 1891, censuit esse respondendum : *Pro gratia condonationis quoad praeteritum* celebrato aliquo numero missarum,, prudenti arbitrio Episcopi determinando, et reductionis quoad futurum ad 40 Missas.*

CARTHAGINEN.

DISTRIBUTIONUM

Die 11 Aprilis 1891.

Cap. 1 sess. 5 De inst. lect. De Script.

COMPENDIUM FACTI. Quadraginta abhinc annis mos penes Carthaginensem ecclesiam invaluerat, ut canonicus theologus, qui, loco lectionis scripturalis in cathedrali, hermeneuticam sacram in dioecesano seminario tradit, stipendium lib. 825 quotannis, propter huiusmodi laborem ab eodem Seminario perciperet, et nihilominus quotidianas chori distributiones, licet absens, assequeretur iis diebus quibus lectiones habebat.

Affirmat capitulum se hucusque ignoravisse hac peculiari mercede theologum fuisse auctum ; « ast certissimum est, utor Episcopi verbis, si non forsan capitulum, id optime novisse canonicos : praeter duos enim consiliarios disciplinae, quos appellant, ac duos ex quatuor deputatis ad oeconomicam seminarii administrationem, qui iuxta decretum Conc. Trid. semper e gremio capituli assumuntur, canonicus fere semper fuit rector seu moderator seminarii, canonicus quoque eiusdem oeconomus generalis, canonici pariter cancellarii curiae episcopalis, qui quidem omnes pro munere suo super oeconomica administratione seminarii intelligebant, adeoque illos nullo modo latere potuit pensio assignata ex reditibus eiusdem seminarii canonico theologo. >

Quidquid sit, nuper capitulum in nova statutorum confectione ad *art. 34 n. 9* haec decernebat: « Theologus ut praesens reputabitur in choro pro integro die quo lectionem habuerit in cathedrali ; sed pro horis respectivis tantum, si mane vel sero legerit in seminario, aeque ac ceteri canonici qui ex mandato Episcopi ibi munus magistri obierint; sed nullus ex his lucrabitur distributiones si pro labore mercedem vel gratificationem perceperint. »

Ast Episcopus, cui nova capitularia statuta fuerunt delata, ut ea iuxta iuris praescripta cognosceret suaque aucto-

ritate firmaret, « ab approbatione articuli 34 prudenter supersedeo, ut ipse ait, decrevi, usque dum auditorem assessorem Nunciaturae apostolicae consulerent >

Interim tamen canonicus theologus supplici libello ad S. G. C recurrebat sequentium dubiorum solutionem expostulas : 1. *licetne Episcopo in casu assignare mercedem ex reditibus seminarii canonico theologo, istigue eamdem percipere propter laborem ac molestiam theologali muneri adiectam: 2. habebit ius etiam canonicus theologus ad percipiendas etiam distributiones quotidianas pro horis quibus legit in seminario una cum praedicta mereede ?* - et quatenus negative, - 3. *tenebitur orator ad restituendas vel distributiones vel assignationem superioribus annis perceptas ?*

Episcopus super his rogatus retulit in primis, auditorem Nunciaturae apostolicae, quem hac desuper quaestione pridem consulerat, his diebus sibi respondisse quod statutum sit reformandum, totumque negotium arbitrio Episcopi relinquendum » — se autem haec sentire :

« In condendo statuto, de quo in precibus theologi agitur, mea mens est, capitulum ius excessisse et modum. Ius : cum enim nulla sit lex quae canonico theologo prohibeat accipere pro munere explendo aliquid aliud super fructus et distributiones quotidianas praebendae, ad dandas vel negandas quotidianas distributiones capitulo tantum incumbit videre, an theologus modo, die, hora et loco ab Episcopo praescriptis, legat, necne : ita enim legenti, non capitulum, non Episcopus, sed sacri Canones, RR. Pontifices, et nominatim Gregorius XIII, *inter essentiam* choro, horis quibus legit theologo attribuunt? Quod ergo praeiudicium capitulo obvenit, ex eo quod theologus pensionem, quam ipsum non solvit, etiam accipiat ? Nonne hoc potius non erit vellicare agendi rationem quam usque nunc habuerunt Episcopi, ipso tacente ac consentiente capitulo? Dare ergo vel negare canonico theologo, praeter quotidianas distributiones, pensionem ex redditibus Seminarii, ab -arbitrio Episcopi, cuius au-

ctoritati subest administratio Seminarii, una cum deputatis a Synodo Tridentino praescriptis, unice pendet. Equidem praedecessores mei prudenter cogitantes valde proficuum fore ampliori instructioni iuvenum, qui studiis in Seminario vacant, si pro lectione sacrae Hermeneuticae aliquid erogaretur canonico theologo, atque iustum animo reputantes, ut pro aucto labore, augeretur etiam retributio, incunctanter mercedem ex redditibus Seminarii annuatim persolvendam canonico theologo constituerunt. Ego ipse, dum sex ab hinc annis Dioecesis gubernacula tractanda suscepi, hanc consuetudinem aequam ac salutarem reputans, usque nunc servavi, et in posterum servandam esse optimum iudicarem. »

« Nec in tali condendo statuto modum tenuit capitulum, quem praescribit Concilium Romanum sub Benedicto XIII celebratum *tit. II De Constitut, cap. V,* quod hac super re semper normam praebuit ac regulam. Praedictum enim statutum non solum *ab usu recepto et approbato,* per 40 fere annos, quibus in hoc Seminario legunt theologi *exhorbitat :* sed ei potius apertissime contradicit, nec *ad divini cultus augmentum* sanctioris disciplinae observantiam* et ecclesiae utilitatem** quid conferat, video.

« Ex quibus omnibus concludam, quod si canonico theologo non foret ius e stricta iustitia promanans ad exigendam mercedem usque nunc illi persolutam, saltem ei licebit eam accipere, ac multo magis licebit Episcopo dare mercedem, quam instruendis tyronibus ecclesiasticis valde proficuam iudicat: ast nullo modo licebit capitulo denegare quotidianas distributiones canonico theologo, qui iuxta modum ab Episcopo praescriptum, legat. Si vero theologus, mea sententia, potest licite percipere in praesenti mercedem ex redditibus Seminarii, nulla ei amplius remanebit obligatio circa pensiones praeterito tempore bona fide datas et acceptas. >

Ex parte autem sua canonicus theologus perceptionem pensionis sibi licitam esse, nec amissione distributionum mulctandam tenet ac tuetur hisce de causis: 1. Pro quadraginta lectionibus annuis quae canonico theologo a Concilio

Romano sub Benedicto XIII assignantur, orator octo mensibus queis durat cursus scholaris, legit quotidie in seminario; — 2. Edocens in seminario tenetur orator curam habere discipulorum, tum quoad assistentiam cathedrae, tum quoad profectum in studio, quae non parvam molestiam ac laborem secum afferunt ; — 3. Programma lectionum pro examine iuvenum tenetur annuatim conficere, illosque in fine cursus examinare : quibus etiam accedit, quod dum chorus in cathedrali mane una hora ordinarie absolvitur, lectio theologi in Seminario ad horam cum dimidio quotidie protrahitur, aliquasque distributiones inter praesentes ob assistentiam lectioni etiam amittit. »

Ast capitulum ex adverso recolit, — canonicis *de officio* nuncupatis, quos inter connumeratur theologus, regio diplomate anni 1852 de consensu apostolici Nuntii edito^ onus impositum esse edocendi seu legendi in seminario: actualem vero theologum carthaginiensis cathedralis huic obeundo muneri se insuper expresse submisisse, et iureiurando assensum praebuisse litteris edictorialibus concursus, in quibus assignatum erat ei onus sacram scripturam edocendi, loco, tempore, modo et forma arbitrio praelati. Ex quibus videre licet, canonicum theologum tamquam ex munere officii sui ad lectiones in Seminario teneri. Cui accedere, canonicos, vulgo *de gratia* in Plispania pensionem annuam a gubernio 3000 libellarum percipere; dum canonicus theologus aeque ac ceteri *de officio* 3500 ; idque fortasse intuitu muneris iisdem inhaerentis; alias enim nemo est qui huiusmodi augmenti veram causam explicet. Denique Capitulum Toletanum et Hispalense, adprobatione consequente Ordinariorum, statuerunt, canonicum theologum aliosque canonicos *de officio,* qui doceant ex onere propriae praebendae, amittere debere distributiones, pro diebus et horis, quibus docent, quatenus percipiant retributionem in hunc finem.

Disceptatio Synoptica

Hisce ex actorum fasciculo depromtis, nonnulla in mentem revocata fuerunt quae ad ius pertinent. Atque in primis ex *cap. 1 sess. 5 Be inst. lect. S. Scrip.* in Conc. Trid. haec statuta reperiri : « Docentes vero ipsam s. Scripturam, dum publice in scholis docuerint, et scholares, qui in ipsis scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum praebendarum et beneficiorum suorum in absentia a iure communi concessis plene gaudeant et fruantur. »

Quorum verborum duplex possibilis videbatur interpretatio. Nam cum Concilium dixisset *privilegiis omnibus de perceptione fructuum praebendarum... plene gaudeant,* haud temerarium erat coniicere, docentes s. Scripturam, et hos inter canonicum theologum vindicare legitime sibi posse nedum fructus, qui stricte praebendales, sed etiam qui accessorie praebendales vocari possunt, nimirum distributiones.

Verum aliud prorsus S. C. C. censuit. Nam primis post Concilium temporibus S. C. C. rigidiori interpretationi adhaerens, passim constanterque respondit, canonicum theologum, quotidianas distributiones non lucrari, quoties divinis non intersit ; Cfr. Petra in *Commen. ad const. Innocentii V n. 53* et Fagnanus in *cap. Licet De praebend. n. 116.*

Nisi quod serius, ut refert idem Card. Petra, recurrente canonico theologo Eginattensis ecclesiae, *an per horas quibus legit quotidianas distributiones lucrari posset,* S. C. C. iterum consulendo censuit : « Distributiones quidem-non deberi, sed agendum cum SSmo pro gratia. > - Quapropter ad Gregorium XIII re delata, tunc primum ex huius Pontificis oraculo statutum est, ut canonicus theologus distributiones, licet absens, lucraretur tota die qua legit. Res tamen gratiae ab initio erat : unde S. C. C. rescribere consuescebat, uti in *Tropien.* 9 Maii 1597 : « Auctoritate sibi tributa S. C. indulget^ ut eo die quo theologus sacram legit scripturam ex munere sui officii, ad praescriptum Concilii, percipere possit distributiones quotidianas, quamvis divinis non

intersit. » Quae dispensatio deinceps omnibus indistincte concessa, procedentibus annis, in communem regulam transiit et ius commune factum est.

At quo stabilior magisque praescripta evasit regula de theologi praesentia in choro fmgenda pro diebus in quibus sacram is habet lectionem; eo incertior disciplina obtinuit quoad reliqua, quae ad eumdem theologum attinent. Etenim relate ad locum, tempus et modum habendarum lectionum earumque numerum nil in iure praecise invenitur determinatum. Concilium Romanum anni 1725 quadraginta saltem lectiones in ipsa Cathedrali ecclesia utique praescripsit ; sed concilium huiusmodi, quod provinciale erat, legem ceteris ecclesiis non tulit; quapropter extra Romanam provinciam, tum quoad numerum, tum quoad modum, locum ac tempus habendarum lectionum res, ut plurimum, commissa est prudenti Episcoporum arbitrio et consuetudini, prout nonnullis adductis exemplis et auctoritatibus probat Lucidi *Visit. S. Lim. tom. 1 pag. 372 n. 194 edit. an. 1882* et deducitur ex *Sarsinaten.* 9 Sept. 1843 *Piscien.* 23 Martii 1839 aliisque pluribus causis coram S. C C . actis.

Unde pluribus in locis mos invaluit ut theologus, loco lectionis scripturalis in cathedrali ecclesia, sacram Scripturam vel etiam theologiam dogmaticam aut moralem clericis in Seminario explanet : quam praxim nedum in Italia atque alibi, sed etiam penes aliquas Hispaniae ecclesias, idque vel ante annum 1853, inductam fuisse constat ex *Çaurien.* acta *p. sum. prec,* coram S. C. C. die 26 Augusti 1848.

At post annum 1852 cum ex regio decreto, ab apostolico Nuntio recognito, cuius etiam Carthaginense capitulum meminit, commendatum fuerit Hispaniae Episcopis, ut canonicis *de officio* dictis, idest magistrali, doctorali, poenitentiario et theologo seu lectorali onus docendi in seminario imponeretur, factum est, ut ex hoc tempore canonico theologo, sicut et aliis de *officio* generaliter in Hispania hoc munus accesserit.

Iamvero theologum in Seminario docentem ius habere ad

quotidianas distributiones certa sententia est, quam S. C C. praesertim pro Hispaniae ecclesiis, saepe firmavit, licet aliquando pro tota die, aliquando vero pro horis dumtaxat quibus legit, distributiones theologum lucrari duxerit. Sic e. g. in citata *Caurien.* statutum est « ut canonico theologo integrae tradantur quotidianae distributiones pro diebus quibus legit, perinde ac si choro personaliter adesset, non obstante statuto capitulari. » Pariter in *Barchinonen. p. sum. prec.* die 2 Iunii 1860 posita quaestione « utrum lecto ralis gaudeat privilegio exemptionis a choro pro tota die... cum acquisitione distributionum, licet semel tantum mane vel sero doceat » responsum est, *gaudere pro integra die qua habetur lectio.* Ast vicissim in *Pampilonen. p. sum. sum. prec.* die 16 Decembris 1882 decretum est : « In casu de quo agitur can. theologum choro abesse ac distributiones lucrari posse pro iis tantum horis quibus legit in Seminario, onerata conscientia. » (1)

Quaenam porro ratio EE. PP. moverit ad decernendum, ut in duobus prioribus casibus pro tota die, in tertio vero pro horis tantum, praesentia chorali theologus frueretur, ex folio S. C dignosci facile non datur. Quidquid sit, et non obstante hac discrepantia, salvum semper in his decisionibus manet principium de theologi praesentia, saltem dum actu legit, in choro fingenda.

At si quaestio fiat de distributionum perceptione in peculiarissimo casu, quando nempe theologus pro munere docendi in seminario aliquo augetur stipendio, haud facilis videtur responsio. In *Piacentina* in Hispanus** ad dubium *an canonicus magistralis pro munere quod in seminario exercet ius habeat percipiendi emolumentum* vel potius distributiones quotidianas tantum lucrari debeat in casti** S. C. C die 17 Iunii 1882 respondit : *Negative ad i partem* affirmative ad 2.* (2).

Verum huiusmodi resolutio non videtur urgeri absolute

(1) Quaestio haec relata fuit Vol, XV, 463.
(2) Piacentina adest relata Vol. XV, 203.

posse, nec proprie applicari casui, de quo in praesenti folio res est. Siquidem prae primis in *Piacentina* de canonico magistrali agebatur et non de theologo : et, ut alia omittam, S. C. C. in *Qxomen. Sttbstitutionis et distributionum* die 3 Augusti 1889 ostendisse videtur haud eadem lance theologum ac ceteros canonicos de officio esse accipiendos. Propositis namque dubiis, 1. *an et quousque canonicus doctoralis dum in seminario magisterii munere fungitur* praesens in choro habendas sit in casu; 2. an cum eoo causa infirmitatis non possit per seipsum lectionem habere teneatur aliquem suis sumptibus sibi in magisterii munere subrogare in casu;* EE. PP., quin ius pro canonico theologo vigens doctorali applicarent, maluerunt resolutionem differre, et iubere informationes exquiri, quae tamen ad S. O. O. adhuc pervenisse non perhibentur.

Ast ulterius in *Piacentina* controversia huc proprie vertebat. Doctoralis, qui onus in seminario docendi ab initio in institutione susceperat, plus minusve admittebat obligatione personali se ad id muneris teneri, at negabat huiusmodi onus suae *dj(* iiectum esse praebendae : et idcirco subdëbat se, utpote sine consentanea causa absentem, ius non habere ad quotidianas distributiones, imo quas per 4 annos perceperat restituendas asserebat ; sed ius vicissim habere ad stipendium a seminario. Episcopus vero ex adverso dicebat, onus docendi adiectum esse doctorali praebendae ; nam in statutis capitularibus cauta haec erant : in futuro incumbet praebendae *de officio* onus docendi in Seminario, quidquid Episcopus constituat et hora qua innuerit : ipsi autem ex quo onus susceperint, habebuntur praesentes in choro eodem modo ac mensura quibus canonicus lectoralis.

In *Piacentina* igitur quaestio erat, an doctoralis ob magisterii munus praesumere posset peculiare a seminario stipendium loco distributionum, quae ipsi ultro concedebantur quasque tamen is recusabat. In praesenti vero causa disceptatur utrum theologus ob idem munus percipere possit a seminario stipendium, quod ultro ei datur, quin tamen, possit.

a capitularibus distributionum privatione idcirco mulctari. Punctum igitur quaestionis in *Piacentina* paulum esse a re nostra diversum videtur.

Unde tandem nisi pro principio et regula iuris ponatur, theologum distributiones lucrari omnimodo absoluteque non posse, quoties certum stipendium ob magisterii munus ipse assequatur, uno verbo, nisi retineatur incompatibilia prorsus esse haec duo, videlicet distributionum acquisitionem, certamque, scholae causa, retributionem, profecto contentio capituli in themate non videtur valida neque admissibilis.

Huc autem quaestione perducta, non ideo tamen liquet. Nam licet in thesauro resolutionum S. C. C. exempla diligenter conquisita fuerint, nullum tamen inventum est, quod praesenti controversiae aptari ad unguem possit. Nec, praescindendo ab exemplis, iuridica ratio tam obvia datur, aut certa iurisprudentiae regula tam cito occurrit, quae in alterutram partem iudicium praevalenter impellat. Nam ex una parte odiosum valde et ab aequitate alienum videtur suspiciose in dies scrutari utrum theologus ob magisterii munus aliquam, etiam ultro datam largitionem scholae causa obtineat, eoque constito, distributionum dispendio eumdem statim mulctare, quasi si incapax esset acquirendi, et absolute a quacumque etiam sub donationis aut gratificationis titulo, retributione assequenda prohibitus. At ex altera parte quum exemptio a choro cum distributionum acquisitione data sit theologo quasi ex gratia, atque ex supposito gratuiti magisterii; et quum insuper ad peculiarem eius laborem rependendum, plerumque et etiam in casu de quo agimus, pinguiori quam ceteris praebenda ipse donetur, denique quum exemptio a punctaturis strictae interpretationis videatur, eo quod in damnum ceterorum inservientium cedit ; hinc sub hoc aspectu haud iniquum apparet theologum punctaturis subiici, quoties sin minus certo stabilique stipendio pro magisterii munere augeatur. Dixi sin minus : nam, si de insueta et omnino extraordinaria largitione ageretur, ad extremum illud res urgenda forte non esset.

Et haec quidem ad rationes iuridicas theologali muneri intrínsecas pertinent. Quod si extrinsecis ulterius analogiis huiusmodi materia illustrari liceret, abs re certe non esset in mentem revocare quae recepta disciplina de canonicis curatis sancit. Sane, ceu notum est, non raro contingit ut penes capitulum resideat abitualis animarum cura, ita ut actualis per aliquem 4e suo gremio exerceatur ; aut etiam ut alicui individuae praebendae animarum cura adnexa habeatur. Iamvero in utroque casu, rector iste animarum, tempore quo pastorali ministerio vacat, distributiones percipit: idque etiamsi incerta stolae pro hisce muneribus assequatur : Lucidi *Visit. SS. Lim.* tom. 1* p. 310 ult. edit.*

Porro si utile visum est ac iustum in bonum parochialis ministerii tali ac tanto favore canonicos curatos prosequi, pensetur oportet, non minus christianae reipublicae proficuum ac necessarium esse magisterii munus, hisce praesertim temporibus, in quibus tanti momenti est clericos sanis doctrinis imbui, ineluctabilibus principiis et armis ad fidei defensionem instrui, et ad omne opus bonum parari; atque idcirco iustum optimumque consilium videretur eadem disciplina eodemque favore theologum docentem ac parochum ministrantem esse accipiendos.

Nisi quod regula in parochorum favorem inducta, et de qua hucusque loquuti sumus, haud absoluta est, sed exceptionem admittit et quidem maximi momenti pro re de qua agimus. Nam in peculiari casu, quando curae animarum capitulo adnexa alii exercenda tradatur, soluta certa mercede, tunc mercenarius iste, si forte idem canonicus sit, a punctaturis non absolvitur, sed eisdem debet subesse, si absit a choro, licet curae ministerio adactus. Sic S. C. C. in *Melevitarla Fallentiarum* 13 Sept. 1862 apud Lucidi *loc. cit.* Atqui theologus qui certo ac congruo stipendio docet in seminario huic ferme mercenario aequiparari potest.

Quibus animadversis, supposita sunt diluenda duo quae sequuntur

Dubia

I. *An canonicus theologus munus magisterii in Seminario exercens* percipere valeat distributiones chorales pro diebus quibus docet, non obstante quod percipiat pensionem a seminario.*

Et quatenus negative

II. *An et quomodo quoad, distributiones, vel pensiones usque modo ab eodem theologo perceptas providendum sit in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re discussa sub die 11 Aprilis 1891, censuit respondere: *Ad I Negative. Ad II Supplicandum SS>no pro condonatione quoad praeteritum.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Non eximi a punctaturis choralibus magistros Seminariorum, qui docent, accepta ad id mercede, ne pro uno labore duplex percipiant stipendium ; quod damnatur uti redolens aviditatem lucri a sacris canonibus.

II. Canonicos theologos proprio fungi munere si lectiones scripturales in cathedrali tradant ex nuperrima *Encyclica* Gregorii XVI ; qua dicitur sanctam Sedem gratulari Episcopis solere si habeant praebendatos theologos, bene fungentes munere suo in *publicis* sacrarum litterarum *lectionibus.*

III. Sacrae Concilii C. iugem esse praxim revocandi canonicos theologos ad habendas publice lectiones scripturales post Encyclicam Gregorii XVI *Inter praecipuas machinationes.*

IV. De canonico theologo in themate, qui, huius muneris gratia, pinguiori gaudet praebenda, nulla fit quaestio nullumque movetur dubium quoad publicas sacrae scripturae lectiones habendas ; et ideo prosequetur tradere hermeneuticam sacram in seminario, loco scripturalis lectionis in Cathedrali, non obstante nuperrima S. Cong. Concilii iurisprudentia (1) ?

(1) Recole Vol. IX, 505, BIO ; Vol. X 508 Vol. XIII, 87 : Vol. XV , 463.

MELEVITANA

SPONSALIUM

Die 30 Maii 1891.

Sess. 25 cap. 1, De reform.

COMPENDIUM FACTI. Iam bina denunciatio iuxta morem, de matrimonio contrahendo inter Mariam Ellul et Carmelum Sammut, pagi *Casal Curmi* melevitanae Dioecesis, in parochiali ecclesia facta fuerat, cum Salvator Attard eiusdem loci hisce nuptiis oppositionem fecit, ac die 10 Aprilis 1890 in Episcopali curia *nihil transeat* apposuit. Asserebat enim iam a pluribus mensibus inter se et Mariam Ellul mutuam matrimonii promissionem intercessisse, atque proinde ad proclamatas nuptias ineundas sponsalium impedimentum obstare. Itaque, ipso instante, in curia processus institutus est, ac utriusque partis testibus excussis et omnibus rite peractis absolutus est die 2 Iunii eiusdem anni, sententia a vicario generali lata, cuius haec erat conclusio : « Perpendentes proinde ex praemissis, praecisam obligationem ad effectum coactionis nullatenus oriri dici posse, dicimus et declaramus nullum atque irritum impedimentum a citato obtentum, atque ideo dictam Mariam Ellul omnino esse in libertate, seu quovis cum alio viro matrimonium contrahendi, nisi aliud ei obstiterit canonicum impedimentum. »

Cum tamen haec sententia Salvatori Attard minime arrisisset, hinc post aliquod tempus appellatio apud S. C C. interposita fuit, cui proinde a Melevitana curia testium depositiones aliaque acta transmissa fuerunt.

Episcopus de more rogatus, ut coniici poterat, sententiae suae curiae adhaesit omnino, atque, pluribus animadversis, haec addidit : notandum quoque est quod iure veram et formalem promissionem matrimonii sequi solet familiaris laetitia; cui adstant parentes utriusque partis: et in qua parentes sponsae tradere solent annulum sponso; haec omnia in •casu defuerunt. Misit etiam declarationem Mariae Ellul seri-

ptis exaratam in qua, denegata prorsus existentia sponsalium, puellae aversio erga Salvatorem ostenditur.

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO SPONSI. Qui partes agit Salvatoris Attard postquam ex iure civili et canonico sponsalium naturam ab initio revocaverit, memorat sponsalia inter eos contractus indubitanter adnumerari, qui nudo perficiuntur consensu. Quocirca satis esse refert contrahentium consensum exterius quomodocumque apparere absque ulla peculiari solemnitate et conceptione verborum. Verum ad testium depositiones perpendendas progrediens, sibi plura praesto esse autumat, quibus mutua futuri matrimonii promissio in themate comprobetur. Recolit Georgiani Tabone a Mariae Ellul matre audivisse : Salvatorem esse sponsum Mariae ; et ab ipsa Maria : fugere velle domum paternam ; ex quo enim illum diligo, pati nequeo, diem transire quin eum videam. Quare testis concludebat, quod iidem ad invicem sese amabant, et agebant ut sponsi; ex quibus postremis verbis, orator mutuae promissionis exteriorem manifestationem deducit. Idipsum fere erui posse affirmat ex depositione Rosariae Bartolo, Mariae amitae, quae retulit, Salvatorem Attard domum Mariae frequenter adire. Pater vero Mariae, si Vincentium Bartolo et Clementem Attard audias, fassus est filiam suam esse sponsam, et sponsalia contraxisse cum Salvatore, quae etiam ipsa Maria testi Antoniae Mangion dixisse fertur. His autem minime contradicere adnotat patronus, testes ab adversaria adductos, qui futuri matrimonii promissionem haud denegantes, dumtaxat de nuptiarum dilatione locuti fuerunt.

Ex relatis itaque arguit sponsalium contractus existentiam. Nam, inquit, passim a testibus asseritur Mariam esse sponsam Salvatoris, quae iuxta modum loquendi incolarum Melevitanae insulae important mutuam matrimonii promissionem. Promissionem autem non modo verbis, sed factis deducere putat, cum plura de nimia familiaritate inter Mariam

et Salvatorem a testibus enarrentur. Haec igitur concludit, consensum exterius ostendunt non simplici coniectura sed argumento positivo, unde obligatio oritur. Idque confirmari existimat ex eo quod nulla peculiaris verborum conceptio in sponsalibus praescribatur. Namque idem est ut verba sint formalia vel virtualia ex *cap. 21 et 25 De sponsal.* sive quod promissio fiat per se vel per internuntium aut internuntiam vel per literas *en,cap. fin De proc.* Nec obstare animadvertit depositionem Vincentii Ellul Mariae patris qui sponsalia omnino excludit. Ipse enim praecipuum interesse habet tuendi honorem et libertatem filiae, cum aliunde constet unicum testem nullam in casu vim habere. Ita pariter obsistere haud censet pro validitate sponsalium, quod Maria consilium mutaverit ac modo cum alio cupiat nuptias inire. Nam regula sancita in *cap. 2 Spons.* est ut pro dissolutione sponsalium non unius vel alterius consensus sufficiat, sed amborum necesse sit. Exploratum siquidem esse dicit, res omnes, quae solubiles sunt, per quas causas nascuntur per eas posse dissolvi ex *cap. 1, De regulis iuris.*

Tandem orator aliud argumentum in promptu habere existimat. Memorat in omni iudicio necessarias personas et principales esse iudicem, actorem et reum. Iamvero, inquit, isti examinari debent, et ab istorum depositionibus initium sumit iudicium. Hinc advertit, cum in casu neque Salvator neque Maria examinati fuerint, iudicium undequaque ita incompletum est, ut iudex nec veram factorum cognitionem, neque animorum dispositionem percipere potuerit. Quare sententiae Melevitanae curiae invalidationem exquirit.

DEFENSIO SPONSAE. Attamen orator Mariae Ellul protuetur, sententiam curiae episcopalis esse confirmandam, et praetermissa incidentali quaestione super peremptione appellationis, et intrinsecum meritum expendens, nullimode impedimentum sponsalium existere in casu revincere studuit.

In iure itaque animadvertit propensiores semper fuisse leges pro libertate, iuxta illud pervulgatum ex *leg. Arianus** quod scilicet in omnibus obligationibus imponendis minimum

sequi debeat, proindeque sponsalium obligationem nunquam admitti, nisi ea invictissime demonstretur, ceu eruitur ex quamplurimis S. C. C. resolutionibus, ac nuperrime ex *Bellimen. 20 Augusti 1887* (1) ad tradita per Coscium *De sponsal. vot. VI num. 63.*

Si enim adurget, actor plene comprobare debet actionem suam, eo vehementius id est exigendum in probanda sponsalium existentia, quae maximum libertati vulnus inferunt, ita ut iudex, ceu firmat Rota in *Ventimilien. Sponsal. 9 Feb. 1756* « in quocumque minimo dubietatis contractu pro omnimoda exclusione sponsalium pronunciare debet, praesertim quando actio non in *syngrapha** sed in depositione testium unice fundatur. »

Invictissimam porro huiusmodi demonstrationem duo, subdit, cumulative complecti debere : idest seriam deliberatamque promissionem et congruam invicem repromissionem. Atqui ex productis adversae partis testibus non modo nihil concludi pro sponsalium existentia, sed contrarium revinci affirmat. Siquidem non modo vage de auditu loqui, sed prorsus esse singulares et non contestes, imo certa scientia carentes, de vera promissione et repromissione nihil testari ostendit. Sane primo loco Rosaria Bartolo solummodo loquitur de quadam familiaritate et naturali benevolentia, quae etiam cum hospitibus et inquilinis adhiberi solet. Reapse in obiectis verbis, concipio quod citatus.... destinatur mihi a caelo, nonnisi simplicem propensionem, et ad summum aliquod desiderium et velleitatem exprimi, producta *Dec. VII* penes Coscium aliisque S. Rotae decisionibus "curavit demonstrare, adductis ipsius testis verbis : haud mihi loquutus est de matrimonio. Multa porro tractantur, quae non concluduntur.

Altera quae sequitur testis, nempe Angela Sammut matrimoniorum mediatrix, utpote talis suspicioni obnoxia esse videtur, quippe quae secuto matrimonio largam pecuniae

(1) Adest quaestio haec Vol. XX, 370.

compensationem recipere sperabat : quare, uti animadvertit Episcopus, huiusmodi depositionibus esse tribuendum pondus quod merentur; ad rem docet Coscius *Dec. 31 n. 2** Rota. *coram Cerro Dec. 26 n. 17.*, Falconer. D# *spons. ei coram Crispo Dec. 401 n. 9.* Sed etiam praescindendo ab hac exceptione adnotat defensor quod verba benevolentiae et amoris a mediatrice relata explicantur ex contextu praesertim ab expressione ad eum excipiendum ut sponsum. Verbum enim illud volo in his quae pendent a sola voluntate loquentis « initium actus praesefert, nullamque dispositionem de praesenti, sed disponendi actum ad tempus futurum confert » Coscius *c. I. num. 3*, quam interpretationem inter innumeras S. Congreg, constanter retinuit in *Veliterna sponsalium 9 Iunii 1855.* Ferme iisdem argumentis refellit orator depositionem testis Antonii Mangion, et Vincentii Bartolo, qui dum de velleitate patris desponsandi fìliolam cum Salvatore Attard asserit, eodem tempore subdit, volo meam filiam esse commodam, minime vero pro nunc. Sed, prosequitur, haec testimonia contra producentem retorqueri, nam primus deponit matrem repudiavisse huiusmodi sponsalia aiens : nolle desponsare filiam baiulo marino, alter vero fatetur sibi patrem interroganti respondisse, impossibile esse quia Maria non amat Attard. Quintus demum productus testis, nempe Clemens Attard Salvatoris frater, praeter generica de auditu super existentia sponsalium, adiicit monitum se accepisse a patre non amplius mittendi mediatricem, utpote quod impossibile eidem esset assensum praebere proposito matrimonio. Quam recusationem, observat, ab ipso patre in interrogatione fuisse confirmatam. Quae vero refert Georgia Tabone ex officio interrogata, nonnisi ad propositum, desiderium, et benevolentiam referri quae, subdit, ad summum exprimerent contractum futurum *in via,* sed qui nusquam fuit in terminum deductus.

Hisce animadversis contra testes a viro productos affirmat orator, testes favore mulieris luculentissimam exhibere probationem. Ac reapse Carmelus Cinti non modo excludit,

sed refert patris indignationem, veluti ingratum per mediatricem fuisset oblatum negotium. Quae omnia congruere deducit cum ipsius patris verbis, qui significavit se propositionem de nuptiis reiecturum, quia filia non vult eum. Cui reiectioni Salvatorem assentiri visus est, nam testis Carmelus Mifsud, tertio loco interrogatus, deponit alias ipsum habuisse feminas, referens verba matris, duae aut tres puellae eum praestolantur. Hisce testibus notabilem circumstantiam orator adiungit, videlicet consuetudinem adesse in Dioecesi melevitana, ut sponsalia tunc demum reapse inita fuisse retineantur, quando adsit annuii traditio et receptio, quae vocari solet subharratio. De hac substantiali formalitate pro adstruenda existentia sponsalium testatur Episcopus, et canonistae confirmant praesertim Schmalzgruebur *Ius. Eccl. univ. lib. IV, n. 56* - ibi « si consuetudo loci sit, ut annuii traditio significet sponsalia, « censebitur enim facta iuxta loci consuetudinem. > Item docet Reiffenstuel *Lib. IV, tit. I, num. 57* retinuitque S. Congregatio in *Reatina Matrimonii 7 Martii 1885.* Confirmandam porro esse sententiam melevitanae Curiae edisserit, non modo propter ea quae produxit Episcopus in ulteriori sua informatione, sed etiam quia est conformis aliis resolutionibus, quas in eadem Dioecesi pro exclusione S. C. C. emanavit. Inter ceteras, producta facti specie iurisque principiis, refert *Melevitanam sponsalium diei 18 Aprilis 1863,* ubi concurrentibus gravioribus circumstantiis ad dubium: *An sententia Curiae episcopalis sit confirmanda vel infirmanda in casu,* pro sententia confirmanda responsum fuit.

Quibus enucleans propositum fuit diluendum

Dubium

An sententia, Curiae melevitanae diei 2 Iunii 1890 sit confirmanda, vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re cognita sub die 30 Maii 1.891, censuit respondere: *Sententiam esse confirmandam et amplius.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Actori competere ius probandi : et etiamsi vere extiterint sponsalia, nisi probentur argumentis apodicticis, reus absolvitur.

II. Ex sola enim praesumptione neminem esse damnandum ; quod principium praecipue vim habet in materia sponsalium, ubi iudicandum est pro non existentia, seu pro libertate, nisi contrarium plenissime probetur.

III. In themate eiusmodi plenissimam probationem defuisse, neminem latere (1).

MUTILANA

PENSIONIS

Die 11 Aprilis 189 i.

Sess. 24 cap. 18 de Reform.

COMPENDIUM FACTI. Vacante ex obitu sui rectoris parochiali ecclesia s. Reparatae, loci *Terra dei Sole** dioecesis mutilanae, concursus de more indicebatur. Et quum praefinita die 24 Novembris 1887, quatuor sacerdotes examini obeundo adstitissent, cancellarius eisdem in antecessum nuncia vit, mentem Ordinarii esse annuam imponendi pensionem 400 libellarum ab investito huius beneficii solvendam; et petiit ut huic Episcopi voluntati singuli subscriberent ; quod et fecerunt, licet aliquas concurrentes fecerint animadversiones, et aliquod posuerint obstaculum, si saltem actualem ecclesiae rectorem, qui actor in causa est, audiamus.

Ex concurrentibus dignior repertus Ioseph Neri, episcopali decreto diei 30 Novembris 1887 ad vacantis paroeciae regimen nuncupatus fuit. Et paulo post, ac praecise die 5 Ianuarii 1888, ut ex documento ab Episcopo allato patet, ipse subscripsit declarationem : se soluturum annuam pensionem 400 libellarum personis a Curia designatis.

(1) Confer Vol. XIX, 189.

Deinde die 26 Ianuarii 1888, ut ipsius actoris verbis utar, is investitus fuit de Paroecia. Sed possessionem spiritualem ac temporalem beneficii non iniit nisi die 8 Octobris 1888, cum paulo ante dumtaxat regium placitum esset assequutus. Mox vero, ac praecise die 15 Octobris, Episcopus decretum tulit quo statuebat, pensionem esce solvendam duobus ratis et personas indicavit, quibus esset solvenda.

Has pensionum ratas parochus Neri ferme per biennium rite persolvit, usquedum nempe primum ab Episcopo, dein die 29 Novembris 1889 a S. C. C. supplici libello petiit exonerari a pensione 400 libellarum, ut consulere posset urgenti instaurationi.

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO PAROCHI. Defensor praemonuit in primis ex auctoritate Ferraris *v. Pensio n. 15** Fagnani *i. 2 tit. 14 sec. 5 De pen. n. 22,* S. C. O. in *Salernitana Pensionis die 7 Aprilis 1883* aliorumque, monere, pensiones super beneficiis regulariter loquendo nonnisi a S. Pontifice imponi posse, quia beneficia iuxta expressum legis textum sine diminutione sunt conferenda. Quod strictius dicendum est de paroeciis, quae pensionibus gravari ab Episcopis non posse edictali lege diei 11 Novembris 1691 de expresso mandato Innocentii XII Emus Prodatarius sanxit, et paulo post ipse S. P. Benedictus XIII firmavit in const. *Quanta Pastoribus.*

Verum parumper admisso Episcopis hanc potestatem non deesse, certum sin minus est, eo nonnisi legitimo modo, ex iusta causa et moderata mensura procedere in imponendis pensionibus posse. Legitimus autem modus est, ut Episcopus non sibi, nec indeterminatae personae pensionem assignet, prout monent Pax Iordanus *t. 2 lib. 9 tit. 1 n. 502** Ferraris *I. c. n. 22* cum aliis communiter, nam simoniae confidentialis species, iuxta const. *hitollerabilis*: .S. Pii V, hoc casu haberetur ; sed requiritur ut clericus pro quo pen-

sio reservatur, ipso actu nominetur; quod tamen Mutilanus Episcopus non egit.

Quin dicatur saltem ratione scriptae obligationis pensionem sustineri; nam in primis haud sponte ac libere, sed sub coactione et reverentiali Episcopi timore se subscripsisse actor affirmat, et idcirco invalidum ac nullum censeri debere hunc actum, ad sensum *cap. Sane De r'enunciat.* Praeterquamquod cum singrapha iussa et confecta fuerit ad effectum eludendae legis pensionum prohibiti vae, hinc etiamsi valida esset ratione libertatis contractus, nulla tamen declaranda foret, quippe quia nemo contra legem se obligare potest ex *cap. Significavit De cens. exact, et procur.** et quia quidquid contra legis praescriptionem agitur, sive verba offendantur sive legis spiritus, nullum ipso iure est, ad sensum *cap. Extirpandae De praeb, et dignit.*

Ast ulterius ipsa deest causa pensionis ; nam subsidio non indigent paroeciae ad quarum concurrendum egestati pensioest assignata. In primis enim paroecia Castrocaro subiecta est tributo, vulgo *di concorso** ad cuius praestationem nonnisi beneficia ditioris reditus subiiciuntur. Et quamvis actua— lis rector pensione gravetur 480 libellarum antecessori suo solvenda, nihilominus levamini ei est reductio onerum legatorum ad hunc effectum eidem indulta. Idem dicendum de paroecia Dovadola, quae 359 libellas ab hospitali Mutilanoquotannis percipit, et 3 millium libellarum proventu praeter incerta stolae, si patronum audias, ditatur. Quapropter, etiam admissa duarum aliarum ecclesiarum egestate, concludere sin minus oporteret, pensionem saltem ex magna parte iusta causa deficere.

Denique, iuxta patronum, iustam quoque mensuram pensio excedit. Nam reditus paroeciae, qui a defuncto parocho' Nardini ad 5849 libellas adscendere dicebantur, modo, attenta actuali vitium morbositate et crisi agraria, ad 4000 descendere perhibentur. At vero ex hoc reditu detrahendae sunt 1078 libellae ob varia tributa praedialia. aedilia, divitiarum mobilium et familiae, 30 libellae ob cautionem ab

incendiis, 247 ob taxam manus mortuae, 146 propter tributum vulgo *di concorso.* Insuper 1500 libellae quotannis impendendae sunt ob cultus et ecclesiae expensas, quae summa in posterum augenda adhuc erit, quia sacerdos loci -oriundus qui hucusque missam diebus festis celebrabat infirmitate nunc impeditur, et nisi assuefa missae eleemosyna augeatur, alius inveniri non poterit qui huic populi necessitati satisfaciat, nam secunda missa necessaria prorsus in ea paroecia dicitur. Unde tandem, his omnibus detractis, residuae parocho non possunt esse nisi 1020 libellae, quae, ut quisque facile intelligit, tam longe sunt ut possint pensionibus in aliorum favorem dividi ac impendi, ut honestae parochi substentationi vix sufficere videantur, praesertim si consideretur paroeciam s. Reparatae quamplurimos habere pauperes.

Cui accedit tum tectum ecclesiae, tum campanariam turrim urgenti instauratione egere, et 5000 et amplius libellarum summam ad hunc effectum necessariam supputari. A regia spoliorum camera subsidia utique parochum petiisse ; sed responsum accepisse quod ex defectu pecuniae excipi eius petitio nequiverat, etsi nota esset necessitas instaurationis faciendae; sed potius eidem licentia daretur mutuum ineundi, super reditus paroeciae, statis ratis extinguendum. In suspenso quidem rem hucusque mansisse, at si, attenta operarum necessitate, civilis magistratus mutui legem faciat, parochus in eo bivio haereret, ut aut pensionis praescriptionem sibi secreto factam patefaceret, quae res profecto Curiae non arrideret, aut de impossibilitate mutui obligationibus satisfaciendi nullam plausibilem rationem proponere posset, quod sibi decorum non esset. Qua etiam de causa liquere, putat orator, controversam pensionem non sustineri.

DEFENSIO CURIAE. At ex altera parte Ordinarium ex legitima causa posse in actu collationis beneficiatos adigere ad aliquas moderatas pensiones praestandas,, si beneficium eiusdem sit capax, certa sententia est, cui S. C. C. non

semel subscripsit. Audiatur sane Reiffenstuel *ad Ut. Ut eccl, benef, sine elim. conf. n. 88:* « Etsi regulariter loquendo Episcopus, vel alius collator Papa inferior, non possit conferre beneficium sub reservatione pensionis cuipiam persolvendae ; nihilominus in casu speciali, atque ex iusta, et rationabili causa, potest etiam Episcopus pensionem imponere, seu constituere, saltem duraturam ad vitam beneficiati gravati, atque in eam consentientis, eum quo extinguatur pensio. - Conclusio haec quoad priorem partem est certa, et patet ex rubrica et textu praesentis tituli... Alteram conclusionis partem tenent Glossa in *c. Audivimus v. Pensionem De coitus, deteg.,* Innocentius *c. De cetero n. 7,* Abbas *ib. n. 2 De transad.* Garcias *De benef.p. 1 n. 295** Gonzalez *ad reg. 8 Cancel, hl. 5 % 5 n. 27* citans Rotam etc. et saepius Fagnanus in *c. Nisi essent De praeb,* citans complures alios, atque asserens hanc esse receptissimam sententiam. > Et re quidem vera in *cap. Nisi essent De praeberi.* pensio 40 librarum cuidam prioratus dignitati « pro bono pacis et utilitatis » ordinata, approbatur, « hoc adhibito moderamine, ut ad praestationem 40 librarum non dignitas prioratus, sed persona prioris maneat onerata : ne forte circa proventus aliqua videatur facta sectio prioratus : ita quod ipso priore defuncto successor ipsius ad praestationem 40 lib. minime teneatur. » Qua adhibita distinctione difficultas, quae ex citato legis titulo *Ut ecclesiasiastica beneficio, sine diminutione conferantur* desumitur, plane diluitur, conciliantur iura, et explicatur etiam cur in *Salernitana* anni 1883 ex adverso obiecta declaratum sit pensionem non sustineri. Sane in eo casu Archiepiscopus beneficium contulerat « hac adiecta conditione praelevandi quotannis ex reditibus dictae paroeciae summam ducatorum 30 in perpetuum a nobis et successoribus nostris assignandam favore alicuius ecclesiae parochialis pauperis. » Quo decreto evidenter ipsum afficiebatur beneficium, id quod S. C. C. numquam probavit.

Nec obstat edictale Prodatarii lege sub Innocentio XII

lata, aut constitutio *Quanta pastoribus :* nam iis locis prohibentur pensiones aut quae sine causa sint, aut quae beneficium afficiant, prout monet Reiff. *I. c. n. 103.* Atqui in themate pensio non beneficium, sed beneficiati personam afficit. Quapropter prima ac potissima difficultas, quam actoris patronus contra pensionis validitatem movet, videtur suo•met pondere di labi, nec Episcopum limites suae potestatis excessisse, quando universos primum concurrentes, dein vero ipsum electum in pensionem subscribere iussit. Si enim Ordinariis fas est *ex iusta et rationabili causa pensionem imponere* saltem duraturam ad vitam beneficiarii gravati** eisdem quoque licebit concurrentes electumque ad promittendam pensionis solutionem adigere. Et sic etiam quae de adempta libertate aut timore reverentiali propinai parochus, in tenues auras ire videntur.

Nec ulterius tuto asseri potest, modo, aut mensura, aut causa in assignanda pensione Episcopum esse transgressum. Sane si de causa res sit, ipse actor concedit duos ex pensionariis assignato subsidio prorsus egere, et tantummodo id verum non esse de parocho loci Castrocaro et capellano loci Dovadola. At misso in primis quod ipse iudex esse nequeat huius rei, ut bene notat Episcopus; insuper falsum in primis videtur tantam esse pecuniae vim capellano pagi Dovadola quanta ex adverso asseritur. Imo hic ad Ordinarium scribens asseverat, annuum dumtaxat sibi esse stipendium L. 418, purgandum tamen tributis *divitiae mobilis et manus mortuae* in lib. 74, eleemosynis pro 85 missis, et impensis pro solemnitatibus Rosarii et Circumcisionis D. N. I. C. ex reliquo autem desumere debere non modo quo vivat, sed etiam quo inhabitet : unde subsidium 50 libellarum sibi asgnatum tam longe esse, ut superabundans sit et iniustum, ut vix sufficere videatur.

Quo vero ad parochum loci Castrocaro hic asseverat tam arctam esse praebendae suae conditionem ut, ceu ipse ait, antecessores mei multa perpeti debuerint ad Ecclesiae suique decus servandum , uti decet quia paroecia est inter pri-

mas Dioecesis huius. Ita ut, prosequitur parochus pensionata, si paroeciam accepi cum onere quoque praestandi 480 libellas favore mei antecessoris, qui ob bonum animarum a paroecia removeri debuit, ideo feci quia Antistes adpromisit me sublevaturum quantocius ab hoc onere.

Nec magis probatur, Episcopum iustam excessisse mensuram in praescribenda pensionis quota. Notum est enim, et ex adverso admissum, pensionem ad tertiam partem vel etiam ad medietatem redituum extendi posse. Age vero, parumper etiam admisso quod parochialis beneficii reditus 4000 libellarum non excedant, prout actor contendit, adhuc tamen quisque facile sibi suadet pensionem 400 libellarum iustum limitem non praetergredi. Ceterum, ait Episcopus, reditus ascendunt ad libellas 5489 ; ita ut detractis expensis annuis supersint pro parocho lib. 3264.

Quin obiiciatur tectum ecclesiae et campanariam turrim urgenti reparatione egere, magnasque expensas, quas ad lib. 5000 magister murarius supputavit, esse idcirco subeundas. Nam respondet Episcopus: si vere neri mutuum oporteret pro instauratione Turris campanariae, hoc tueri possent reditus paroeciae, et facili modo extingui, quin suspendatur parva pensio eidem imposita.

Denique restat ut de modo imponendae pensionis nonnulla dicantur, nam contra pensionis validitatem hoc etiam invenitur offendiculum, quod in collationis litteris pro persona nominanda pensio fuerit indicta.

Verum in hoc nullam saltem gravem deordinationem haberi ex eo liquet quod ideo vetitum sit pensiones aut pro se aut pro persona in futurum nominanda reservari, quia tunc aut adest confidentialis simoniae periculum, praesertim si collator sibi pensionem reservet, aut, sin minus, deest legitimae causae probatio, nam cum agatur de persona in futurum nominanda et collatori hic et nunc ignota, hoc ipso patere non potest quibusnam titulis merita sit ei pensio. Rem bene perpendit Pax Iordanus *Elucubr. De re benef, vol. 2 Ub. 9 tit. 1 n. 489* ubi ait: « Ex const. Pii V...

facultas reservandi pensiones Episcopis non sublata est in totum, sed solum in terminis praedictis, quando reservatur pro persona nominanda; quia tunc non potest concurrere iusta causa, quae necessaria dicitur supra et inferius, ac etiam quia aperitur via fraudibus et simoniis. > Eiusdemque mentis sunt Garzia, Gonzalez, ac Rota ab eodem lordano citati.

Age vero, nullum ex his malis contingere potest, quando personae nomen ex iusta prudentiae causa reticitur quidem in bullis seu collationis litteris, sed continuo in separato documento exprimitur, prout in themate contigit. Imo hoc in casu reservatio pro persona nominanda nonnisi apparens et fictitia est, dum, si ad rerum substantiam attendatur, nonnisi pro persona determinata et nominata pensio revera inscribitur. Quae cum ita sint vanida atque infirma haec etiam videtur obrectio.

Ceterum cum parochus Neri pacto subscripserit, nec sive timoris reverentialis, sive coactionis exceptionem evincat : imo cum singrapham obligationis plures dies post obtentam ab Episcopo nominationem signaverit, hinc vi etiam pacti et susceptae obligationis ad pendendam 400 libellarum summam adigi posse videtur iuxta nota principia *21 iur. in VI et 75 ff'. De reg. iur.* aliaque similia, quin quidquam possit in contrarium opponere.

Hisce aliisque praenotatis, propositum fuit dirimendum

Dubium

An pensio sustineatur in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re cognita sub die 11 Aprilis 1891, respondit: *Non sustineri* (1).

(1) Ex quaestione relata Vol. XXI, 550 aliisque liquidum videri, posse Episcopum pensiones imponere super beneficiis, etiam curatis, dummodo id fiat legitimo modo, ex causa iusta et moderata mensura. In praesenti quaestione forsan visum est Emis Iudicibus aliquid ex his tribus requisitis deficere.

GALTELLINOREN.

IURIUM PAROCHIALIUM

Sess. 24 cap. 18 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Anno 1779 Summus Pontifex Pius VI Constitutione, quae incipit *Eam inter caeteras** Dioecesim galtellinorensem in Sardinia denuo restituens, habitualem et actualem animarum curam totius Norensis civitatis Cathedralis Ecclesiae capitulo demandabat. Idcirco simul decernebat ut nemo in posterum inter canonicos cooptaretur absque praevio examine, sicut in paroeciarum provisione coram Ordinario peragenda, et absque expeditione bullarum. Praeterea capitulum canonicis et beneficiariis coalescens, una cum parochialibus muneribus etiam exclusivum ius obtinuisse videtur peragendi sacras functiones sive institutas sive deinceps instituendas, non modo in Cathedrali sed et in aliis ecclesiis, quae improprie filiales vocantur.

Istiusmodi vero functiones vel ab integro capitulo, vel ab uno ex canonicis cum assistentia beneficiariorum, quos patria voce nuncupant *domieri** vel a beneficiariis tantum perfici solebant. In primo casu fructus inde provenientes trifariam dividebantur, quarum pars beneficiariis cedebat, duas autem reliquas interessentes tantum canonici, etiam aegrotis exclusis, lucrabantur. Exceptis tamen funerariis emolumentis, quae pro rata portione singuli, sive canonici, sive beneficiarii percipiebant. Si vero de iis functionibus ageretur quas vel unus ex canonicis cum beneficiariorum ministerio, vel soli beneficiarii explebant, tunc inde derivantium proventuum medietate capitulo tributa, reliqua pars beneficiariis assignabatuç.

Anno 1834, rogante R. P. D. Ioanne Bua Archiepiscopo Arboreensi et Galtellinorum apostolico administratore, Gregorius XVI fel. rec. constitutione *Ad supremae** paroeciae Norensis curam uni canonico parocho concredere autumavit. Ad hoc, canonicatum sub titulo S. Rosae Viterbiensis tunc

vacantem in canonicatum curatum cum quibusdam clausulis et conditionibus erexit, « archipresbytero et canonicis animarum curae « exercitio perpetuo exoneratio. » Huiusmodi litterarum apostolicarum executio ipsi Archiepiscopo administratori commissa fuit ; ita tamen ut pro suo arbitrio et conscientia libere et licite disponere valeret.

Verum hodiernus Antistes galtellinorensis refert, quod antequam prodiret praefata Gregoriana constitutio inter Praesulem Bua et ecclesiae cathedralis capitulum quoddam compromissum cum sequentibus conditionibus ab utraque parte accepto habitis, intercesserint. 1. ut media pars fructuum novi Beneficii tunc primum conferendi canonico Curato cederet in bonum Capituli, et altera in favorem Canonici Curati : 2. ut Canonicus curatus sustineret omnia onera parochialia ; 3. ut ipse Canonicus Curatus ius acquireret in mediam illam partem fructuum, quam Capitulum percipiebat ex functionibus peractis a solis Beneficiariis, quin tamen posset Curatus qua Curatus iisdem functionibus interesse ; 4. ut idem Canonicus Curatus ius etiam haberet percipiendi fructus stolae^ ut dicitur, capitularis, una cum ceteris Canonicis, partibus aequalibus ; 5. ut tandem Capitulum retineret curam habitualem et ius administrandi Baptismi sacramentum independenter a Curato, onere manente penes Canonicos, audiendi, diurno tempore, fidelium confessiones sive in Ecclesia, sive domi causa infirmitatis.

Praeter haec, ad maiorem rei intelligentiam, perpensum fuit Archiepiscopum executorem Gregorianae constitutionis in suo executoriali decreto diei 15 Ianuarii 1836 haec inter cetera art. IV : statuisse, « stolae fructus, seu adventitia emolumenta obvenientia ex tumulatione ac suffragiis defunctorum, missarum, festorum, aliorumque officiorum in ipsa cathedrali ecclesia vel ipsis filialibus celebratione, quibus capitulum minime intersit pro integra medietate canonicus curatus percipiat, uti pro medietate solebat capitulum, in cuius ius quoad haec emolumenta succedit; altera beneficiariis praesentibus medietate relicta. Quae vero emolumenta pro-

venire in posterum continget ex piis ac liberalibus fidelium oblationibus, vel administrationis sacramentorum, benedictionis puerperarum, ac similium occasione, vel etiam ex sacris functionibus Sanctissimi Sacramenti sacello, quod ex nunc ad parochialia exercitia specialiter dedicamus, de peculiari fidelium devotione celebrandis integra canonico curato adquirantur, qui eorumdem emolumentorum medietatem suis sacerdotibus auxiliaribus dividet » et articulo VI « Ceterorum autem emolumentorum adventitiorum vel ex oblationibus toti capitulo factis, vel ex festis tam in cathedrali ecclesia, quam iisdem filialibus ex piis fidelium voluntatibus fundatis, vel in posterum fundandis cum interessentia capituli, aut alicuius canonici capituli nomine celebrandis, canonicus curatus pro tempore ut canonicorum quisque particeps sit. >

Praeterea articulis VIII et IX haec decernebat : Canonici curati propterea sit missam pro populo singulis de praecepto ecclesiae festis diebus celebrare, christianam doctrinam pomeridianis statis horis pueros edocere, chatechesim facere, Evangelium populo explanare, sacramenta administrare, in agone constitutis ultima ss. Religionis subsidia praebere, ecclesiastica sepultura defunctorum corpora donare, ipsisque defunctis officia exsolvere, cetera demum parochialia munia, uti quilibet animarum Rector, obire teneatur. Ab animarum itaque actuali cura saepedictis apostolicis litteris restitutionis episcopatus archipresbytero praecipue, ac toti capitulo commissa ex nunc et in posterum ipsos archipresbyterum et capitulum exoneramus, confessionibus tamen utriusque sexus fidelium diu tam intra, quam extra cathedralem ecclesiam, quoties eorum alterutri ad hoc tam eximiae charitatis munus fuerint vocati adstricti remaneant. »

Postquam autem declarasset, canonicos sacramentales fidelium confessiones excipientes vel in cathedrali aut in filialibus ecclesiis condonantes ut choro praesentes esse habendos, nec ullam amittere distributionem, ita art. X prosequebatur : « Sacerdotes proparochi seu auxiliares ipsi sint tres beneficiarii, *domieri* vernáculo sermone nuncupati, qui

in curae animarum exercitio a canonico curato, ut prius ah archipresbytero, omnino dependeant, ipsique subiecti sint, et in eodem parochiali exercitio assiduum praestent adiumentum. »

Demum art. XII monebat : « Remota ab archipresbytero, ut supra art. X dictum est, animarum huius civitatis cura ipsi hactenus ab Episcopatus erectione per saepedictas apostolicas litteras diei 11 Iulii 1779, uti onere praecipuo commissa, cetera iura, onera, honores, praeeminentias, praerogativas quae ad ipsum ut ante de iure, vel ex consuetudine pertinebant, ad eumdem etiam archipresbyterum in posterum spectare, praedicta auctoritate Apostolica decernimus et declaramus. >

Res sic se habebant, quum vertente anno 1880 hodiernus parochus ecclesiae cathedralis Galtellinoren. apud S. C. C. valde conquestus est de agendi ratione Capituli, quasi hoc parochialia iura invadere praesumeret, atque ut" omne dubium auferretur, nonnullarum quaestionum resolutionem postulavit, de quibus inferius sermo instituetur.

Huiusmodi quaestiones consultori remissae fuerunt ut votum partibus communicandum exararet. Quod tamen cum nullum habuisset effectum, causa in plenariis Emorum Patrum comitiis definienda proposita fuit.

Disceptatio Synoptica.

IURA CAPITULI. Capituli Galtellinorensis patroni in quinque capita orationem suam distribuunt. Ac primo contendentes ius capitulo inesse administrandi Baptismum et libros baptizatorum custodiendi, id promanare adnotant ex cura habituali, vi cuius parochus actualis uti famulus seu operarius capituli censendus est, qui iuribus et emolumentis iam inde a sua institutione adsignatis contentus esse debet ad tradita a Gabriel *consil. 190 lib. 2 n. 7 et 8** De Luca *disc. 22 n. 8 De parochis,* Rota in *Romana funer. 4 Decembris 1620 cor. Coccino.* Curam vero habitualem penes Norensis.

'Cathedralis capitulum residere evincunt, tum ex ipsius apostolici executoris verbis tum ex conditione a capitulo in paroeciae erectione apposita, qua curae actuali nuncium mittebat. Quibus adstipulatur et alia eiusdem capituli declaratio paulo ante executionem apostolicae constitutionis, et ipsius tenor decreti executorialis quo indulgetur, ut canonici sacramentales confessiones excipientes vel in curati adiutorium in civitate condonantes tamquam in choro praesentes habeantur. Neque dicatur ex hoc argui non posse curam habitualem explicite fuisse indultam, cum apostolicus administrator expresse declaraverit conditionem a capitulo oppositam in praefatae constitutionis executione prae oculis habuisse et religiose servasse.

Ex his igitur autumant ortum duxisse quod canonici, absque praevia curati venia Baptismatis sacramentum administraverint, et locus pro libris custodiendis, in quo statim baptizatorum nomina minister scriberet,' iam ab initio fuerit designatus. Idque confirmari aiunt allato curiae episcopalis testimonio.

His autem, in facto positis, observant nihil esse magis iuri conforme quam ut capitulum in quasi possessione iuris teneatur, quae ab initio et ipso administratore Apostolico spectante orta est. Observantiam enim optimam esse legis fundationis interpretem docent Lotter. *De re benef. I. il n. 125** Card. De Luca *De iurep. disc. 60 n. 9 et de benef, disc. 27 n. 18** ac maiorem sibi auctoritatem vindicare si legi fundationis sit proxima et coeva; Pitonius *Disc. Eccl, disc. 139 n. 44 § Habemus* et S. Rota in *Firmana iurisdictionis 10 Maii 1700 n. 37.*

Verum nedum in linea interpretativa sed et in praescriptiva, monent, observantiam suadere, ut capitulares in quasi possessione iuris manuteneantur, cum exploratum sit in caesareo et canonico iure, in quacumque causa vel quacumque persona, ius privatum vel publicum quadraginta annorum iugi silentio extingui *I. 4 Cod. de praescript. 30 vel 40 an. Cap. 6 De praescript. etc.* Cui doctrinae consonat S. Rotae

Auditorium, nec non S. C. C. quae in una *Marsorum Iurium parochialium diei 30 Ianuarii 1830** in qua capitulo ius baptizandi pueros ac retinendi claves baptisterii et olei sancti reservatum fuit, non obstantibus sacrae visitationis decretis, « ad formam consuetudinis. » Quare Archiepiscopus Arborensis anno 1879 apostolica delegatione functus in Galtellinorensi dioecesi mandabat, ne Canonicus Parochus Baptizatorum librum una cum Baptisterii clave e loco designato imposterum removere auderet, usque dum S. Sedi aliter praescribere placuisset. Quod decretum cum a S. Sede fuerit approbatum, censent patroni reiiudicatae vires et auctoritatem acquisivisse.

Ad secundum orationis caput devenientes, capitulum ius habere celebrandi functiones capitulares et committendi uni vel alteri ex canonicis cum assistentia beneficiariorum vulgo *domieri* celebrationem aliarum functionum ac fructus inde percipiendi, demonstrare satagunt. Hinc animadvertunt in iis quae ad curam animarum non pertinent et parochialia munia non attingunt, capitulum post Gregorianam Constitutionem omnia sua iura intacta servasse, prout deduci videtur ex art. IX et XII executorialis decreti. Iamvero argumentantur, si per canonici parochi institutionem capitulum curae tantum actuali et iis functionibus, quae stricte paroeciales sunt nuncium misit, negari profecto non potest ipsi ius adhuc competere ceteras functiones sive per se sive per alium celebrandi. Hoc autem clarius ex deliberatione capitulari diei 22 Augusti 1829 agnoscitur, ubi capitulo reservatae dicuntur functiones sacrae in festis fundatis, vel fundandis vel adventitiis in Cathedrali Ecclesia celebrandis, quia non paroeciales sunt sed mere ecclesiasticae.

Quod si exceptis functionibus mere paroecialibus, ceterae omnes ad capitulum pertinent, necessario consequi putant oratores ut fructus et inde provenientia emolumenta singulis de capitulo competant ac inter eos dividenda sint. Id praeprimis cavet citata deliberatio capitularis diei 22 Augusti 1829, cui congruere recolunt ea quae apostolicus Executor

statuebat capitulo respondens, quod hac super quaestione eiusdem Executoris sententiam exquisierat.

Ex his prono alveo fluere existimant patroni capitulo ius competere tandem functiones celebrandi, quae capitulares audiunt, verum etiam ad ipsum spectare ius committendi alternative uni vel alteri ex canonicis, cum adsistentia beneficiariorum vulgo *dornten** celebrationem aliarum functionum, missarum nempe festivarum, vel defunctorum, novendiales vel triduanas preces, ac processiones, et fructus ex huiusmodi functionibus provenientes percipiendi. Haec siquidem, aiunt, articulus VI decreti executorialis aperte confirmat, ut de iis nemo dubitare quaeat. Praefatus sane articulus statuit : « Caeterorum autem emolumentorum adventitiorum vel ex oblationibus toti capitulo factis, vel ex festis tam in cathedrali ecclesia, quam iisdem filialibus ex piis fidelium voluntatibus, fundatis, vel in posterum fundandis cum interessentia capituli aut alicuius canonici capituli nomine celebrandis, canonicus curatus pro tempore, ut canonicorum quisque particeps sit. » Porro rationem non patere cur capitulum haec omnia sibi sarta tectaque voluerit, si ipsi huiusmodi functiones celebrandi et emolumenta ex iisdem obvenientia percipiendi nullimode competeret. Ad rem Pitonius *addit, ad discept. 9 n. 20* « Clarum mihi visum fuit haec emolumenta et proventus spectare ad capitulum non autem ad praepositum ratione curae animarum ; cum enim istae sint functiones ecclesiasticae, non autem mere parochiales, nullum ius habet parochus. »

Licet autem in themate a Gregoriana Constitutione statutum fuerit ut fructuum et emolumentorum pars ex functionibus huiusmodi obveniens, quae olim debebatur capitulo, canonico parocho tribuenda sit, non exinde arguendum censent aliquid quoad ius huiusmodi functiones celebrandi fuisse immutatum ad iuris effata « quod voluit expressit, quod noluit non expressit > et « expressa nocent, non expressa non nocent. >

Tertium deinde controversiae punctum aggrediuntur ora-

tores tuentes in defunctorum exequiis et praecedentiam et ius perficiendi rituales absolutiones semper ad capitulum pertinere. Quod id in exterorum exequiis locum habeat deducunt, sive quia tunc non paroeciae sed cathedralis respectus habetur, sive quia canonicus parochus nullam super ipsos iurisdictionem sibi arrogare possit. Sed et cum de parochianis agitur, praecedentiam ad capitulum spectare arguunt ex ea decreti executorialis dispositione, qua cetera iura et honores archipresbytero et capitulo reservantur. Cum enim aiunt, hoc iure antiquitus capitulum potitum fuerit, nec in constitutione Gregoriana parocho tribuatur, dicendum est nihil prorsus hac in re fuisse immutatum. Eo vel magis quod observantia plane capitulo faveat eaque inceperit vivente et consentiente Archiepiscopo Bua, cui munus exequendi et explicandi Apostolicas Literas commissum erat. Cuius ratio forsan ex eo petenda est, iuxta capitulum, quia cum canonicis inde fructus obveniant, aequum non esset parochum ultra ceteros canonicos onerare. Dato vero et non concesso quod parochus rituales absolutiones explere deberet, attamen putant semper praecedentiam capitulo reservari. Vecchiotti *vol. n. pag. 151.*

His omnibus accedit Episcopus, qui nonnullis adductis, opinatur hoc ius capitulum sibi in erectione parochi reservasse, atque praeterea addit Canonicos per 56 annorum spatium stolam in funeribus tum parochianorum, tum exterorum per turnum detulisse, praesente ipsomet Constitutionis Gregorianae executore, et quin aliquid contra obmussitaverit sive primus, sive hodiernus parochus, qui ab anno 1868 ipsi successit.

Iamvero, observant patroni, si quodcumque ius quadraginta annorum silentio perimitur /. *4 Cod. De praescr. Cap. 6 Decret, de praescr.** capitulum in quasi possessione iuris praecedendi et absolutiones in exequiis perficiendi manutenendum est, cum eo per centum et ultra annos, scilicet ab anno 1779 absque interruptione gavisum fuerit. Quare in themate adamussim quadrare existimant decisionem S. C. in Marso-

rum 30 Maii 1830, in qua proposito dubio: *An reservatum sit canonico hebdomadario ius benedicendi cadavera parochianorum* respondit : *Affirmative iuxta consuetudinem immemor abilem.*

Post haec frustra apponi adnotant resolutiones S. C. C. in Sublacen. *die 18 Septembris 1824* sive quia pro cathedralis Sublacen. canonicis haud militabant rationum momenta in casu allata, sive quia huiusmodi resolutiones nullius efficaciae et roboris evaserunt.

Quarto ad trutinam revocant dependentiam, qua erga parochum obstringuntur beneficiati vulgo *domieri,,* ac illam coarctant, iuxta Apostolicam Constitutionem et executoriale decretum,. ad ea quae curam animarum et parochiale ministerium pertingunt. Perperam igitur, aiunt, hodiernus parochus eos sibi in omnibus subiectos vellet ut forsan sensim sine sensu uti proprias sibi vindicaret functiones illas ecclesiasticas, quae independenter ab eo beneficiarii in filialibus ecclesis celebrare solent. Hoc autem aperte evinci putant tum ex compromisso inter Apostolicum Administratorem et Capitulum initum, cum etiam ex reliquis documentis sacras functiones respicientibus, quae superius fuerunt allata.

Demum probare satagunt eosdem beneficiarios haud teneri ad coadiuvandum parochum in Evangelii praedicatione et in Catechesibus instructionibus, adducentes Conc. Tridentinum, *Sess. XXIV cap^ VII De reform,* ubi districtis verbis huiusmodi onus imponit parochis tamquam per se peragendum: quod relate ad parochum Galtellinorensem Gregorius XVI expresse firmavit. Censent igitur oratores nullo pacto posse parochum huiusmodi obligationem in beneficiarios transferre, nisi iuri communi et particulari dioecesis legi vulnus inferatur.

In cuius rei confirmationem adducunt praxim hucusque inibi servatam, eamque ex testibus omni exceptione maioribus probari dicunt. Idcirco verba referunt tum Gabrielis Cucca annorum 67, tum sacerdotis Ghironi beneficiarii cantoris Cathedralis in aetate 73 annorum constituti, qui insuper

deposuit, primum canonicum parochum quoties ipse aliqua ex legitima causa praepeditus esset, huiusmodi munus soluta pecunia cuidam sacerdoti Nonnis demandare solitum fuisse. His concinit Episcopus, qui ab anno 1867 Ecclesiam Galtellinorensem regit, qui pariter de huiusmodi observantia testatur, edicens praeterea sibi absurdum videri beneficiarios qui valde exiguam mercedem percipiunt ad maiora onera astringi quam parochus, qui in longe meliori conditione versatur. Quod si aliquando munus explanandi Evangelium vel cathechesim aliquis ex beneficiariis explevit, id libere et non ea obligatione peregisse Episcopus et adducti testes affirmant. Quanti vero faciendum sit Ordinarii testimonium, qui optime informatus censetur de statu suae ecclesiae, pluries tradidit S. Auditorium et praesertim in Tisianen. *Praeminentiarum 16 Ianuarii 1711 decis. 37 n. 6 § 13;* nec non Benedictus XIV *Const. Cum illud.*

IURA CANONICI PAROCHI. EX adverso patronus Canonici Parochi contendit praeprimis, ius administrandi baptismi et custodiendi baptizatorum libros ad suum clientem pertinere. Ratio vero cui innititur haec est ; quia scilicet ipse est vere et unicus parochus maioris ecclesiae norensis. Et hoc deduci in primis ex litteris Apostolicis Gregorii XVI, quae decernunt, ut novus parochus ea omnia exequatur, quae veri parochi propria sunt, scilicet catechesim faciat, evangelium populo explanet, christianam doctrinam edoceat, missam pro populo celebret, ecclesiasticam sepulturam concedat, officia defunctis persolvat, denique ut *caetera parochialia munera obire teneatur.* Hanc fuisse mentem Apostolici administratoris Norensis in institutione praebendae parochialis, qui idcirco a Summo Pontifice petiit, ut canonicatus sub titulo S. Rosae vacans in curatam praebendam erigeretur *pro presbytero* qui una cum duobus vel etiam pluribus presbyteris coadiutoribus ab eo dependentibus *universam curam* exerceret.

In executione vero litterarum apostolicarum Canonico Parocho assignat stolae fructus seu adventitia emolumenta obvenientia ex tumulatione ac defunctorum suffragiis, mis-

sarum, festorum aliorumque officiorum celebratione. Ipsi sacramentorum administrationem attribuit, nec non facultatem benedicendi atque percipiendi oblationes. Onus insuper eidem imponit, Missam pro populo celebrandi, christianam doctrinam pueros edocendi, Evangelium populo explanandi, sacramenta administrandi, in agone constitutis ultimis SS. Religionis subsidia praebendi, ecclesiastica sepultura defunctorum corpora donandi, caetera demum parochialia munera explendi, quae quilibet animarum rector obire tenetur. Hanc ipsam tandem fuisse mentem ipsius Capituli Norensis, cuius consensum apostolicus administrator iterum requisivit, antequam litteras apostolicas executioni traderet.

Ex hisce circa indolem et qualitatem Canonici Parochi Norensis expositis, manifestum neri ait, ad ipsum, uti ad quemlibet animarum rectorem ius pertinere administrandi baptismum baptizatorumque libros custodiendi. Sane quod ipsi competat ius administrandi baptismum argui asserit tum ex decreto Eugenii IV in Concilio florentino edito, quo praecipitur, ut parochiani proles suas proprio parocho baptizandas afferre debeant, tum ex dispositione Conc. Trid. quod in *sess. 23 Cap. 1 Be Ref.* apertissime docet ad animarum pastores spectare ius sacramenta administrandi, eosque hortatur, ut divinorum praeceptorum memores factique forma gregis iudicio et veritate pascant et regant : tum denique ex communi DD. sententia, inter quos citat Ferraris *Verb. Parodi, n. 22;* et Barbosam *de off. et potest. Par. p. 2 c. 18 num. 1* 7, 9, 11.*

Quod autem ad ipsum spectet custodire baptizatorum libros ex iis manifestum fieri asserit, quae tradit Barbosa *loc. cit. part. 1. cap 7 num. 1* nempe quod parochi tenentur quatuor libros « sive matriculas habere in quibus de-
» scribant primo omnes qui in ecclesia sua baptizantur, cum
» nominibus parentum, si de legitimo matrimonio nati sint
» et patrinorum qui eos de baptismo susceperunt. » Imo subdit doctrinam esse S. C. Episc, et Regul. ab ipso Barbosa relatam *loc. cit. num. 19, 20* baptizatorum libros non ab aliis,

sed a solis parochis esse custodiendos: *huiusmodi libros non esse per Episcopum de Parochorum potestate extrahendos, sed penes illos debere conservari.*

Huic iuris communis dispositioni minime derogasse Gregorianam Constitutionem vel eius Bxecutorem, imo potius ipsam confirmasse. Siquidem per Gregorianam Constitutionem *Universa cura* uni presbytero, scilicet canonico curato -concredita fuit. *A* postolicus vero Executor praescripsit ut canonicus parochus parochialia munia, uti quilibet animarum rector, obire teneretur.

Quin opponi valeat aliquod peculiare compromissum; quandoquidem huiusmodi compromissum, vel melius Capituli consensus, utpote antecedens, destructum fuit per executoriale decretum, quod Capitulum pro accepto habuit tam per se, quam per Capituli praesidem , qui peracta decreti lectione, nomine Capituli respondit: *talem executionem reperiisse qualem in votis habuit.* In executoriali vero decreto nullum verbum fieri de asserta facultate concessa canonicis baptizandi, baptizatorumque libros custodiendi. Hoc ipsum comprobari ab ipso Episcopo Noren. qui in sacra visitatione cum vidisset in libro baptizatorum defectum subscriptionum, non Capitulum, sed Canonicum Parochum admonuit, ut omnem hac super re sollicitudinem adhiberet. Idipsum tandem erui propugnat ex constanti praxi et observantia tam in dioecesi Noren. quam in aliis Insulae dioecesibus vigenti et praesertim in dioecesibus Uxellensi et Algherensi : quod nonnullis adductis testimoniis demonstrare nititur.

Post haec patronus innixus litteris Apostolicis et decreto executoriali, nec non constanti praxi et observantiae aliarum Insulae dioecesum, negat curam habitualem ad Capitulum spectare. Verumtamen huiusmodi hypothesi parumper admissa, fretus auctoritate Barbosae *loc. cit. num. 50 et 51,* contendit ius administrandi baptismum et libros baptizatorum custodiendi Capitulo minime competere, *quia executionem potestatis non habet.* Idque dicendum etiam in hypothesi quod canonicus parochus, Capituli vicarius habendus sit. Vicarius

enim non recipit titulum a Rectore, sed ab ipso et penes istum dicitur esse cura animarum et exercitium. *Ancy. cons. 404 num. 11.*

Ultimo tandem loco patronus animadvertit consuetudinem a Capitulo frustra invocari propter *decretum irritans* litteris apostolicis appositum. Quandoquidem hoc decretum non modo reprobat consuetudines existentes, sed etiam impedit quominus novae oriantur.

Quoad secundam quaestionem patronus sustinet, exceptis functionibus capitularibus, quas Capitulo attribuit, ceteras omnes functiones, missas festivas vel defunctorum, novendiales vel triduanas preces ac processiones a Canonico Curato explendas esse, qui proinde habet ius percipiendi stolae fructus; idque tum .ex litteris Apostolicis ac executoriali decreto, tum a lege communi apertissime evinci.

Ad litteras apostolicas quod attinet, observat, Summum Pontificem decrevisse, ut totius paroeciae maioris Ecclesiae animarum cura uni Canonico Parocho immineret, qui una cum presbyteris auxiliaribus parochialia munera obire teneretur. Ac per consequens voluisse, ut Canonicatui Curato singula emolumenta tribuerentur *di stola* nuncupata ab exercitio animarum curae provenientia, cum onere presbyteris auxiliaribus summam scutorum centum persolvendi.

Hisce omnibus adhaesisse Apostolicum Executorem, qui propterea statuit ut Canonicus Curatus parochialia munia, uti quilibet animarum rector, obire teneretur, atque ut omnia emolumenta ex sacris functionibus in SSmi Sacramenti Sacello ab ipso peracta, *integra canonico curato* acquirerentur, cum obligatione ea dividendi cum sacerdotibus auxiliaribus.

Tandem relate ad ius commune recolit, quod Conc. Trid. *sess. 23, cap. 14 de Reform,* mandat, ut curam animarum habentes diebus dominicis et festis solemnibus, ut suo muneri satisfaciant, missas celebrent. Quod autem recolit de missis festivis, idem dicendum esse urget de missis pro defunctis, quarum celebrationem ad parochum spectare inquit: quippe qui suos parochianos omnesque alios intra parochiam

degentes sepelire debet in sua Ecclesia ; nisi forte alibi habeant sepulcrum, in quo maiores eorum sepeliri ab antiquo consueverunt *Cap. is qui de sepult, in 6.* Barbosa *loc. cit. p. 3. cap. 26 n. 1.*

Nec aliter sentiendum esse subdit de iure perficiendi triduanas, vel no vendíales preces, et processiones explendi. Quandoquidem animadvertit cum Barbosa *loc. cit. p. 1* cap. 9 n. 12* parochum in propria Ecclesia tantam habere potestatem quantam habet Episcopus in sua dioecesi ; ac proinde loco Imperatoris et Regis haberi ac vices Apostolorum obtinere. Hinc mirum haud esse perpendit, quod ipse Episcopus iam antea hortatus sit canonicum parochum *aa* novendialia in honorem S. Caroli peragenda. Post haec concludit asserens, quod sicut ad canonicum parochum spectant functiones, quae ab exercitio muneris paroecialis originem et fundamentum trahunt, ita ad illum spectant emolumenta stolae quae ab eodem exercitio proveniunt ad tramitem num. IV decreti executorialis pluries citati.

Quoad quaestionem tertio loco propositam memorat, tralatitium in iure esse, parochum in propria Ecclesia habere tantam potestatem, quantam habet Episcopus in sua dioecesi. Ex quo deducit parochum intra propriam Ecclesiam praecedere debere omnes alios maiores et superiores in quibuscumque praeeminentiis concernentibus ipsius Rectoris officium. Barbosa *de off. et potest. P ar.p. i cap. 9 n. 5 et seq.* Exploratum pariter in iure esse Parochum debere suos parochianos omnesque alios intra parochiam degentes sepelire in sua paroeciali Ecclesia, nisi forte alibi habeant sepulcrum. Barbosa *loc. cit. p. 3 cap. 26 n. 1.*

Hisce in iure praeiactis, sustinet defunctorum exequias peragere et rituales absolutiones explere, iure distincto, pertinere ad Canonicum Parochum, etiam assistente Capitulo : quandoquidem Canonicus Parochus cum ius habeat faciendi officium super defunctis, cumque exerceat universam curam, *uti quilibet animarum rector,* integrum ius funerandi habere debet : ad ipsum enim spectat praecedentia ratione sto-

lae quam defert. Haec conformia esse praescriptioni Ritualis Romani *de exequiis pag. 157,* cuius leges in associatione funeris cuiuscumque Clemens XI servari mandavit.

Modo dictis accedere, ait, quod nullum verbum reperitur in litteris Apostolicis et in executoriali decreto, quod Capitulo facultatem tribuat exequias et absolutiones rituales super defunctorum cadaveribus peragendi. Imo ex iis contrarium evinci, in num. enim VIII legitur, ad Canonicum Parochum spectare *Ecclesiastica sepultura defunctorum corpora donare ipsisque defunctis officia exsolvere.* Sive igitur perpendatur ius commune, sive ius peculiare, nullatenus dubitare posse quin, etiam adstante Capitulo, Canonico Parocho ius competat tam exequias, quam rituales absolutiones peragendi.

Gradum deinde faciens ad quartam quaestionem quae versatur circa dependentiam, quam Beneficiarii vulgo *domieri* a Canonico Parocho habere debent ; patronus propugnat Beneficiarios a Canonico Parocho in omnibus ita dependentes esse debere, ut ab hac dependentia a Capituli Archipresbytero ullo modo exturbari nequeant : et hoc exigi tam a iure communi, quam a iure peculiari.

A iure quidem communi, nam Parochus qui sacerdotem sibi adsciscit, ut eum coadiuvet in exercitio muneris parochialis et propriis sumptibus eum récompensât, profecto ab ipso parocho dependere debet in praefati muneris exercitio.

A iure autem peculiari, quia Summus Pontifex Gregorius XVI decrevit, ut Canonicus Curatus universam curam una cum presbyteris coadiutoribus ab eo dependentibus exerceret. Executor vero Apostolicus sub num. X. statuit, ut proparochi, seu Beneficiarii vulgo *Domieri,* in curae animarum exercitio a Canonico Parocho « ut prius ab Archipresbytero » omnino dependeant ipsique subiecti sint. »

Ceterum hoc quod ius commune et ius peculiare exigit, requiri contendit ab ipsa officii parochialis natura. Si quilibet enim ex Beneficiariis pro lubitu suo ageret, ex hac ipsorum agendi ratione nihil aliud exurgeret quam confusio cum animarum periculo et fidelium scandalo.

Tandem ex lege, a iure communi deducta, demonstrare studet Beneficiarios teneri coadiuvare Canonicum Parochum in Evangelii praedicatione et in cathechesibus instructionibus. Certum siquidem est, quod pro-parochi, seu auxiliares sacerdotes deputantur ad coadiuvandum parochum in iis omnibus, quae ipse per se explere non valet, vel quia infirmus vel legitime impeditus, vel quia fidelium multitudo ita est numerosa, ut non sufficiat per se ipsum iterare Evangelii praedicationem et catechesis instructionem impertiri. Ob hoc enim auxilium et officium quod praestant, congrua portio ex redditibus beneficii illis assignatur.

Quod ius commune réclamât, fortius tenendum esse autumat in casu ex iure peculiari. Nam Beneficiarii ex fundatione et respectiva retributione Parochum coadiuvare tenentur. Sane ex litteris Apostolicis colligi asserit, presbyteros beneficiarios constitutos fuisse cum onere adnexo beneficio coadiuvandi Parochum in exercitio curae animarum. Litteris Apostolicis haud contradicere decretum executoriale, imo ipsum sub num. X. eadem prorsus confirmare quae in ipsis praescripta leguntur.

Cum itaque dubitari nequeat Beneficiarios ex fundatione teneri ad praestandum adiumentum Parocho, patronus concludit illos teneri ad Evangelii praedicationem, quoties Parochus non valeat concionem habere, vel quia infirmus, vel quia ex aliqua rationabili causa impeditus. Ipsos autem semper teneri Parochum coadiuvare in institutione christianae doctrinae impertienda ; et hanc praxim in omnibus Urbis paroeciis observari.

Hisce perpensis, proposita fuerunt diluenda sequentia

Dubia

L *An ius administrandi Baptismum et custodiendi libros baptizatorum maneat penes capitulum* vel penes canonicum curatum in casu.*

II. *An capitulum, praeter'functiones capitular'es* ius habeat committendi alternative uni vel alteri ex canonicis cum*

assistentia beneficiariorum vulgo domieri *celebrationem aliarum functionum* scilicet missarum festivarum vel defunctorum* novendialium vel trid uan arum precum* processionum etc. ac stolae fructus inde percipiendi in casu.*

III. *An canonicus curatus iure distincto frui possit in defunctorum exequiis capitulo assistente* et an a capitulo vel a canonico curato perficiendae sint rituales absolutiones in casu.*

IV. *An beneficiarii vulgo* domieri *ita dependeant a canonico curato* ut ab hac dependentia extarbari nequeant a capituli archipresbytero in casu.*

V. *An iidem beneficiarii teneantur coadiuvare canonicum curatum in Evangelii praedicatione et in catechesibus instructionibus in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Concilii, omnibus maturo examini subiectis, sub die 27 Iunii 1891 respondere censuit : *Ad primum: Dilata et coadiuventur probationes de usu Capituli constante et nullo reclamante administrandi Baptismum et retinendi libros baptizatorum, Ad secundum: Affirmative dummodo non agatur de functionibus et iuribus mere parochialibus. Ad tertium si agatur de exequiis parochianorum praecedentiam spectare ad canonicum curatum ratione stolae et rituales absolutiones spectare ad eumdem ratione muneris: si vero agatur de aliorum exequiis omnia spectare ad capitulum,* scilicet praecedentiam *et rituales* absolutiones. *Ad quartum: Affirmative* quatenus agatur de cura animarum. Ad quintum: Affirmative, dummodo parochus sit impeditus.*

A P U A N A

FUNERUM

Die 11 Aprilis 1891.

Sess. 25 cap. 13 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Ante annum 1888 inter parochum S. Nicolai, in cuius districtu est nosocomium civitatis Apuae, et ceteros civitatis parochos, ac maxime praepositum cathedralis, controversia erat quoad elationem et sepulturam infirmorum in hospitali defunctorum. Proposito itaque dubio, *an parocho cathedralis competat ius efferendi et funerandi parochianos suos, qui in hospitali S. Antonii decedunt in casu,* die 19 Maii 1888 S. C. C. respondit : « *Affirmative et ad mentem. Mens est ut Episcopus curet tit associatio cadaverum fiat iuxta praescripta Ritualis Romani* » (1). Exinde nedum praepositus cathedralis, sed et ceteri Apuani parochi fllianos in hospitali defunctos sine ullo ulteriori dissidio efferre et tumulare potuerunt. Sed quaestio supererat de extraneis : nam ad S. Antonii nosocomium nedum oppidi, sed et finitimorum locorum infirmi afferri solent.

Episcopus, licet a iurisdictione parochi S. Nicolai nosocomium exemptum putaret, cum tamen bene cognosceret aliam prorsus esse parochi mentem, eum qui tunc oeconomi titulo paroeciam regebat ad se vocavit, sicque allocutus est : si censes esse parochus advenarum et extraneorum a paroeciis urbanis, efferre et associare debes • cum Sodalitio, cui nomen a *Charitate,* tum illos qui taxas solvunt, tum qui nequeunt solvere. Quam conditionem Episcopus adiecerat ut menti S. C. C de decenti mortuorum associatione satisfaceret. At cum sodalitas a Charitate professa^esset se gratuito ad mortuorum elationem et funera non esse ituram, hinc res in suspenso haesit.

(1) Habes hanc quaestionem Vol. XXI, 201.

Verum tunc sponte occurrit sodalitas *a Misericordia** -quae in ecclesia propria et a parocho iud ependenti erecta est, et huic pio funerum officio obeundo se obtulit sub hisce conditionibus, quas Episcopus approbavit et sanxit, nimirum : duo sodalitia nempe a Charitate in S. Nicolao, et SSmi Sacramenti in S. Gre miniano libere associare valebunt per diem proprios fratres, qui in hospitali decedant; omnes alii tum civitatis, tum agrorum, aut advenae associarentur a sodalitio cui nomen a misericordia cum hac distinctione ; quod si elatio defuncti ex voluntate familiae aut amicorum fieret statuta hora diei solverentur libellae 5 quae aequant expensas necessarias. Omnes alii qui solvere nequeant libellas 5 -deportarentur ad coemeterium sub hora 23, aut 24 de sero, vices parochi fungendo Capellanus ipsius sodalitii.

Atque exinde mos inductus est, ut, paucis forte exceptis, qui ad confraternitates Charitatis et SSmi Sacramenti pertinent, ceteri in hospitali defuncti a sodalitio a Misericordia associarentur, hac tamen differentia ut si e civitate sint, una cum sodalitio parochus defuncti incedat, si vero e suburbio vel extranei, ipse sodalitii capellanus ; confraternitas autem nonnisi 5 libellas a ditioribus repetat. Hinc factum est ut, anno e. g. 1888, cum defuncti in nosocomio essent 53, 15 ex urbanis paroeciis, 38 extranei, omnes quidem a sodalitio a Misericordia elati sunt, at ex his nonnisi 22 statutum stipendium erogarunt.

Atque ita pacifice res processerunt usque ad annum 1889, in quo novus ad S. Nicolai nuncupatus parochus controversiam instaurare voluit, profitens et contendens se velle associare omnes extraneos a quinque Paroeciis urbanis in Hospitali defunctos, quia ipse est parochus, et quia Hospitalis est infra limites suae paroeciae.

Prosequitur Episcopus : annuerem huic consilio, quamvis vera iurisdictio non adsit, sed praetensio ex parte parochi, quia Hospitalis est independens cum proprio cappellano. Sed nequeo ex dicendis : nam si associationes fiant horis determinatis diei *cum alityuali pompa* novus parochus exigit

nonnulla iura pro se aiens: si parentes defuncti solvunt 5 libellas sodalitio *a misericordia,* emolumenta debent etiam parocho solvere. Associationibus autem gratuitis etiam Parochus gratis adesset.

Attamen si familiae defunctorum quae 5 libellas solvunt Sodalitio a misericordia, nollent aut nequirent solvere parocho emolumenta praetensa ; tunc forsan scandala redibunt de quibus actum est in alia quaestione ; nempe quod cadavera efferri debeant a solis vespillonibus, aut quod sodalitium a Misericordia efferre gratis débeat omnia cadavera. Quod facere nequit, quia onus importabile fieret.

Ex quibus verbis patet, Episcopum petitionem parochi S. Nicolai vindicandi sibi extraneorum defunctorum associationes, duplici ex capite reiiciendam putare: 1. quia nullo est bono iuri innixa: nam cum hospitale, iuxta Ordinarium, sit exemptum, de funeribus extraneorum in eo defunctorum ad parochum S. Nicolai nil referre potest; 2. quia est inopportuna.

Exemptio autem, quam, praeter Episcopum, ipsi piae domus moderatores pro viribus tuentur, in citatis Episcopi litteris provenire dicebatur a decreto magni ducis Tusciae et a decreto episcopali facto tempore s. visitationis.

Proposito itaque dubio *an Ordinarii decretam quoad funera extraneorum a sodalitate* a Misericordia *peragenda sustineatur in casu,* S. C. C. die 6 Septembris 1890 respondit: Dilata et afferantur decreta anni 1782 super asserta exemptione, et doceatur de consecutiva observantia. >

Porro neque Episcopus neque piae domus moderatores, quibus potissimum nosocomii exemptio cordi esse videbatur, de hisce decretis afferendis satagerunt, sed parochus S. Nicolai, contra quem decreta invocabantur, ipse quidem ea conquisi vit et ad S. C. C. detulit.

Primum ratione temporis inter haec invenitur quoddam scriptum diei 23 Aprilis 1782, quo Senator Bindus Peruzzi instantiam a priore nosocomii confectam transmittit ad Vicarium regium Apuanum pro informatione et voto. In sup-

plici hoc libello cappellanus Hospitalis dolet quod Parochus S. Nicolai sese immisceat in administratione sacramentorum et in sacris functionibus peragendis a cappellano independenter a Parocho eodem. Senator Peruzzi rescribendo innuit esse Principis voluntatem, quod Cappellanus celebret Missam et sacramenta administret infirmis in hospitali absque ulla dependentia a parocho.

Tertio affertur decretum ab Episcopo in S. Visitatione die 30 Octobris 1782 exaratum, quodque ita est :

« Fides *(fit)* per me infrascriptum qualiter in folio sacrae Visitationis oratorii hospitalis S. Nicolai civitatis Pontremuli executae sub die 28 Octobris currentis 1782 inter cetera apparet documentum tenoris sequentis, videlicet :

« Cum subortae fuerint nonnullae discussiones in facto iurisdictionis inter admodum rev. d. Carolum Frigeri rectorem S. Nicolai, intra limites cuius paroeciae situm est oratorium supradictum, et inter d. capellán um eiusdem oratorii, omnibus rite perpensis, decrevit prout infra, videlicet :

« 1. Ut nullae functiones ecclesiasticae in praedicto oratorio peragantur, excepto festo titularis.

« 2. Ut officia anniversaria, et celebrationes missarum in adimplementum legatorum transferantur ad ecclesiam parochialem S. Nicolai, quibus adsistat parochus vel alius ab eo deputatus.

< 3. Ut administrationi sacramentorum infirmis suppleatur a d. capellano praedicti hospitalis, neque parochus in hac re ullo modo se ingerat, nisi sit expresse requisitus.

« Quibus habitis d. prior praedicti hospitalis protestatus -est, se nullo modo posse permittere, ut anniversaria, officia, -et missae in implementum legatorum possint alibi peragi, nisi prius super hac re habuerit opportunam instructionem a d. auditore, seu secretario iuris Florentiae. »

Denique adest rescriptum ab auditore, secretario regii iuris, ad Bindum Peruzzi directum sub die 6 Novembris 1782 in quo Episcopus Sarzanensis proponit : 1. quod in

Oratorio Hospitalis neri nequeant aliae sacrae functiones praeter festum s. Titularis: 2. quod anniversaria suffragia 'et Missae cum cantu, in onerum implementum, transferantur in Ecclesiam S. Nicolai cum adsistentia Parochi : 3. Quod administratio sacramentorum infirmis fiat a Cappellano. Regia auctoritas haec omnia probavit et voluit, ut cappellanus invitaretur in Paroeciam dum fierent dicta suffragia et litarentur Missae praedictae, ne propria emolumenta amitteret.

Haec documenta Praeses congregationis charitatis desumpta esse ex nosocomii tabulario et autographis conformia dicit. Et de his memoriam servari in archivio Sarzanensis dioecesis, ad cuius iurisdictionem Apuana civitas tunc temporis suberat, ex conscientia confitetur parochus S. Nicolai. Quin imo in parochiali archivio S. Nicolai adest historica relatio a parocho Frigeri, qui tunc temporis erat S. Nicolai rector, conscripta, cuius exemplar actualis S. Nicolai parochus transmittit, et in qua pars dispositiva decretorum superius relatorum inserta invenitur. Quapropter de horum documentorum veritate dubitari ex ipsa actoris confessione non licet.

Verum in adducta historica relatione sacerdotis Frigeri adnotatio adiicitur, qua sensus et valor decretorum superius relatorum valde, iuxta actorem, minuuntur, et ad quam idcirco plurimum attendendum idem actor putat, nimirum, ex iis dispositionibus parochialem iurisdictionem capellano hospitalis ex integro datam minime fuisse ; nam decreta de infirmorum adsistentia unice loquuntur.

Quae parochi opinio quanti esset facienda remissum fuit EE. Patrum iudicio. Nam prohibitio sacras functiones alicubi peragendi signum potest esse exemptionis, vel non, iuxta diversa rerum vel factorum adiuncta. Utrum autem in themate ademptae iurisdictionis sit signum, an non, definiant Emi Patres.

Quod potius pertinet adnotare, hoc denique est, nimirum de subsequa observantia, de qua S. C. C. edoceri voluerat, ne verbum quidem in novis actis reperiri.

Forte aliquid ad rem inveniri poterit in folio causae 19 Maii 1888, ubi in Episcopi voto, nunnulla ad rem facientia inveniuntur (1).

Hisce itaque perpensis aliisque quae in praecedenti folio continebantur, enodandum propositum fuit

Dubium

An Ordinarii decretum quoad funera extraneorum a sodalitate a Misericordia *peragenda sustineatur in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re discussa sub die 11 Aprilis 1891, censuit respondere: *Affirmative* quatenus Parochus s. Nicolai conditiones eiusdem decreti acceptare noluerit.*

MAZARIEN.

LIBERATIONIS ONERIS

Die 11 Aprilis 1891.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Sub elapsi saeculi finem sacerdos Ioseph Cudia suorum redituum partem paroeciae cathedralis, partem piae domui orphanarum, civitatis Mazariensis, reliquit a- suis haeredibus quotannis persolvenda. Quae ad piam domum pertinent, legata sunt pro eleemosynis erogandis quotannis pauperioribus reclusis, et pro missis litandis et cera. Haec inter adest etiam parvus census libellarum 6,37 nullo civili vinculo, sed sola conscientiae obligatione nunc debitus.

Porro vertente anno 1884 contigerat, ut in matrimonium peteretur quaedam Catanzaro piae domus alumna, 25 annos nata. Et cum sufficiens dos eidem aliter parari non

(1) Recole hanc quaestionem Vol. XXI, 201.

posset, supplici libello a S. C. C. petebatur, ut in dotale subsidium inverteretur sors praefato censui lib. 6. 37 respondens, a cuius proinde praestatione liberaretur familia Castelli, haeres bonorum et onerum sacerdotis Cudia. Verum, pendente adhuc instantia, cum periculum esset in mora, nam speciosa erat puella, vir autem impatiens, et tamen sine dote eam ducere recusabat, moderatrix piae domus institit apud haeredes Castelli ut praefati census sortem, idest libellas 127, 50, continuo solverent, spondens certo futurum ut gratia concederetur. Et sacerdos Ioseph Castelli, qui administrator erat et unus ex haeredibus annuit, summamque erogavit, et sic mulier statim in matrimonium potuit honeste collocari.

Verum paulo post preces, de quibus supra, negativum obtinuerunt responsum; id quod valde sacerdotem turbavit, qui ad eam summam praestandam, si a census praestatione non liberaretur, haud erat paratus. Atque idcirco primum Vicarius generalis Dioecesis, huius sacerdotis nomine, dein piae domus moderatrix, ipso suffragante Episcopo, ac demum iterum iterumque idem sacerdos liberationis gratiam petierunt, attento praesertim quod sors censui respondens bona ride iam fuerat erogata et consumpta. Ast omnibus hisce precibus haec una semper reperitur data successive responsio *lectum* et *negative,* usque ad diem 20 Augusti 1888, quo rescriptum est *in decretis et amplius.*

Modo vero Francisca Castelli, neptis sacerdotis Iosephi Castelli, et cohaeres cum eo bonorum et onerum sacerdotis Cudia exponit, quod patre et matre carens, in aetate 30 annorum, virum non invenit a quo in uxorem duceretur : nunc autem hunc reperisse, et ideo exponere ut dictus sacerdos Castelli, cuius oratrix est neptis, possit sibi rependere sortem lib. 127, alias alteri solutam, ceu urgens subsidium dotis, ita tamen ut praedictus sacerdos solvatur ab omni obligatione conscientiae.

Disceptatio Synoptica.

Animadversum fuit quod gratia quae poscitur non est a fundationis instituto aliena : imo cum census, de quo quaestio unum ex legatis sit quae ad hunc effectum relicta sunt, ut aliqua quotannis subsidia pauperibus orphanisque mulieribus praestentur, apparet, quod unica commutatio quae in themate occurrit in eo consistit, ut loco annui redditus ipsa sors erogaretur. Finis tamen unus idemque foret.

Insuper si attendatur quod de parvo censu agitur, nullo civili titulo debitus, quique idcirco facile de perdi aut malitia aut ignorantia potest: quod mulier oratrix haeres est et probabiliter fundatori coniuncta - quo in casu vel facilius conceditur commutatio voluntatis ad effectum subsidii! praestandi, ceu videre est in *Romana subsidii, 2 Iunii 1852 :* - quod in genere causa subsidii dotalis pia est et omnimodo favore prosequenda, nam per eam dum indigenti mulieri succurritur, bono etiam religionis et societatis prospicitur, quorum valde interest mulieres honeste in matrimonio collocari : si denique attendatur, quod sacerdos, qui administrator haereditatis est, alia vice bona fide et ad providendum puellae, in gravi discrimine positae, census sortem erogavit ; profecto titulis destituta non videtur hodie esse, petitio.

Si tamen ad impediendum ne sors legatorum Cudia ulterius imminuatur, et ad sartam tectamque rigorose servandam testatoris voluntatem, etiam hac vice preces reficere expediret, remissum fuit prudentiae EE. Patrum.

Quibus aliisque praenotatis, quaesitum fuit quomodo preces oratricis essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii, re cognita sub die 11 Aprilis 1891, censuit respondere: *Pro gratia, iuxta preces* facto verbo cum SS¡no.*

EX S. C. EPISC. ET REGULARIUM

NEOCASTREN. SEU ISCLAN.

SUPER PETITIONE FRUCTUUM.

Die 20 Martii 1891.

COMPENDIUM FACTI. Rmus Ioseph Candido actualis Episcopus Isclan. sub die 5 decembris 1889 supplici libello exhibito, S. C. Episc, et Regul. retulit, sese tamquam administratorem usque ad diem 10 Iulii eiusdem anni, mensam neocastren. rexisse, et praefato mense incipiente, redditus omnes favore mensae episcopalis in tabulis, vulgo *Gran Libro** inscriptos a Gubernio recepisse. Fructus vero censuum et canonum, quippe qui mense augusto cuiuslibet anni persolvi solent, exigere haud potuisse, eosdemque a canonico Lauro mensae procuratore exactos fuisse, qui, excepta quota viginti diebus iulii et integro mensi augusti respondenti, utpote novo coadiutori Antistiti Valensise debita, reliquam summam oratori tradere debuisset. Verum cum nihil obtinere potuisset, enixis precibus petiit ut S. C. Episc, et Regul. Episcopum Valensise ad praedictae summae restitutionem adigeret.

Administrator neocastren. de re instructus, die 4 martii 1890 respondit, censuum redditus anni 1889, detractis exationis expensis, lib. 1232,50 aequare: hinc portionem Episcopo isclan. tribuendam, consistere debere in lib. 616,25, ex eo quod, iuxta normam ab Auditore SSmo traditam, redditus omnes mensae neocastren. partibus aequalibus inter antecessorem et eius successorem dividendae erant.

Verumtamen ab hac summa lib. 616,25 detrahendas esse ait lib. 827,88 ; scilicet lib. 554,88 pro taxis *Manomorta* et annui concursus a demanio impositis, et insuper lib. 273 pro eleemosynis missarum, quas ipse acceperat, quin tamen

seminario dioecesano, cui debitae erant, eas restituisset. Rebus sic stantibus administrator neocastren. conclusit, Episcopum isclan. nihil exigere posse, imo ipsum lib. 211,63 debitorem existere.

Vicissim Episcopus isclan. cui res communicata fuit, subdit administratoris neocastren. responsionem aequivocatione laboraré, et per eam duo confundi, quae omnino distingui debent. Uno verbo Episcopus isclan. contendit Auditorem SSmum de ratione loquutum esse, qua redditus anni 1889 dividendi erant; se autem censuum et canonum fructus quatuor ultimis mensibus anni 1888 respondentes reclamare, qui vertente augusto 1889 exacti fuerunt.

Hisce perpensis concludit, quod, admisso censuum et canonum redditum anni 1888 et 1889 ad lib. 1232 ascendere* sibi lib. 1056,90 competere, ex eo quod dioecesim neocastren. per 313 dies, seu a prima die septembris usque ad 10 diem iulii 1889 administraverat. Ab hac vero summa lib. 1056,90 detrahendas esse non integras lib. 554,88, ceu ex adverso contenditur, sed earum medietatem quae in lib. 277,44 consistunt, quaeque pro taxis vulgo *Manomorta* et annui concursus solutae fuerunt; nec non eleemosynam missarum in lib. 273 seminario dioecesano debitas, seu lib. 550,44.

Iamvero a lib. 1056,90 crediti, subdictis lib. 550,44 expensi, remanere, ait, favore suipsius lib. 506,46, quae ab Episcopo Valensise solvendae sunt.

De postremis hisce Episcopi isclan. deductionibus informatus administrator neocastren. respondit, verum utique esse, quod censuum fructus in illa dioecesi ad ultimam diem mensis augusti solvuntur; sed esse pariter veritati consonum huiusmodi solutionem non pro anno iam elapso, sed pro labenti anno fieri. Hinc argui contendit fructus vertente mense augusto anni 1889 exactos, ad hunc annum, non vero ad annum 1888 referri oportere. Dispositione itaque Auditoris SSmi admissa, intelligere haud datum esse, quomodo Episcopus isclan. tres fructuum partes sibi arrogare valeat, una tantum parte Episcopo Valensise relicta.

Disceptatio Synoptica.

Ex officio perpensum fuit totam quaestionem in hoc veluti cardine versari, utrum scilicet censuum et canonum fructus, qui in illa regione semel in anno, seu die 31 augusti solvuntur, omnes in dicto mense maturentur ; vel an tertia -eorum pars, ii scilicet quae a prima die septembris ad ultimam diem mensis decembris decurrunt, anticipati sint nec ne. Ab Episcopo Valensise sustineri quidem censuum solutionem, quae mense augusto locum obtinet, pro anno currenti tantum fieri ; verum huiusmodi assertionis nullam sive iuris sive facti rationem ab ipso adduci.

Vicissim fel. mem. S. Pium V in sua Constitutione *Cum onus apostolicae servitutis* die 16 februarii 1569 edita, circa sensuum solutionem, § 3, prohibuisse: *Solutiones quas vulgo anticipatis appellant, fieri, aut in pactum deductas.*

Hisce additum fuit constare ex facto, Rmum Barbieri Episcopum titularem neocastren., tum cum Episcopo Candido fructuum portionem ipsi debitam tradidit, hanc regulam retinuisse, ut scilicet novi anni fructus a prima die septembris decurrere inciperent. Hinc si in fructuum divisione actualis administratoris neocastren. sententiae standum esset, sequeretur, quod Episcopus isclan. tertiam partem fructuum, censuum et canonum perdere deberet, quod nullo pacto admitti potest.

Hisce summo veluti ore delibatis, enodandum propositum fuit sequens

Dubium

An Episcopo Iosepho Candido ius tantum competat percipiendi fructus censuum et canonum mensae neocastren. primo semestri anni 1889 et aliis decem diebus respondentes ; vel etiam censuum et canonum fructus quatuor postremos menses anni 1888 respicientes in casui

RESOLUTIO. S. Congregatio Episc, et Regul. omnibus mature perpensis sub die 20 martii 1891 respondere censuit: *Negative ad primam partem : affirmative ad secundam.*

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

ALBIENSIS de Sodalitatibus *Bonae mortis* in dicta Archidioecesi erectis.

Congregatio Primaria quae *Bonae Mortis* nuncupatur sub invocatione D. N. Iesu Christi in Cruce morientis ac Beatissimae Virginis Mariae eius Genitricis perdolentis finem habet, ut fideles ad mortem quam felicissime obeundam rite disponantur per iugem passionis Christi memoriam eiusque publice privatimque recolendae studium, et in primis per vitam recte christianoque institutam.

Huius vero Primariae Congregationis statuta generalia definiunt quaedam pia exercitia in communi peracta, ita ut sodales conveniant in Ecclesiam Congregationis, vel singulis sextis feriis aut diebus Dominicis, vel saltem semel aut bis in mense, et in his piis coetibus conciones habeantur et preces una simul a Sodalibus fundantur.

Quum autem Congregationum *Bonae Mortis* quae "per diversas Orbis partes eriguntur statuta peculiaria originalibus statutis, supra recensitis, sint conformanda, quantum tempora et locorum adiuncta suadebunt, ideo quaeritur:

I. Utrum Primariae aggregari possit Congregatio *Bonae Mortis* quae sub invocatione tantum Sancti Iosephi erigeretur, omisso omnino titulo D. N. Iesu Christi in Cruce morientis et B. V. M. perdolentis, et cuius statuta nullam habent mentionem de piis conventibus atque exercitationibus supradictis pro certis diebus, et tantummodo praescribunt, ut fundantur preces pro unoquoque socio cum in agoniam devenerit, ut mortuos sodales ad sepulturam comitentur et eleemosynae colligantur ad Missas pro sociis defunctis celebrandas : talis enim Congregatio non videretur esse eiusdem nominis et instituti?

II. An Episcopi qui gaudent indulto eis concedente erigendi in sua Dioecesi Confraternitates cum Indulgentiis quibus gau-

dent Archiconfraternitates eiusdem nominis et instituti in alma Urbe existentes, erigere valeant pias Sodalitates, uti supra expositum est, cum Indulgentiis concessis Primariae Congregationi *Bonae Mortis?*

Et quatenus negative

III. Num petenda sit sanatio praedictarum piarum Unionum *Bonae Mortis* in Dioecesi Albiensi erectarum, assumptis tamen titulo Unionis primariae et statutis eidem conformibus prouti suadebunt adiuncta locorum in quibus iam erectae sunt; an potius denuo erigendae?

S. Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita, audito unius ex Consultoribus voto, praefatis dubiis respondit:

Ad I. Negative.

Ad II. Negative.

Ad III. Negative quoad primam partem; affirmative quoad secundam; servato tamen Decreto nuper edito ab hac S. Congregatione sub die 17 Septembris 1887. (1).

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 17 Iulii 1891.

I. CARD. D'ANNIBALE *Praefectus*

L. * S.

ALEX. ARCHIEP. NICOPOLIT. *Secretarius.*

TORNACENSIS de obligatione inscribendi nomina Christifidelium in albo Confraternitatum quae scapularibus decorantur.

Franciscus Labis Canonicus Ecclesiae Cathedralis Tornacensis humillime proponit Sacrae Indulgentiarum et SS. Reliquiarum Congregationi solvenda dubia sequentia:

I. An revera, praeter benedictionem et impositionem habitus rite peractam, requiratur inscriptio in Albo Confraternitatum pro tribus Scapularibus Ss. Trinitatis, B. Mariae Virginis Perdolentis

(1) Habes hoc decretum Vol. XX, 364.

et a Monte Carmelo, ut Fideles sic recepti Indulgentias praefatis Scapularibus adnexas lucrari valeant? — An potius talis inscriptio ut congrua tantum habenda sit, ita ut absque Indulgentiarum iactura omitti possit?

Et quatenus affirmative ad primam partem;

II. An non opportuna foret inscriptionis dispensatio pro locis vel dioecesibus in quibus nulla habentur Monasteria Ss. Trinitatis vel Servorum B. Mariae Virginis, vel Carmelitarum?

III. An non opportuna etiam foret sanatio et convalidatio receptionum huc usque peractarum, omissa licet inscriptione, ne fideles Indulgentiis et gratiis spiritualibus defraudati remaneant et scandalum percipiant?

S. Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita, audito unius ex Consultoribus voto, praefatis dubiis rescripsit:

Ad I. Dentur Decreta in una Societatis Iesu de Confraternitatibus ad Dubium IV sub die 16 Iulii 1887 (1) ; et in una Cameracensi sub die 18 Augusti 1868 ad Dubium III (2); in una a S. Congregatione de Propaganda Fide proposita sub die 26 Ianuarii 1871 ad Dubium I (3); et tandem in una Ordinis Fratrum Minorum Excalceatorum et Recollectorum sub die 27 Aprilis 1887 (4).

Ad II. Negative et potius omnis cura impendatur ut Confraternitates erigantur Ss. Trinitatis, B. M. Virginis de Monte Carmelo, et Septem Dolorum in una vel altera Ecclesia praesertim

(1) Habes hoc decretum Vol. XX, 108.

(2) Prostat Vol. IV, 219.

(3) En. dubium primum cum responso :

Dub. I. *Utrum Sacerdos qui a S. Sede obtinuerit facultatem benedicendi Scapularia, habeat eo ipso facultatem ea imponendi Christifidelibus, et eosdem adscribendi Confraternitatibus a S. Sede approbatis.*

Resp. Ad I. *Affirmative; ita tamen ut Sacerdotes qui praedictum indultum benedicendi Scapularia ab apostolica Sede legitime obtinuerint, penes se habeant privatum regestum, et quamprimum commode possunt, transmittere teneantur ad Superiores respectivae Sodalitatis vicinioris, canonice erectae, nomina receptorum, ut in Album ipsius Sodalitatis referantur.*

(4) Decretum hoc adest Vol. XIX, 556.

parochiali ad quam nomina inscriptorum Sodalium deferri poterunt.

Ad III. Affirmative, et petitionem sanationum faciendam esse ab Ordinario loci.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 17 Iulii 1891.

I. CARD. D'ANNIBALE *Praefectus*

L. * S.

ALEX. ARCHIEP. NICOPOLIT. *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

MONITUM quoad festa, in kalendariis particularibus perpetuis inserenda ss. confessorum Ioannnis Damasceni, Silvestri Abbatis, et Ioannis a Capistrano.

Festa Sanctorum Confessorum Ioannis Damasceni, Ecclesiae Doctoris (die 27 Martii), Silvestri Abbatis (die 26 Novembris) et Ioannis a Capistrano (die 28 Martii) in Kalendario universali Ecclesiae, ex decreto S. R. C. diei 19 Augusti 1890 inserenda, assignari poterunt diebus proxime insequentibus vacuis in iis Kalendariis particularibus perpetuis, in quibus alia Officia iam affixa respectivis diebus reperiuntur.

Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis die 11 Iulii 1891.

L. * S.

VINCENTIUS NUSSI 5. *R.* C. *Secretarius.*

LITTERAE APOSTOLICAE quibus Deipara Virgo in patronam coelestem Congi independentis eligitur.

Ad perpetuam rei memoriam. Optimae quidem spei, quam, recenti Congi Independentis statu sub carissimi in Christo Filii Nostri Leopoldi II Belgarum Regis auctoritate constituto, iure meritoque conceperamus, fore nimirum ut vastissimis illis Africae tractibus, erroris adhuc caligine circumfusis, Evangelicae veritatis lumen affulgeret, exitus iam respondisse satis prosperos non mediocriter delectamur. Post quam enim in iis regionibus Vicariatum Apostolicum per Nostras litteras constituimus, constitutumque Gongregationi ab Immaculato Corde Mariae vulgo « de Scheutveld-lez-Bruxelles » nuncupatae gerendum tradidimus, sil vestris illa atque inculta vineae Domini pars, operariorum culturae, ut Nobis significatum est, se facilem praebuit, laetosque de se fructus atque uberes coepit polliceri. Nunc vero spes Nostra maxime confirmatur atque augetur ex eo, quod ipse Belgarum Rex probe intelligens in catholica religione originem et fontes humanitatis inesse, illius propagationi per populos ditioni suae recens additos ita favit, ut eiusdem propagationis auspex extiterit et patrocinium libens susceperit. Ex quo quidem illud obtigit auspicato, quod Belgae complures Regis in exemplum ad nova provehendi per africam gentem catholici nominis studia statim exarserint, et salutare opus alacri animo aggressi iam multa perfecerint, quae Nos illis merito gratulemur. Quibus in rebus dum singularia divinae providentiae beneficia agnoscimus, non minus miramur studium et constantiam tot lectissimorum virorum, qui primaevos evangelii nuntios aemulati, et non aliam sibi deposcentes mercedem, quam salutem animarum, per africanas regiones serunt verbum Dei, easque nobili sudore fecundant. Itaque cum bonorum omnium Datori Deo gratias agimus, tum meritis laudibus libenter prosequimur praestantes viros, qui christianae afrorum culturae praesunt ; et placet in primis memorare dilectum filium Oswaldum Mariam van den Berghe, Ecclesiae Sancti Iosephi Antuerpiae Parochum, qui primas Stationes Religiosas, utile quidem ac fructuosum opus, studio sumptuque suo constituendas

curavit. Participes cum eo sicut operis, ita gloriae novimus esse dilectos filios Comites Mauritium de Ramaix et Florimundum de Bergeyck egregie et ipsos de Fidei per Congum propagatione merentes, unaque cum iis Leonem van Ockerhout, qui hospitalem domum in egenorum subsidium sua impensa excitavit. Verum Nos non ita Belgarum studio in Congi regionibus evangelii luce collustrandis permovemur, quam iucunde afficimur singulari eorum pietate, ac summa fide et spe, quam in Deo positam habent. Ipsorum enim plurimi, haud ignari labores suos in colendo agro Dominico tam deserto atque aspero haudquaquam pares futuros, nisi coelestis vineae Dominus vires suppeditant, divinam Eius opem implorandam et interpretem votorum adiutricemque adhibendam Immaculatam Mariam Virginem concordi studio censuerunt. Nihil immo fore aptius atque opportunius iis visum est, quam ut in abducendis ab errorum superstitione gentibus Congi, iisque ad veram Christi sapientiam advocandis, itemque in servitute Nigritarum delenda, eandem sibi coelestem Patronam adsciscerent Genitricem Filii Dei, a quo lumen mentium et filiorum libertatem accepimus. Quibus e rebus Dilectus Filius Noster Petrus Lambertus S. R. E. Presbyter Cardinalis Goossens ex dispensatione- Apostolica Archiepiscopus Mechliniensis et Praeses honorarius illius coetus, qui opus fidei in Congo Belgico dilatandae omnimode promovet, et Venerabiles Fratres Belgici Antistites una cum Clero et supremis Moderatoribus Congi, nec non illustres alii pietate et munifica liberalitate viri, quos inter Iubet commendare dilectum filium Comitem Iosephum de Hemptinne memorati coetus solertissimum Praesidem, supplices ad Nos dedere litteras, quibus petitur, ut Immaculata Dei Genitrix Maria Independentis Congi status praecipua apud Deum Patrona auctoritate Nostra Apostolica renuncietur. Nos piis hisce precibus eo libentius annuendum censuimus, quo impensiori religionis studio Nobis sunt exhibitae; ceterum non sumus dubii quin consilium a memorato van den Berghe patefactum longius perducatur, adeoque confidimus fore ut in libero Congi statu dignum pietate Belgarum, dignum maiestate atque amplitudine augustae Patronae templum quamprimum assurgat. Quare, quod bonum felixque sit et africae gentis saluti bene vertat, Nos Apostolica auctoritate Nostra per has litteras Immaculatam Virginem Dei Genitricem Mariam Congi Independentis praecipuam in Coelis Pa-

tronam perpetuum in modum constituimus, renuntiamus; Eique honores omnes ac privilegia attribuimus, quae principibus locorum Patronis de iure competunt : ac propterea festum Assumptionis Deiparae die decimaquinta mensis Augusti quotannis occurrens, tamquam patronale ibidem haberi et recoli volumus, iubemus. Decernentes has Nostras litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus plenissime suffragari, sicque per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xxi Iulii MDCCCXCI, Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

L. f S.

M. CARD. LEDÒCHOWSKI.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

OLOMUCEN.

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE

Die 30 Maii 1891.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Labente mense Martio praeteriti anni, Franciscus parochus et decanus in archidioecesi Olomucensi , medicorum iudicio, amputationem manus sinistrae et brachii fere ad cubitum pati coactus fuit. Nam morbus qui citra omnem decani culpam a parva felini unguis laceratione ortum habuerat, adeo in dies excreverat, tam funestos ferens effectus, ut brevi vitam ipsam in discrimen adduceret. Diuturna tandem infirmitate convalescens et

postquam ope ñctitii brachii et manus affabre elaboratae omnem deformitatem abstulisset, preces S. C. C. remisit ut dispensationem ab irregularitate assequi valeret. Precibus medicorum attestationes adiectae fuerunt, ex quibus nonnulla excribenda sunt. « Truncus antibrachii solum octo cnt. longitudinis remansit, conservata tamen est sana articulatio cubiti, apta ad omnes motus huiusce articulationis, nempe ad flexionem, extensionem et supinationem, quae activo modo idest ex voluntate decani, et sine auxilio manus dexterae perfici possunt. » Manus vero lignea talis describitur ut facile oculos calamitatis ignaros decipiat. Huius pollex paululum mobilis dicitur, qui res leviores tenere possit, reliqui vero digiti immobiles et aliquantulum inflexi ut cum dextera possint rite coniungi.

Emus Archiepiscopus consuetum experimentum coram duobus caeremoniarum magistris peragi mandavit, qui accuratam relationem conscripserunt. Ex ea patet sacras Missae caeremonias usque ad hostiae fractionem satis diligenter ab oratore perfectas fuisse. « Verum, retulerunt, subsequens hostiae fractio notabiliorem attulit difficultatem, cui tamen sic occurrere conabatur noster tam deplorando infortunio afflictus sacerdos. Quum nequiret fractionem perficere super calicem, super patenam faciebat eam; porro potuisset quidem in fractione hostiae aliquod auxilium ei ferre manus artificiosa, detinendo paululum hostiam, ne ipsa durante fractione super patenam nimis moveretur; quod tamen adiutorium ut modicum ita quoque minus dignum videbatur : atque ob idipsum solam dexteram adhibere maluit sacerdos noster. Videlicet quum sibi praesto esset hostia eiusmodi, in qua duabus lineis .... signati existèrent loci, ubi fractio fieri debet-tales autem hostiae apud nos in communi usu sunt-lineas istas observans sacerdos, de quo agitur, prius aliquantulum infringebat hostiam, deinde eius partem dexteram huc illuc versando fractionem perficiebat. Similiter mox particulam a sinistra hostiae parte defringebat. Atque dicendum quod res ista satis bene successerit, quamquam hoc experimentum ali-

quoties iteratum fuit: dictus enim sacerdos hoc in negotio iam aliquantam dexteritatem acquisierat. Addimus, quod, si descripta hostiae fractio leniter fiat, nec ita nobis pertimescendum esse videtur periculum, quod aliqua minora fragmenta S. Hostiae perdi possint. Solummodo si praesente in Ecclesia copiosissimo populo per calorem, uti fieri consuevit, hostia emolliatur, aucta sic difficultas hostiam frangendi, ob honorem Sacramenti assistentia sacerdotis vel diaconi necessaria fieret. Notatu dignior difficultas adhuc tempore S.Communionis successit. Etenim, ut sacerdos nominatus ad *Domine non sum dignus* dextera sua pectus fundere posset, hostiam relinquere debuit in patena usque iacentem; deinde sola manu dextera unam hostiae partem alteri parti superimposuit, ut Sacramentum sumere posset ; adhuc etiam fragmenta super patenam existentia immediate super calicem extergere nequibat, sed postquam sacras micas in corporali forsitan existentes collegit, manu dextera patenam tenens, artificiosa sinistra corporale aliquantum subie vans, patenam •denuo collocavit super corporali, ut pedetentim indice dextero singula sacra fragmenta caute caperet, inter indicem hunc atque pollicem eiusdem manus dexterae super calicem portaret inque eum immitteret. Porro cum SS. Sacramentum sumeret, patenam mento supponere nequi vit ; succedens purificatio pariter leniius tantum peragi potuit. »

Emus Archiepiscopus deinde mentem suam pandens, scrihit nullum scandalum, neque populi notabilem admirationem esse pertimescendum, si gratia in casu concederetur ; irreverentiae vero periculum erga SS. Sacramentum vitari posse assistentia sacerdotis vel diaconi a fractione hostiae ad calicis purificationem. Atque ita concludit: «Denique dicendum, oratorem morum integritate animarumque zelo eminere, cooperationem ipsius in vinea Domini ob sacerdotum penuriam esse desiderabilem; denique eumdem conditione sua esse pauperem absque ullis privatis facultatibus; quibus stantibus audeo preces et meis adiuvare. »

Disceptatio Synoptiea.

GRATIA DENEGANDA VIDETUR. Non idem semper fuit stylus Sacrae Congregationis in huiusmodi dispensationibus concedendis. Plura enim referuntur exempla in quibus petita gratia denegata est. Sufficiat adducere casum cuiusdam Francisci Decio Mediolanensis archidioecesis, propositum inter supplices libellos diei 18 Aprilis 1863, in quo cum dispensatio irregularitatis ob amputationem sinistrae manus peteretur, licet testimonium Vicarii capitularis de illius moribus et de spirituali fidelium bono ob ven turo adesset, tamen responsio data est: *non expedire.* Et revera agitur de gravissimo corporis defectu, quo sacerdos minus aptus effectus est ad sacras Missae caeremonias peragendas, et cui nullum in posterum remedium praesto esse potest. In themate vero, uti videre est in allata relatione, non omnis populi admiratio, neque in omnibus casibus fidelium scandalum, vel sin minus fastidium excluditur.

Nihilominus pluries, attentis peculiaribus circumstantiis et quibusdam adhibitis cautelis, facultas cum unica manu dextera celebrandi concessa est. Ad rem faciunt *Litomericen.* diei 24 Septembris et 17 Decembris 1864, *Brixinen.* diei 12 Septembris 1868 et *Tor tonen,* diei 18 Iulii 1868. Ita pariter die 27 Novembris 1852 in *Bergomen,* oratori, cui amputatio tertiam solummodo brachii partem reliquerat, S. C respondit: « *Dummodo celebret in oratorio privato, et si Episcopo videatur cum assistentia alterius sacerdotis vel diaconi pro gratia dispensationis et habilitationis.* » Causae autem sacerdoti Tauber faventes in praesens non deficiunt. Eius enim pietas valde commendatur, et ministerii exercitium in tanta sacerdotum penuria desiderabile perhibetur, cum ex alia parte oratoris paupertas ad indulgentiam provocet. Admirationem vero populi et periculum irreverentiae erga SS. Sacramentum ipse Emus Archiepiscopus amovet.

Quibus praenotatis, quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra Concilii Congr. re lecta sub die 30 Maii 1891 censuit respondere: *Pro gratia dispensationis* dummodo celebret cum assistentia alterius Sacerdotis, vel diaconi prudenti iudicio Emi. Archiepiscopi.*

MAIORICEN.

IRREGULARITATIS

Die 30 Maii 1891.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Maioricensis Episcopus, paucis abhinc mensibus, haec S. Cong. Concilii exponebat: « Iacobus dioecesis Maioricensis, vicesimum octavum aetatis suae annum agens, expleto curriculo studiorum in seminario Conciliari eiusdem dioeceseos et in minoribus initiatus cupit ad sacros et maiores ordines promoveri. Cum autem a nativitate ita caecutiens sit, ut nonnisi difficulter legere queat in missali, etiam conspicillis munitus, humiliter implorat dispensationem ab irregularitate ob visus debilitatem, si forte adsit . . . . Episcopus infrascriptus certior effectus de veritate precum supra expositarum, non potest non patefacere quamdam, sua sententia, adfuturam esse indecentiam in Missae celebratione ab oratione; namque cum utriusque oculi caecutiens sit a nativitate, etsi sine externa deformitate, etiam conspicuorum auxilio vix rite legere possit, ultra decimae *metri* partis distantiam; adeo ut ad canonis lectionem omnino ad missale versus sit oporteat. Aliunde verendum est ne, dictam ob causam, in sacro rite perficiendo orator insumat ultra dimidiam horam, magno cum fidelium taedio, ni ante presbyteratus susceptionem ipsi onus imponatur memoriter sciendi Missae secreta. Exquisita vero mente duorum medicorum, in scriptis asserunt minime ad omnimodam caecitatem deveniendum esse oratorem, nisi aliae intercesserint causae; nec concors est sententia aliquorum theologorum et canonistarum, quorum vota hac de re, post diligens

examen audivi; alii enim certam, alii vero, ni fallor potius benignitate ducti, saltem dubiam existimarunt irregularitatem. Eapropter communi consilio casum ad Apostolicam Sedem deferre censuimus pro dispensatione ad cautelam.

Disceptatio Synoptica

Quamvis veteres Ecclesiae leges potius animi quam corporis vitia in promovendis ad ss. Ordines spectari iusserint, nihilominus disciplina iampridem invaluit, quae corpore vitiatus ab altaris ministerio repellit, si talis sit defectus ut congruum ordinis exercitium impediat, vel admirationem et scandalum afferat. *Can. 33 dist. 55, cap. Presbyterum De cler. aegrot. et cap. Thomas De corp. vitiat.* Inter hos et caecutientes adnumerari Doctores communiter docent, maxime cum vitium oculorum, ut in casu, decenti Missae celebrationi obstet et populi admirationem et taedium excitet. Unde mirum non est si pluries S. C. C. huiusmodi vitio laborantium ordinationem non expedire autumaverit, ut videre est in *Vercellen. 28 Iulii 1860*, in *Colonien. 13 Septembris 1862* etc.

Verum e contra non desunt dispensationes in casibus prorsus similibus a S. C. concessae, praesertim si ad oratorum preces ratio aliqua et Ordinarii commendatio accederet. Haec autem favore Iacobi non deficiunt. Siquidem maioricensis Antistes addebat: « Alioquin orator probis piisque moribus, probata vocatione ad clericalem statum, idoneitate ad gregorianum cantum organique pulsatione in seminario, desiderio vehementi utilis evadendi Ecclesiae, cui iam inservit laudabiliter nunc temporis, ac demum parentum paupertate, valde commendabilis existit. Hisce rationibus innixus Episcopus, et ne afflictio addatur afflicto Apostolicae benignitati non dubitat commendari petitae gratiae largitionem. >

Quibus animadversis, quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra O. C. re cognita sub die 30 Maii 1891 censuit respondere: *Arbitrio et conscientiae Episcopi.*

CAPUANA

PENSIONIS

Die 11 Aprilis 1891.

Sess. 24 c. 18 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Raphael Sacerdos dum parochus erat S. Bartholomaei civitatis Capuanae ita actus fuit a scrupulis ut pene amens fieret.

In hoc rerum statu iterum iterumque institit, ut a paroeciae cura sublevaretur, et, teste Emo Archiepiscopo, scimus, eum professum esse contentum futurum, si exaudietur, simplicis alicuius sacri patrimonii, quod in Dioecesi est lib. 170, vel alicuius pensionis, in abdicatam paroeciam, quae esse poterat circa 300 libel.

Porro tunc temporis in ecclesia S. Marcelli, quaedam vacaverat capellanía, quae curata vocatur, sed nomine tenus ; nam reapse unicum eius curae onus est missa pro populo semel in mense : nihilominus cum ex hoc titulo a confiscatione immunis evaserit, suo adhuc censu ditatur, purgatarum nempe libellarum 2000 circiter iuxta Curiae regesta, aut 1840 iuxta denunciationem olim fisco factam, aut etiam minus, si sacerdotem Raphaelem audias. Quidquid sit, investite hoc beneficio eo honore gaudet, ut in coetu parochorum civitatis connumeretur, et perinde ac ceteri parochi titulum et insignia canonicorum assumere legitime possit.

Censuit itaque Emus Archiepiscopus optimum se facturum si hoc beneficio sacerdotem Raphaelem investiret, eum a paroeciae regimine relevando. Res placuit sacerdoti Raphaeli; et ideo die *27* Februarii 1888 litterae collativae beneficii de more expediebantur. At in his onus investito praefiniebatur *« persolvendi annuam pensionem 700 libellarum omnibus oneribus immunem* quam ex facultate per S. Sedein nobis** ait Emus Praesul, *facta* reservamus favore clerici vel clericorum quos nominabimus. »*

Paulo post, nempe die 6 Martii 1888, pensio super re-

ditibus beneficii S. Marcelli reservata assignabatur sacerdoti Munno, qui in Capuano Seminario adiutricem operam ad alumnorum aeducationem praestat. Et sacerdos Raphael, cum id ei esset nunciatum, quin quidquam opponeret, acquievit: imo die 10 Iunii 1888, antequam scilicet in beneficii possessionem immitteretur, syngrapham in Curia exaravit, qua pensionem se sua sponte acceptare dicebat, ac libenter responsurum promittebat. Ast in facto non fuit ita ; quia post annum solvere renuit pensionem.

Citatus in Curia a pensionano, momenta quibus suum innitebatur dissensum tum scriptis, tum voce proposuit coram tribunali seu quadam commissione ab Ordinario electa et delegata: quae tamen propositas rationes nihil faciendas censuit : imo iam redegerat formalis sententiae schema quo ad pensionem illico atque ex integro pendendam Sacerdos damnabatur.

Ast Emus Archiepiscopus censuit, expediens magis futurum simpliciori forma procedere; et idcirco sub die 19 Septembris 1889 litteras Vicarii generalis manu signatas expediri iussit, quibus spatium unius mensis praefiniebat pro solvenda pensione.

Ast sacerdos Raphael quin pareret, maluit ad S. Sedem recurrere, ab eadem suppliciter exoraturus, ut sententia abrogantur praedicta.

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO SACERDOTIS RAPHAELIS. Impugnaturus itaque archiepiscopale decretum diei 19 Septembris 1889, quo ad pensionis solutionem adigebatur, sacerdos Raphael nulla sit in sua origine eoquod non est vera pensio, sed mera spoliatio; per quam titularis ad miseriam et ludibrium redigitur, postquam Ecclesiae inservient per multos annos. Nam, deductis deducendis, residuae sunt lib. 1389 : ex quibus, si dematur pensio 700 libellarum pro primo et 700 libellarum pro altero anno pendenda, non modo nihil erit beneficiato residuum, sed aere alieno adhuc ipse gravabitur, quin ei super-

sit .quo--vivat. Unde nonnisi in tertio anno meliori sorte donabitur.

Verum ne tum quidem deerunt angustiae ; nam cum pensio ferme ad dimidium redituum beneficialium attingat,, dimidium ferme proventuum subtrahet beneficiato, qui proinde dum ab initio nil nisi onera assequi valuit, tertio anno et deinceps reditus vix habebit, quibus vivat. Atqui hoc nedum ab aequitate canonica, sed ab ipsa iustitia alienum et prorsus abnorme videtur. Unde, prout actor concludit, pensio de qua quaestio non possibile onus, sed verum spolium et iniustitiam constituit, ideoque est nulla.

Quin obiiciatur, Sacerdotem Raphaelem pensionem sponte- ab initio acceptavisse. Nam responderi posset, eum illam acceptavisse hac dumtaxat ductum opinione, quod salva sibi adhuc foret pars, qua ad decentem vitae sustentationem indigebat, quaeque ex proventu beneficiorum deducenda semper est, et quidem ante omnes alias solutiones ad instar expensarum, quae fiunt pro recollectione fructuum iuxta textum in *cap. Cum secundum Be praebenda* et *cap. i eod. tit. in VI* cum De Luca *Be pension,* pluribus in locis. Unde regula est, quod quoties beneficii fructus beneficiato sufficientes non sint ad honestam substentationem, pensio, si quae sit, aut minuenda aut tollenda est.

Neque ulterius obiiciatur, Enium Archiepiscopum hac in re facultate apostolica processisse. Quoniam et huic difficultati sua in promptu est responsio. Sane apostolicae poenitentiariae indultum, quo usum esse dicit Emus Antistes, ius et licentiam imponendi pensionem respicit, minime vero quantitatem, quae de cetero iusta et reditibus beneficii respondens semper esse debet. Adeo ut etsi haec quantitas Supremae Sedis auctoritate praefinita esset, nihilominus non sustineretur, si de eius excessu postea constaret. Imo in ipso decreto *Cum nuperrimis* S. C. Ep. et Reg, 28 Ianuarii 1871 iubetur pensionis apostolica auctoritate decretae moderationem imo et extinctionem admitti, quoties pensio in iniustitiam vergat. Statutum enim est « ut amissio vel dimi-

nutio redituum beneficiorum in communi beneficiarios ac pensionarios afficiat nullo facto inter ipsamet beneficia ipsasque pensiones discrimine, ita ut, praefatis reditibus imminutis vel amissis, habita proportione imminui etiam pro rata debeant aut cessare pensiones. >

Accedit quod pensio, de qua quaestio, iuxta Sacerdotem, legitima causa destituitur. Sane inter plures causas quae ad pensionem super beneficio reservandam a DD. recensentur, unica quae in themate saltem specie tenus invocari posset, haec esset, indigentia pensionarii eiusque meritum. Atqui, iuxta actorem, sacerdos Munno neque indigens est neque peculiari merito excellit. Aliunde vero pensionem sine aliqua iusta causa imponi non posse, exploratissimum est in iure ; cfr. De Luca *cit. loc.* Reiffenstuel ad *tit. 12 lib. 3 n. 402** ac fluit ex notissimo *tit. 12 lib. 3 Decret. « ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur. »*

Denique, tertio, nullitas pensionis deducitur ex intrinseco formae vitio, qua imposita est. In litteris enim capellaniae collativis pensio reservatur in favorem clerici vel clericorum ab Ordinario nominandorum. Ast Ordinarius non potest reservare pensionem sibi, aut pro persona nominanda vel sibi benevisa et similibus postea declarandis; tunc enim reservatio esset simoniaca ex const. S. Pii V » prout habet Pax Iordanus *tom. 2 lib. 9 limita 4*, cum Fagnano aliisque ad const. *Intolerabilis* S. Pii V.

DEFENSIO ORDINARII. Verum ex altera parte perpendendum est, ex ipso superius relato recurrentis testimonio constare, reditus beneficii S. Marcelli nunc esse sin minus lib. 1546: et nonnisi in futurum, si nempe praedium 5 modiorum, 100 libellis pro singulis modiis hucusque conductum, in posterum non locetur nisi 50 libellis pro modio eventurum ut capellaniae reditus ad 1300 libellas descendat. Verum in hac etiam perdita hypothesi adhuc beneficiato residuae essent, post solutam pensionem libellae 600 omni onere purgatae. Porro contra, huiusmodi redituum quantitatem reclamare minime potest sacerdos Raphael, nec de eius insuf-

fidentia conqueri, quippe qui ab initio contentum se futurum profitebatur aut pensione 300 libellarum, aut etiam ecclesiastico 170 libellarum proventu.

Ceterum nemo sibi facile suadet, capellaniae reditus, qui in nuperrima denunciatione fisco facta 1800 libellas excedere, et in curiae regestis bismille libellas attingere dicti sunt, his summis tam inferiores esse. Nec verosimile est, praedia 100 libellis hucusque locata fore ut in posterum vix 50 locentur. Praeterquamquod ex pensionarii testimonio scimus, huiusmodi discrimen ne proximum quidem esse nam ait; contractus locationis terminant die 31 Iulii 1892; et ideo falsum esse reditum imminuisse. Quapropter usque ad illud tempus purgatus reditus 1546 libellarum actori, ex ipsa sua confessione, salvus erit. Insuper Ordinarius animadvertit: iuxta relationem ultimam fisco exhibitam, reditus ascendunt ad libel. 1840 absque oneribus fiscalibus hinc residuae sunt actori lib. 1140. Quae summa sufficiens profecto videtur ad honestam sacerdotis substentationem, in civitate praesertim ubi nec gravia sunt ordinaria vitae dispendia, nec sacerdoti ministeria cum respondentibus stipendiis deficiunt.

Quin dicatur pensionem excessivam videri saltem comparate ad beneficii reditus. Nam etsi admittatur sumptuaria ratio quam Raphael proponit, nihilominus salva adhuc ipsi foret plus quam dimidia proventuum pars. Porro pensionem imponi posse usque ad medietatem redituum, dummodo quidem reliqua pars congruum adhuc praestet beneficiato emolumentum, elementare est, prout habetur ex Devoti *tom. 2 De pension, n. 33.* Scavini *t. 3 De pension, n. 700.*

Accedit in themate actorem professum esse, pensionem se libere ac sponte soluturum scriptamque obligationem ad hunc effectum in Curia reliquisse. Nec credendum est id illum fecisse absque sufficienti causae cognitione aut non integra libertate ; nam haud in incontinenti syngrapham confecit, sed ex intervallo, imo post tres menses ab expeditio-

ne bullae, qua ei beneficium conferebatur, prout in facti specie recolitur. Unde praeterquamquod ex lege , in collatione beneficii legitime lata, vi insuper pacti seu spontaneae promissionis ad pendendam pensionem obligari actor videtur, et idcirco contra eum urgeri etiam posse principium *reg. 21 iur. in VI «* quod semel placuit amplius displicere non potest » cum similibus *I. 5 c. De oblig. et act. I. 75 ff. De reg. iur. et 33 iur. in VI* cum *I. 1 ff. De pec. const:* ubi grave esse fidem fallere insuper traditur.

Quod si ab initio beneficiatus aliquod pati debuit dispendium et aes alienum contrahere ob tributa aliasque taxas in successione fisco aut curiae solvenda, id non videtur pensionis obligationem minuere, quia in qualibet beneficii possessione ineunda similia contingere solent, quae nonnisi ex subsequentium annorum proventu reparan tur.

Et haec quidem omnia ad primam pertinent obiectionem, qua pensionis nullitas ex sua flagrante iniustitia deducebatur. Quo vero attinet ad defectum causae, vel ad violatam assignationis formam, paucis res absolvitur. Etenim licet pensionarius iunior adhuc sit nec in extrema egestate, attamen ob praestita hucusque servitia aliaque maiora quae in posterum ab eo praestari sperantur, eius meriti est, ut, iudicio Emi Archiepiscopi, dignus retributione sit. Porro quanti in his rebus Ordinariorum iudicium sit faciendum, neminem latet, expressumque habetur, ne plura dicamus, in const. Benedicti XIV *Cum illud.*

Relate vero ad alterum, haec notat Emus Praesul in suis litteris: nomen pensionarii reticitum fuisse, ne difficultas et dilatio augeretur ex parte Gubernii civilis a quo *exequatur* petebatur. Ratio itaque prudentiae exigebat ut pensionarii nomen reticeretur : et in hac re nullam legis offensionem haberi, nec posse exinde, tamquam ex formae defectu, nullitatem pensionis deduci certum est.

His animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An decretum, litteris diei 19 Septembris 1889 latum sustineatur in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C.C. re cognita, sub die 11 Aprilis 1891 censuit respondere: *Affirmative.*

NOVARIEN.

IURISPATRONATUS

Die 30 Maii i 891.

Sess. 25 cap. 9 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Die 25 Novembris 1889, ob rectoris sui translationem, vacans efficiebatur ecclesia parochialis S. Mariae de Pombia, iurispatronatus laicalis in novariensi Dioecesi. Statim Petrus Paulus Boniperti eiusque patrueles fratres Petrus et Antonius Boniperti penes episcopalem curiam steterunt, atque asserentes se patronatus iure in praefatam paroeciam potiri, presbyterum Franciscum De Gasperis parochum loci *Mez somerico** ad sacrorum canonum tramites, praesentabant. Verum paulo post apud Curiam protestatio decem et septem incolarum illius paroeciae delata est, in qua eos qui ad nominationem devenerant, hoc ius sibi nullimode attribuere posse denuntiabatur. Interim Ioannes Baptista De Boniperti, qui Parmae domicilium fixit, et huius agnata Iosepha De Boniperti, Mediolani degens, mandabant doctori Leopoldo Silvestri ut ipsorum nomine iuspatronatum coram novariensi Antistite vindicaret, simulque nova parochi praesentatione exerceret. Cum autem, vacantis ecclesiae collatio ea vice S. Sedi reservata esset, hinc Episcopus de omnibus certiorem reddidit apostolicam Datariam, cuius iudicio quaestio S. C. C. examinanda modo proponitur.

Praemittendum est tum fundationis tabulas, cum etiam accuratam praesentationum seriem apud acta desiderari. Do-

cumentum antiquius quod affertur est quaedam patronorum conventio quae anno 1737 Episcopo Cardinali Borromaeo exhibita est ; quamque approbavit Ordinarius novariensis decreto diei 12 Decembris 1737, quod ita se habet: « Viso tenore concordiae, modis quibus supra initae inter praedictos Marchionem D. Hieronymum Ferreri ex una parte, et D. Leandrum Boniperti ex alia pro execut. dicti Iurispatronatus, et Iuris nominandi ad recensitum Beneficium et Ecclesiam parochialem S. Mariae loci Pombia per turnum et alternativam, eamdem concordiam superius enunciatam de supradicti commissione Emi et Revmi d. Cardinalis Episcopi; et viso superius expresso voto, approbamus et convalidamus suumque plenarium effectum sortiri posse ac debere decernimus et declaramus ; citra semper praeiudicium cuiuslibet tertii ; et seu etc.

Praeterea et duplex gentilitium schema ab utriusque partis contendentibus deductum est, quorum unum cum alterum non excludat eaque curia episcopalis recognoverit, authenticitatis characterem praeseferre videntur. Inde eruitur a comuni stipite Bernardo Boniperti eiusque uxore Hyacintha Cattaneo quinque filios fuisse progenitos, quorum natu minores fuerunt Leander qui cum Marchione Ferrerio conventionem iniit anno 1737, et Carolus Hieronymus. Ex huius Caroli Hieronymi progenie originem trahunt Petrus Paulus Petrus et Antonius Boniperti qui presbyterum De Gasperis praesentaverunt, dum nobiles Ioannes Baptista et Iosepha de Boniperti ab ipso Leandro Caroli Hieronymi fratre prognati apparent. Tota igitur quaestio ea est num unus Leander, exclusis fratribus , iura patroni assequi et retinere potuerit.

Quoad usum patronatus, ait Episcopus, post conventionem diei 13 Decembris 1737, Marchio Hieronymus Ferreri nominavit Sacerdotem Bellini die 14 Iulii 1742; Sacerdos Fasola nominatus fuit die 7 Decembris 1761 a Teresia Fasola uxore Ioannis Baptistae Boniperti, et matre Leonardi. Aliae autem factae sunt nominationes, quarum non reperiuntur actus.

Tandem exhibitum documentum fuit, ex quo presbyteri Angeli Silvestri ad paroeciam de Pombia praesentationem anno 1832 a Leandri posteris factam fuisse deprehenditur.

Disceptatio Synoptica.

Et primo favore Petri Pauli, eiusque patruelium Petri et Antonii Boniperti adduci potest iuris civilis dispositio qua, postquam praetorio, edicto et imperialibus constitutionibus, cognati ad legitimam successionem vocati fuere, statutum fuit ut germani fratres utpote in eodem gradu, aequis partibus haereditatem haberent. *Tit. V Be success, copiât, et tit. VI Be gradibus cognationis lib. III instit.* Cum igitur Leander de Boniperti in allata conventione perhibetur haeres Francisci Cattaneo ab intestato ut illius proximior cognatus, iam liquet Leandri fratres et in casu Carolum Hieronymum eodem iure ad haereditatem venire debuisse. Certum enim est et genealogiae schemate comprobatur, utrumque fratrem in eodem cognationis gradu cum Francisco reperiri, cum utriusque mater fuerit Hyacintha Cattaneo unde cognatio derivavit. Iamvero si iuspatronatus una simul cum haereditate transmissum est, nulla apparet ratio neque ab adversariis opponi potest, qua illud in unum Leandrum, exclusis fratribus devolutum fuerit. Ad rem Fagnanus *in II part. 3 Becretal. cap. Perlatum num 8:* «At vero ipsum iuspatronatus est individuum, ut hic patet, et est in solidum penes unumquemque haeredum; et hoc ideo est, quia cum sit res simplex et indivisibilis, pervenit ad quemlibet haeredum in solidum, etiamsi ex diversis, et inaequalibus partibus sint haeredes.

Verum in themate agi de patronatu haereditario ex ipsius allatae conventionis textu forsan eruitur. Dicitur enim ius Leandro competere quia successit ceu proximior cognatus ab intestato in haereditatem et bona quondam Caroli Francisci Cattaneo, eius consobrini; quae genericae voces, nisi adesset qualitas haereditaria, adhiberi minime potuissent. Cete-

rum licet illius natura citra omnem dubitationis aleam poni non posset, praesumptio semper haereditariae faveret. Siquidem recepta apud omnes doctores est regula quam card. De Luca vocat certam et absolutam « ut non constito de diversa explicita vel implicita fundatoris voluntate. . . . iuspatronatus dicatur haereditarium ad quoscumque, licet extraneos, vel intestatus haeredes rei familiaris transmissible, tamquam existens in haereditate, cuius pars et membrum dicitur. » *De iurep. disc. LX n. i.*

Ex his concludunt, Leandrum de Boniperti iniuria prorsus absque fratris mentione cum marchione Ferrerio pactum inivisse, quod ideo in praeiudicium prognatorum Caroli ne quidquam vergere debet. Eo vel magis quod, ut superius dictum est, Curia episcopalis novariensis, cum Ordinario conventio approbanda fuisset exhibita, ea verba decreto adiicenda curavit: «citra semper praeiudicium cuiuslibet tertii. » Qua clausula, dum omnis vis conventioni, quoad patronatus unius Leandri probationem adimitur, forsan et suspicio innuitur tunc temporis aliquid etiam ipsi Curiae de Caroli Hieronymi iuribus innotuisse.

Nec ex alia parte silentium Caroli Hieronymi eiusque haeredum et contraria observantia valide posset opponi. Namque forsan anno 1737, quo pactum initum fuit, iam Carolus e vivis excesserat, et unica eius filia alibi degens, uti ex schemate eruitur, superstes erat. Quare cum documenta deficiant, quae rem in vado ponere valeant, in tanta caligine argumentum huiusmodi urgeri nequit. Praeterea observantia in casu minime clara est, nec legitimo temporis spatio stabilita et quae omnem dubitandi auferat occasionem, sed potius incerta, aequivoca, et illationibus eruta quaeque proinde nihil probat. Pitonius *Disc. eccl. addit. I n. 34 et addit. XIV n. 41.* Etenim pro lapsu centum quinquaginta annorum vix quinque parohi ecclesiae patronalis S. Mariae de Pombia enuntiantur, inter quos duo tantum a Leandri posteris praesentati dicuntur. Unde inferri licet et alias parochorum extitisse nominationes, modo deperditas, et in

horum praesentatione etiam Caroli Hieronymi posteros partem habuisse.

At dato etiam quod hi numquam praesentandi iure praeteritis vicibus sint usi, non. exinde sequeretur modo a iurispatronatus exercitio posse repelli. Etenim comuniter receptum est iurispatronatus usum esse facultativum, ideoque contra non decurrere praescriptionem ad tradita per Pitonium *De controversiis patronorum alleg. LXVI n. 30 et 32** « et hoc actu negativo non remansit deperditum iuspatronatus, cum praesentare sit actus facultati vus per cuius omissionem non amittitur ius praesentandi, nisi concurrente contradictione cum acquiescentia subsecuta. »

Aliunde tamen non minora perpendenda sunt favore Ioannis Baptistae et Iosephae Boniperti. Et primo conventio quam superius retulimus inter Marchionem Ferrerium et Leandrum de Boniperti ita explicanda videtur, ut demonstret in solis contrahentibus ius nunc controversum extitisse. Nam cum a cardinali Episcopo conventionis probatio exquireretur, exponebatur documenta allata fuisse quae rem penitus in lucem proferrent: admissus fuit Leander a s. Sede ceu legitimus compatronus pro altero dimidio vocis dictae Ecclesiae paroecialis , veluti liquet ex documentis , quae exhibentur. Quod si modo documenta haec habere non possumus, non exinde ius Leandri imminui censendum est. Ea vero quae de successione fratrum ab intestato fusius ab adversariis affirmantur, merae sunt coniecturae quae nullo probabili argumento innituntur. Ex facto enim quod marchio Ferrerius cum uno Leandro de alternis parochorum nominationibus pactus est, praesumptio oritur, iuspatronatus uni Leandro fuisse transmissum. Nec satis exploratum est quibus legibus seu potius statutis particularibus eo temporis legitimae successiones in ea parte novariensis Dioecesis de vol verentur, ut concludens illatio hinc deducatur. Praeterea ut omnia quae adversarii dictitant eorum ius ad praesentationem évincèrent, probandum esset maiores haereditatem adi visse, quae « aditio* utpote actus facti non praesumitur sed ab allegante probari

debet. > Card. De Luca *De iurep. disc. LX n. 5.* Clausula vero in approbatione ab Ordinario apposita, « citra semper praeiudicium cuiuslibet tertii » videri posset adiecta ex stylo curiae, cum huiusmodi clausulae praeservativae vel dubitativae, quae tamen parum aut nihil operantur, apponi soleant praesertim in provisionibus iurispatronatus, teste card. De Luca *De iurep. disc. III n. 13 et 14.*

Quae cum ita sint, potius tenendum esse, animadvertunt iuspatronatus paroeciae S. Mariae de Pombia non esse haereditarium, sed vel reale vel fìdeicommissarium. Atque eo magis quia initio conventionis marchio Ferrerius enunciatur Feudatarius e Varallo Pombia, et Pombia, et veluti successus in haereditatem et bona etc. quae licet de Leandro de Boniperti haud praedicentur, valere tamen edicunt ad explicandam iurispatronatus naturam ab utroque, aequis partibus eademque successionis ratione, possessi. Porro ex ipso genealogico schemate ab adversa parte prolato, constat Leandrum natu maiorem Caroli Hieronymi extitisse; quare posito quod ceteri fratres praemortui essent, coniici forsan posset ad eum primogeniti iura de venisse. Praesumptio vero qualitatis haereditariae in casu dubio ita intelligenda est, ut locum minime habeant si iurispatronatus natura alio argumento, imo « circumstantia inductiva » quae fundationis tabulas suppleat, demonstrari possit, ut docet saepe memoratus card. De Luca *De iurep. disc. LVI n. 3.*

Ast parumper supposito quod adhuc dubium aliquod circa naturam huiusmodi iurispatronatus remaneat, dilui profecto contendunt ex ultimo statu et immemorabili observantia, quae minime incerta proclamari potest. Siquidem ab anno 1742 usque in praesens quinque parochorum nominationes peractae sunt, quas, nulla alia interiecta, integrum lapsum centum quinquaginta annorum bene explere posse autumant. Harum vero tres a marchione Ferrerio et vicissim duae a Leandri nepotibus, ad quos tertia modo pertinet, factae fuerunt. Factae autem fuerunt privative ad alios de Boniperti et ipsis scientibus, quia ibi commorabantur, quin umquam pacifica

possessio interrumpere tur. Iamvero ad ultimum statum habendum non requiritur quod plures presentationes per immémoriale tempus, effectum suum sortitae fuerint; nam quando agitur de Ecclesia iuripatronatus certe subiecta, et praescriptio est tantum contra patronos, sufficit, iuxta Doctores, unicus praesentationis actus cum debito tempore Barbosa *ad Conc. Trid. sess. 25 cap. 9 de reform, n. 22.* Ferraris *v. Iuspatronatus art. 1 n. 41.* Debitum tempus centum quinquaginta annorum lapsu constitui, nemo est qui neget. Adest enim centenaria et immemorabilis observantia, cuius tanta virtus est ut, nisi contraria probatione elidatur, nullus validior titulus et in materia iurispatronatus allegari possit. De Luca *De iurep. summ. n. 51.* Qui igitur in quasi possessione iuris praesentandi sunt concludunt nihil esse innovandum cum, sicuti declaravit S. R. Rota in *Mantuana coram Ursino die 3 Iunii 1689* § *Altera autem,* «observantia sit optima interpres cuiuscumque dispositionis et recte quoque declaret, nedum qualitatem iurispatronatus, sed quales etiam personae in eo comprehendantur. »

Hisce ex utraque parte aequa lance libratis, propositum fuit diluendum sequens

Dubium

An et cui in casu danda sit institutio ad Paroeciam S. Mariae de Pombia.

RESOLUTIO. S. C. C. re disceptata sub die 30 Maii 1891, censuit respondere: *Institutionem dandam esse praesentato vel praesentanda a successoribus Leandri Boniperti, salvo partium iure agendi in petitorio, coram Curia episcopali super pertinentia patronatus.*

CUNEEN.

ADIUDICATIONIS REDITUUM

Die 30 Man 1891.

Sess. 24 cap. 13 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Capitulum S. Mariae vulgo *del Bosco* civitatis cuneensis, anno 1817 a Summo Pontifice Pio VII fel. rec. ad Cathedralitatis honorem evectum, olim decem-et novem canonicis constituebatur. Ex his tres qui insimul dignitates sunt, paroeciam in civitate obtinent, ex ceteris vero septem laicali iuripatronatus obnoxii erant, reliqui vel iurispatronatus mixti vel liberae collationis. Reditus canonicatuum duplici ex proventu derivant, praebendae scilicet et massae communis. Praebendae ab invicem seiunctae uniuscuiusque canonicatus propriae admodum variae etiam nunc recensentur, cum earum maior reditus ad annuas libellas octingentas, minor vero neque ad libellas octoginta pertingat. A massa autem communi, detractis pluribus oneribus suppeditantur quotidianae distributiones, quas ad normam S. Tridentinae Synodi divinis interessentes percipiunt. Huiusmodi distributiones, si excipias secundam et tertiam dignitatem, quae minorem habent partem, aequis portionibus inter canonicos dividi solent, ita ut earum quaelibet, iuxta deducta a Capitulo, summam 350 libellarum olim conficeret.

Promulgata pseudolege civili diei 15 Augusti 1867, qua statuebatur ut canonici ecclesiarum cathedralium duodenarium numerum non excederent, septem canonicatuum suppressio in Capitulo cuneensi facta est. Hos inter praeter sex praebendas iurispatronatus laicalis, adnumeratus fuerat canonicatus Delia Chiesa, mixti iurispatronatus, qui tamen anno 1874, reclamante Capitulo, redintegratus fuit ac loco illius suppressus septimus canonicatus pariter laicalis iurispatronatus, cui nomen Quaglia. Verum usque dum illi qui suppressas praebendas obtinebant in vivis essent, et modo adhuc tres extant, canonicatus subinde vacantes, tempora-

neae suppressioni subiecti fuere, quoadusque capitulum ad 12 canonicatus a lege statutos sensim reduceretur.

Insuper iam die 7 Iulii 1866, et 15 Augusti 1867 iniquiores spoliationis leges praecesserant.

Etenim bonorum ecclesiae, paroecialibus exceptis, conversio, ut aiunt, decreta fuerat atque eorum reditus taxae trigesimi pro centenis suppositi. Huic taxae equidem gravissimae, quae triginta ex centum redituum partibus abstrahebat et fisco assignabat, tum singulae Capituli cuneensis praebendae, cum etiam communis distributionum massa subiecta fuit. Et quoniam massa distributionum annuas lib. 14,075,08 attingebat, aerarii officialis epistola die 14 Aprilis 1869, statuit « in annue L. 4222.53 l'importare della « tassa 30 0(0 dovuta sull'intiero patrimonio del Capitolo « ascendente a L. 14,075.08. » Monet vero Capitulum ex lib. 14,075.08 quae ut reditus massae perhibentur, solummodo 6,230 pro distributionibus quotidianis canonicis tribui, reliquae vero lib. 7,845.08 ad plura implenda onera devoluta fuisse. Quare huiusmodi onere imposito damnum unicuique canonico libellarum 222,24 obvenisse affirmat.

Verum deinde spoliationi remedium parce allatum est per novam legem anni 1873; qua constitutum fuit, quod taxa trigesimi pro centenis applicaretur tantum parti ex annuali redditu excedenti libellas 800 pro canonicatibus, et 500 pro aliis beneficiis Ecclesiarum cathedralium.... Dispositio huius articuli haud applicabitur canonicatibus, quorum redditus excedit libellas 1600, aliisque beneficiis, quorum redditus excedat libellas 800.

Tum ab aerario restitutio facta est summae ultra novae legis praescripta iam detractae , quae in Capitulo cuneensi pro unoquoque canonico lib. 240 fuit. Notandum hic venit inibi praeter dignitates, quatuor tantum canonicatus nuncupatus Ghisolfi et Delia Chiesa adnumerari. Iamvero cum et his sicuti ceteris canonicis restitutio lib. 240 facta fuerit, evenit ut dum reliqui plene redintegrati evaserint hi falcidiam trigesimi pro centenis in summa libellas 800 excedenti

adhuc perferre debuerint. Et quoniam, ut superius dictum est, canonicales reditus in cathedrali ecclesia cuneensi duplici proventu coalescunt, quaestio enata est num et qua quota praebendae particulares, vel potius communis distributionum massa taxae essset subiicienda. Aerarii officiales prius de praebendis redintegrandis solliciti ex libellis 240 canonicatui Ghisolfi restitutis, lib. 255 inscripserunt favore praebendae, quae ita reditum lib. 750 iterum obtinuit, et solummodo lib. 15 favore massae. Sic pariter lib. 240 assignatas possessori canonicatus Delia Chiesa ita diviserunt ut praebenda, tributis lib. 201.06 rursus ad lib. 607 ascenderet, dum massa dumtaxat lib. 38,94 consequeretur.

Huiusmodi divisionem aegre tulit Capitulum, cui cum fiscus declarasset id « non portare veruna conseguenza in ordine alla costituzione interna del capitolo » nova partitio aequior visa est. Perpendens igitur quod aliorum canonicatuum intuitu communis distributionum massa restitutionem libellarum 197 pro unoquoque assecuta fuerat, voluit ut etiam a ditioribus praebendis aequali portione redintegraretur. Hinc contendit ut canonicatus theologalis Ghisolfi alias lib. 182 et praebenda Delia Chiesa lib. 158.06 quotannis communi massae restituèrent: interim vero controversi reditus apud capituli thesaurarium depositi sunt. Ex hoc gravis et diuturna quaestio agitari coepit capitulum inter et canonicos Ioannem Rossi et Carolum Pellegrino, possessores praebendarum Ghisolfi et Delia Chiesa, quae, cum nullimode componi posset, tandem coram S. C. C. deducta fuit.

Disceptatio Synoptica

QUAE FAVERE VIDENTUR DUOBUS CANONICIS. Canonici Rossi et Pellegrino, qui in huiusmodi causa actores sunt pro viribus tuentur summam lib. 240 ita dividendam esse, ut prius praebendae Ghisolfi et delia Chiesa redintegratae evadant et tantum quod reliquum est in massae compensationem cedat. Idcirco recolunt praebendas ante legem, quam

conversionis vocant, suam dotem in bonis immobilibus prorsus a massa distinctam habuisse, quae si iacturam perferre coacta esset, ipsis tantum exinde damnum obvenisset. Ita pariter distributionum massa omnino separatum a singulis praebendis patrimonium modo etiam constituit, cuius imminutiones, nulla habita causae ratione, omnes semper aeque pertulerunt.

Quamobrem aliquando accidit, ut quotae a recentiorum canonicatuum fundatoribus in massam collatae detrimentum aliquod acceperint, quin ex eo particulares praebendae ad illam redintegrandam adactae fuerint. Hanc vero praxim in capitulo cuneensi etiam nunc pro aliis praebendis vigere affirmant. Siquidem, aiunt, tres adhuc sunt canonici qui praebendas possident a gubernio suppressas et alii duo, qui canonicatus obtinent a patronis redemptus quorum omnium intuitu ne hilum quidem massa communis in restitutione taxae consecuta est, et qui tamen ad distributiones percipiendas absque discrimine cum aliis admittuntur. Hoc posito cum fiscus prius aliquid et a praebendis et a massa separatim abstulerit et deinde praebendis quod eripuerat reddiderit, nulla est causa cur massa communis ab iis fiat indemnis, quae quod iam suum erat dumtaxat receperunt.

Quis, aiunt, me heri una cum Titio a latronibus spoliatum hodie vero plene integratum, ad compensandum Titium adiget eo quod ex parte tantum, quin per me steterit, sua recuperavit? Concludunt igitur massae quidem quod suum est deberi, sed id non a praebendis Ghisolfi et Delia Chiesa, verum ab aerario despoliatore esse praestandum.

Praeterea evincere satagunt, massae communis redintegrationem cum praebendarum detrimento sacris canonibus repugnare allato *cap. Cum causam 36 De Praeb, et dignit.* -ibi - « Consultationi vestrae taliter respondemus, quod nostrae intentionis non extitit, ut pro integratione praebendae supradicti canonici, praebenda de novo aliqua sciiideretur. » Verum, arguunt, si pro unius integritate praebendae alterius divisio prohibetur, neque massa communis erit hoc

pacto restituenda, quia cum eadem utriusque casus sit ratio eadem debet esse iuris dispositio.

Inepte igitur a capitulo invocari censent Sacrae Tridentinae Synodi decreta de quotidianis distributionibus instituendis vel augendi s. Nam ex eo quod statutum fuerit tertiam fructuum partem esse in quotidianas distributiones convertendam et ad hoc etiam licere Episcopis nonnulla beneficia supprimere, non exinde sequitur ius esse capitulo particularium praebendarum reditus pro lubitu imminuere. Atque hic enarrant massam communem in cuneensi Capitulo non tertia parte proventuum beneficiorum fuisse constitutam sed summa quadam a fundatoribus assignata, sunt enim canonicatus fere omnes iuspatronatus obnoxii, quae admodum varia fuit licet fructus aequalibus portionibus pro rata servitii canonicis distribuerentur. Quare partitionem lib. *240* a capitulo petitam iuri canonico, aequitati et capituli consuetudini minime conformem proclamant.

Neque aliunde ullimode obstare animadvertunt civilis auctoritatis dispositionem, quae taxae trigesimi pro centenis illos subiicere voluit qui proventu beneficiali ultra lib. 800 fruerentur. Etenim extra omnem dubitationis aleam positum est nullum prorsus civili potestati in res et personas ecclesiasticas ius competere, ita ut si quid etiam in Ecclesiae commodum decerneret omni firmitate et robore lex huiusmodi desti tueretur. Innocentius III *cap. Ecclesiae De const.* Quapropter inanem laborem aggreditur capitulum cum omni diligentia perscrutatur spiritum legis, quae latrocinium potius quam lex esset nominanda.

Ad hoc tantum fìsci rationem habendam esse putant, ut appareat cuinam summas ablatas restituere voluerit; quod tamen in themate inscriptione in syngraphis debiti publici abunde demonstratum est.

Praesertim quia, ut canonici Rossi et Pellegrino valde conqueruntur, quando partialis restitutio ab aerario facta fuit, capitulum nullum non movit lapidem ut cum praebendarum damno maior summa massae communis favore inseri-

beretur; quod nihilominus, vacante tum utroque canonicatu Ghisolfi et Delia Chiesa, minime obtinere valuit.

Perperam vero adduci, edicunt, factum quod praebenda Ghisolfi ex legato canonici Abella augmentum quotannis libellarum 150 suscepit. Nam voluntas pii testatoris quae semper inviolabiliter servanda esset, eo forsan spectavit, ut sua liberalitate canonicatum augeret, qui utpote theologalis peculiaria onera habet adnexa. Ceterum nullum exinde damnum capitulo obvenit; nam lex diei 15 Augusti 1867 taxae trigesimi pro centenis reditus ecclesiasticos tunc existentes tantum subiecit, minime vero qui posterius habiti sunt. Unde cum legatum canonici Abella primum die 1 Ianuarii 1869 perceptum fuerit, nulla est ratio cur dubitet capitulum hanc fuisse causam imminutionis summae ab aerario massae restitutae; quod aliunde etiam ex fìsci «litteris evidentissime apparet.

Tandem memorant in sui favorem causam Theanen, coram S. C. C. agitatam die 15 Iunii 1889 et 19 Martii 1873 quae praesenti similis prorsus videtur. Agebatur enim ibi de divisione peragenda summae a gubernio restitutae vi legis 19 Iunii 1873, inter duodecim canonicos, quorum quatuor tantum reditum ultra lib. 1600 percipiebant. Octo pauperiores canonici legi civili innixi a restitutionis benefìcio ceteros volebant exclusos , qui ex adverso tuebantur fiscum quidquid intenderit, de facto massa communi restituisse ideoque summam aeque inter omnes esse partiendae. Verum proposito dubio « *An restitutio illius sortis* quam gubernium iampridem detraxerat ob tributum 30 0\0 cedere debeat m favorem omnium capitularium* an potius octo tantummodo in casu* » responsio prodiit < *Affirmative ad primam partem* negative ad secundam.* » Quare inferunt et in themate nihil obstare quod praebendae Ghisolfi et delia Chiesa ditiores sint, quominus damnum communis massae inter omnes aeque distribuatur. (1)

(1) Confer Vol, XXII, 287 quo relata iam fuit Theanen.

QUAE FAVERE VIDENTUR CAPITULO. Ex altera vero parte capituli patronus orationem aggreditur aliquomodo clientum intentionem primam circumscribens. Ait enim quod licet capitulo rationes haud deficerent ad evincendam massae redintegrationem ex parte praebendarum in libellis 197 in consilium tamen venit exigendi tantummudo ab unaquaque libellarum 164,75, rationem habens 12 potius quam 10 canonicorum in divisione peragenda summae a fisco restitutae. Unde petit ut praebenda Ghisolfi alias lib. 149,75 et praebenda Delia Chiesa lib. 124.81 communi massae restituant.

Deinde vim legis a civili auctoritate latae die 19 Iunii 1873 perpendens, observat id praecise legem voluisse ut pinguioribus reditibus fruentes gravarentur, in exonerationem eorum qui tenuem praebendam haberent. Quare ad effectum constituendae taxae trigesimi pro centenis ratio habenda est non solum dotationis ordinariae praebendae, sed etiam quorumcumque fructuum quos permanenter beneficiarius officii sui causa percipit. Hinc putat divisionem summae restitutae, inter praebendas Ghisolfi et Delia Chiesa et massam communem a fisco peractam, minime legi esse consonam, sed tantum ob administrationis commodum ab officialibus fuisse adhibitam. Obveniret enim ut duo canonicatus qui reditu fruuntur 800 libellas excedenti, et qui proinde taxae subiiciuntur nihil omnino ex peculiaribus suis reditibus persolverent, dum contra eorum onus a communi massa sustineretur et proinde etiam ab iis quos lex ob fructuum tenuitatem voluit ab onere immunes. Quapropter, pergit, non modo legislatoris voluntas, sed etiam iustitiae et aequitatis regulae proculcarentur cum divites pauperiorum iactura ditiores fierent. Eo vel magis quod taxa soluta fuit super reditibus massae haud depuratis ab oneribus et expensis inhaerentibus, quae maiorem fructuum partem absorbent. Verum admissa divisione a capitulo proposita, omnia vitia removeri censet patronus et inter canonicos onerum et bonorum aequalitatem restitui.

Nec obstare dicit quod huiusmodi praelatio massae con-

cedenda non reperiatur in legis litera; est enim ut supra innuit in spiritu legis. Unde saltem ad iniustitiam imminuendam reditus intelligi putat detractis oneribus et expensis, ita ut ex summa libel. 240 unicuique canonicatui restituta libellae 123,60 praecapiantur ad redintegrandam massam communem taxae super lib. 412, seu summae ab oneribus absumptae unumquemque canonicatum gravantibus. Hoc ab ipsis fìsci officialibus censeri dicit ut colligi est ex epistola diei 19 Septembris 1874.

Facta vero favore massae hac deductione, reliquum summae, idest lib. 116,40 ita dividendas existimat patronus ut taxae solutae pro reditibus tam praebendae quam massae, detractis oneribus, ratio habeatur. Praesupposita igitur quota massae in libellis 340, si proportio instituatur, quae deducitur summa capituli petitioni plene respondere affirmât.

Ulterius monet, ea quae hucusque dixit non modo civili legi, sed etiam iuri canonico et praesertim S. Tridentinae Synodi legibus cohaerere. Exploratum enim est in gratiam divini cultus quotidianas distributiones fuisse institutas, ut sic promptius ac frequentius canonici officiis divinis recitandis ad ecclesiam convenirent. Ferraris *voc. distrib. art. 6.* Huiusmodi autem distributiones, animadvertit tanto iuris favore gaudere, ut Tridentini Patres expresse decreverint *Sess.21 c. 3. De Reform,* quod si ob earum tenuitatem negligerentur vel ¡honestae sustentationi minime sufficerent, possent ab Episcopis augeri vel imminutis praebendarum reditibus vel etiam peracta quorumdam beneficiorum suppressione. Quare ex his omnibus eruit massae potius quam praebendarum sollicitam se exhibuisse S. Synodum, quum, ut ipse ait, voluit ut singulae praebendae, non pro aequali summa, sed pro aequali potius quota, prout maior vel minor redituum quantitas foret, ad illam constituendam vel augendam concurrerent.

Praeterea putat orator in themate - specialia concurrere adiuncta quae capitulo favent. Memorat canonicatum Delia Chiesa post litem capituli sumptibus agitatam subrogatum

fuisse, in locum canonicatus Quaglia, pro quo infrestitutione taxae, libsllas 174,44 fiscus massae assignàverat. Iamvero cum pro canonicatu Delia Chiesa tantum lib. 38.94 massae fuerint tributae aequum videtur ut huius praebendae possessor curas et expensas capitulo aliquo modo rependat.

Quoad canonicatum Ghisolfi recolit anno 1869 donationem reditus annui lib. 150 factam fuisse a canonico Abella non favore praebendae in specie sed in genere favore canonicatus. Unde ipse autumat hanc summam esse dividendam inter praebendam et massam sicuti anno 1838 Episcopus Amadeus Brunus prorsus simile legatum canonici Dogliani censuit distribuendum, ita ut ex lib. 507, praebendae 300 et distributionum massae 200 tribuerentur.

Praeterea addit, vi legis 1873 fiscum syngraphas omnes reditus tum praebendarum quum massae capituli thesaurario tradidisse non vero regio suboeconomo, ut, vacante tum coram gubernio utroque canonicatu Ghisolfi et Delia Chiesa, fieri debuisset. Iamvero edicit, si praebendis huiusmodi reditus solvendi essent, id resciens regius suboeconomus a capitulo summas solutas repetere posset. Quae nulla probatione indigere utpote omnibus nota et ab ipsis adversariis admissa dicuntur.

Demum canonicorum Rossi et Pellegrino rationes Irefellens, adnotat *cap. Cum causa* ad rem non facere, sive quia ibi regula enuntiatur quae in casu patitur exceptionem, sive etiam quia hic non agitur de integratione unius praebendae cum alia, sed de divisione inter praebendam et massam summae a fisco prius ablatae et dein restitutae. Multoque minus apologum valere illius qui una cum Titio a latronibus spoliatus fuit. In themate enim, ait, agitur de eo qui habens propriam et cum ceteris communem crumenam, utraque fuit spoliatus, et quaeritur num iuri et aequitati conforme sit, ut ex summa sibi a latronibus restituta propriam crumenam plene redintegret et fere nihil pro communi relinquat . Quod si fìsci ministri praebendae redintegrationem praetulerunt, hoc tantum ob administrationis commodum

peregisse existimat, cum declaraverint se minime ingerere velle in his quae organicam capituli constitutionem et internam administrationem respiciunt.

Neque obstare censet consuetudinem hucusque servatam qua iacturas massae communis omnes aeque pertulerunt; nam in casu agitur de partiali redintegratione quae debet esse communis sicut communis fuerat iactura.

Quae omnia confirmat asserens taxam trigesimi pro centenis multam exhibere analogiam cum alia nuncupata « quota di concorso » imposita a subalpino gubernio die 29 Maii 1855. Tunc etiam licet aerarii officiales distributionum massam vellent oneri obnoxiam, Capitulum a supremo tribunali obtinuit sententiam, qua dumtaxat pinguiores praebendae ad taxam solvendam adigerentur.

Postremo animadvertit, quod etsi in praesenti quaestione sermo sit tantum de duobus canonicatibus Ghisolfi et Delia Chiesa, habito S. C. C. responso, norma erit pro summae divisione, etiam quoad alias praebendas quae in simili conditione versantur.

Hisce utrinque perpensis propositum fuit diluendum

Dubium

An et quomodo summa a fisco assignata pro partiali redintegratione canonicatuum Ghisolfi et Delia Chiesa sit dividenda inter praebendam eorumdem canonicatuum et communem distributionum massam in casu.

RESOLUTIO Sacra Congr. Concilii re disceptata sub die 30 Maii 1801 censuit respondere; *Affirmative pro rata damnorum, tum praebendae* tum massae et amplius.*

CALARITANA

PAROECIAE RENUNCIATIONE

Die 30 Maii 1891.

Sess. 24 cap. 18 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos Daniel, postquam paroeciam loci Ussana Archidioecesis calaritanae biennium circiter rexisset, vertente anno 1885, cum ob susceptas quorumdam inimicitias in ministerii sui exercitio nonnullas experiretur difficultates, coram Ordinario beneficii renuntiationem emisit. Hanc renuntiationem cuius tenor in actis haud extat, et quam pure et simpliciter emissam et a se statim acceptatam Archipraesul affirmat, sacerdos Vidili conditionatam fuisse contendit, licet et ipse fateatur nullam conditionis mentionem in scriptis reperiri. Nam refert, se ideo parochiali beneficio nuncium misisse quia promissionem ab Archiepiscopo receperat melioris paroeciae de Quartucciu assequendae, pro qua insuper venia ab indicendo concursu a S. Sede impetranda erat. Re quidem vera eo tempore huiusmodi preces S. C. C. oblatae fuerunt, atque die 4 Maii 1885 indultum fuit Archiepiscopo, ut praefatam paroeciam Sacerdoti Danieli absque concursu conferre valeret praevio examine ceu de more peragendo. Statuta die ad experimentum in calaritana Curia haud comparuit sacerdos Daniel, qui tamen postridie se ad examen subeundum frustra paratum exhibuit cum ea vice prosynodales examinatores abessent. Interea munus administratoris seu oeconomi paroeciae de Quartucciu demandatum illi fuit ; sed ibi etiam brevi inimicitias plebis suae curae commissae ita in se concitavit, ut Archiepiscopus a proposito novae paroeciae concedendae recedere opportunum duxerit. Tum sacerdos Daniel Calarim venit, atque, vacante praebenda poenitentiaria in Ecclesia metropolitana, bis se concursu sistit annis 1886 et 1887, atque periculum ad formam bullae *Nuper pro parte* Clementis XIV pro Sardiniae insula, coram capitulo peregit, quin tamen neutra vice electus fuisset.

Paulo post sacerdotum penuria urgente, Archiepiscopus iterum parochialia munia sacerdoti Danieli committere autumavit, ideoque prius paroeciam S. Eulaliae in civitate Calaritana, dein Vicariam curatam in oppido S. Sperati et tandem officium viceparochi loci Guasila eidem proposuit, quae omnia tamen suscipere ille detrectavit, nisi canonici saltem honorarii nominatio accederet. Quare Archiepiscopus decreto diei 28 Ianuarii 1888 poena suspensionis a divinis, quam iampridem minitatus fuerat, illum multavit ; a qua tamen die 11 Februarii absolvit, promissione in scriptis ab eo exarata officium in pago Guasila, vix expleta quadragesimali praedicatione, suscipiendi. Verum statuto tempore morem gerere renuens, rursus die 11 Aprilis 1888 in suspensionem haesit.

Tum primum Daniel penes S. C. Concilii instans adversus calaritanum Antistitem, quaerimonias suas elevavit, quibus pluries et quoad plura iteratis, audito Archiepiscopo, die 1 Aprilis 1889 rescriptum fuit : *Orator veniam ab Archiepiscopo humiliter petat ac stet mandatis eiusdem; idque notificetur eidem Archiepiscopo* qui Oratorem, quatenus graviores non obstent rationes* ad S. Missae sacrificium* praeviis spiritualibus exercitiis, rehabilitet.* Sed cum postea ab ipso Archiepiscopo et alia deducta essent, die 10 Septembris eiusdem anni, consultius visum fuit rescriptis adiicere ut, attenta oratoris indole, eumdem ab obligatione suscipiendi officium cum cura animarum Praesul dispensaret. His tamen minime acquievit Sacerdos Daniel, qui semel atque iterum urgens petiit, ut in plenariis S. C. C. comitiis ea facta quae primitus originem quaestionibus dederunt ad examen revocarentur.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO PRESBYTERI DANIELIS. Sacerdos Daniel, oblato memoriali, ex factorum enarratione triplex ius in sui favorem exsurgere contendit. Scilicet .1. ius redintegrationis in paroeciam de Ussana per regressum ob nullitatem renuntiationi»;

2. ius assequendi paroeciam loci Quartucciu; 3. tandem ius ad praebendam Canonici poenitentiarii in Ecclesia Metropolitana.

Quoad primum, renunciationem paroeciae fuisse conditionatam defendit, sive ex eo quod, exclusa novae paroeciae provisione, nulla suppeteret abdicationi ratio, sive quia haec fuit ab Archiepiscopo, ut causa allata ad S. C. C. rescriptum obtinendum. Quod si absolute et simpliciter emissa apparet, hoc evenisse refert ob reverentiam et fiduciam, qua Ordinarium suum prosequebatur, qui alias eam non acceptare nec rescriptum obtinere affirmabat. Enarrat praeterea, se renuntiationis formulam scriptis mandasse, verba ipso Antistite suggerente, qui postea adiecit proprio marte « quod subscriptus nihil boni in posterum agere potuisset in paroecia de Ussana » quod si Archiepiscopus autographum ostenderet clare posset evinci. Insuper, ait, si renunciatio simpliciter absque ulla conditione promotionis emissa fuisset, illico sacerdos Daniel debuisset paroeciae valedicere, dum e contra Archiepiscopus voluit illum ibi adhuc per bimestre manere, sic facto suo confitens eum esse rectorem illius paroeciae, donec aliam assequeretur. Dolet proinde numquam Archiepiscopum animum habuisse sibi conferendi paroeciam loci Quartucciu, et ideo se fuisse fraude deceptum et proinde, nec liberum, nec voluntarium renuntiationi assensum dedisse. Monet ulterius et canonicam formam in casu prorsus abesse. Nam sicut institutio canonica beneficii est actus publicus et solemnis, sic, ait, debet esse cessio et renuntiatio. Verum renuntiatio paroeciae de Ussana privata fuit omnino, absque interventu cancellarii et testium, et sine ullo acceptationis archiepiscopali decreto, quaemadmodum appareret si Ordinarius omnia documenta in lucem proferre vellet. Nec obiiciatur abdicationis causam legitimam extitisse inimicitias, quas parochus Daniel ob sui ministerii et Ecclesiae iura suscipere debuit. Etenim praeter quam quod illas parvi momenti fuisse edicit, si omnis molestia esset causa canonica renuntiationis, ansa populis ad parochos vexandos prae-

beretur et omnia péne beneficia et ecclesiastica munera renuntianda ac dimittenda essent, eo quia nullum sit officium quod adversarios non experiatur. Unde concludit hic non facere ad rem notissima verba : « quem mala plebs odit. »

Deficiente autem canonica renuntiationis causa, nullam esse renuntiationem evincit auctoritate S. R. R. in *Ravennaten, restitutionis in integrum 30 Ian. 1846 coram Be Retro; et in Faventina immissionis 24 Ianuarii 1845 coram Muzzarelli* « corruit renuntiatio quae sub falso supposito fuit emissa, et praesertim si deficit correspectivum » et « renuntiationes stricte sunt accipiendae, ut quo minus fieri possit laedant iura renuntiantis. »

Ad secundam partem progrediens evincere sategit, obligationem Archipraesulis sibi conferendi paroeciam de *Quartucciu* sive ex S. C. C. rescripto , quod exequi statim debuisset, sive etiam vi factae promissionis. Ideo enim emissam fuisse memorat renuntiationem paroeciae de Ussana, ut meliorem assequeretur, ac proinde extitisse pactum, ex quo obligatio producitur.

Ceterum rationes deficere in themate censet, quibus fas esset Antistiti ab executione rescripti et a data fide recedere. Nam si statuta die coram examinatoribus ad experimentum subeundum non venit, ideo accidit quia a parochialibus officiis praepeditus erat, ut epistolio, eadem die Archiepiscopo transmisso, significavit. Etenim ut eruitur ex libro defunctorum paroeciae de Ussana iusta funebria ea ipsa die pro quodam N. Bandinu persolvere debuit.

Neque regerere valeret S. C. rescriptum arbitrio Ordinarii fuisse remissum ; postquam enim hic promissionem dederat ad renuntiationem prioris paroeciae obtinendam non amplius poterat, iuxta sacerdotem Danielem , fidem suam absque deceptione liberare.

Ita pariter ut sufficientes causae adduci nequeunt inimicitiae et protestationes incolarum loci Quartucciu. Siquidem hae tunc solummodo initium sumpserunt cum Archipraesulis voluntas de non conferenda Sacerdoti Danieli ea paroecia

omnibus innotuit. Facta autem quae huiusmodi simultatibus occasionem praebuerunt duo ab oratore enumerantur. Nimirum quia ad praescripta dioecesanae Synodi exorcismos baptizandorum prope Ecclesiae ianuam recitaret, et quia signa diversa aeris campani pro diversitate funerum exequi mandaret ; quae profecto minime reprobanda videntur. Accedit infensum animum erga parochum gessisse solummodo aliquos ex infima plebe, qui facile forsan coerceri potuissent, et ex quibus nonnullis veniam deinde a sacerdote Daniele de irrogata iniuria petiisse dicuntur.

Ad tertium deveniens probare nititur, electionem canonici poenitentiarii factam anxio 1887 iustitiae et canonicis sanctionibus aperte adversari. Ait enim, electum, quem iam capitulum ante concursum designaverat, sive in thesi evolvenda, sive in concione recitanda conditionibus a iure requisitis aliisque a capitulo appositis minime satisfecisse. Quae omnia et ipsi Archiepiscopo ita abnormia visa sunt, ut absoluto concursu, iuxta sacerdotem Danielem,.rem totam S. Sedi remittendam esse autumaverit. Hoc autem, dicit, quod in civitate Calari tana notum omnibus est, etiam S. C. C. apertum erit si acta concursus quae in tabulario ecclesiae metropolitanae servantur ad se revocare velit. Putat igitur se nonnisi Ordinarii et Capituli privatis simultatibus fuisse posthabitum atque iniuria prorsus electionem alterius peractam.

Praeterea Sacerdos Daniel cum ex amissione paroeciae et suspensione a divinis gravia damna perferre debuerit, quae sibi imputanda haud videntur, horum omnium emendationem seu compensationem a S. C. C. efflagitat.

DEFENSIO ORDINARII. Verum ex adverso scitum est ad renuntiationis validitatem tria apud Doctores requiri; nempe quod sit spontanea, quod sit a legitimo superiore acceptata et quod ex causa fiat; Reiffenstuel *tit. de renunc. sect. 1. num.* ***i.***

Sane in casu spontaneam paroeciae renuntiationem fuisse, nec ipse sacerdos Daniel inficiatur. Conditionis vero melioris paroeciae assequendae et consequentis Archiepiscopi promis-

sionis, quae possent aliquomodo libertatem imminuere nullam affert concludentem probationem. Cum igitur nulla mentio huiusmodi conditionis in formula resignationis extet, nec ab asserente, cui onus probandi incumbit demonstretur, tenendum est pure et simpliciter beneficio nuncium misisse. Eo vel magis quod et alia vice prorsus simili animi mobilitate se gessisse scimus ex Archiepiscopi uteris..

Nec opponi potest Ordinarii testimonium utpote in causa propria esse suspectum ; facile enim credi non potest, ut ait Benedictus XIV in *Const. Cum illud* § *16 n. 7* Episcopos adeo suae, non minus quam alienae salutis immemores, ut odio vel favore moveantur, et dicant bonum malum, malum bonum ponentes tenebras lucem et lucem tenebras. Quare applicandum potius videretur *cap. 3 de rest. spol.* « Mandamus quatenus si vobis constiterit quod praefatus nullo metu vel vi coactus, sed spontanee praelibatam ecclesiam, taliter abiuraverit : ei super hoc perpetuum silentium imponatis. »

Quod autem alia requisita ad validitatem renuntiationis adfuerint constat ex iis quae Ordinarius in sua informatione subdit : praevio concursu, ait, nominatus fuit ad Paroeciam Ussana, sed post annum renuntiare debuit paroeciam dictam, eoquod esset cunctis invisus ; idque fecit pure et simpliciter et ego debita forma renunciationem excepi.

Et alibi ait Ordinarius , nunquam de moribus Danielis aliquid dicendum censui; sed retuli, eius indolem superbam, et asperam semper fuisse erga suos paroecianos ; ita ut coactus fuerit transire brevi de paroecia in paroeciam.

Probata igitur ex relatis apparet, tum renuntiationis acceptatio, quae debito modo peracta asseritur, cum etiam legitima abdicationis causa, quae in. plebis odio et difficillima sacerdotis Danielis natura clarissime habetur. Iamvero si receptum in iure est propter odium et inimicitias parochianorum quandoque parochos esse officio privandos, ut praeter alia tenuit S. C. C. in *Berthonen. Reinte gr ationis in paroeciam 21 Iunii 1879, in Camherien. 26 Iunii et in Pa-*

tavina diei 11 Septembris 1880, profecto denegari minime potest hic iustam resignationis causam adesse. (1)

In vado posita renuntiationis validitate, Archiepiscopus gradum facit ad rationes expendendas, quibus motus ab exequendo S. O. C. rescripto quoad collationem paroeciae de Quartucciu abstinuit. Scribit autem : interdum Daniel ita exasperavit populum de Quartucciu, ut, ultra quinquaginta homines Curiam adiverint ad protestationem coram vicario generali emittendam adversus parochum ; contra quem, dum praedicaret, multae voces indignationis elatae sunt etiam in Ecclesia. Et ideo, sequitur Episcopus,, coactus fui eumdem removere etiam ex illa paroecia.

. Itaque cum Archiepiscopo ministerium Sacerdotis Danielis in oppido Quartucciu non modo haud utile sed periculorum plenum videretur, ut illius plebis et ipsius presbyteri bono consuleret de sententia discedere censuit, eo vel magis cum S. C. rescripti executio Ordinarii arbitrio fuisset remissa.

Demum quod attinet geminatum concursum ad praebendam poenitentiariam obtinendam, sciendum est utraque vice, annis nempe 1886 et 1887, sacerdotem Danielem a Capitulo, cui una cum Episcopo electio competebat, duo tantum favorabilia suffragia retulisse, cetera vero ipsi fuisse contraria. Quae autem ipse refert de Archiepiscopi et Capituli simultatibus, nec non de irregularitatibus in concursu peractis nihili facienda esse Praesul censet.

Hoc unum his addam, quod licet ius aliquod sacerdoti Danieli quoad hoc competere posset, illud amisisse dicendum est, cum tempore a iure statuto appellationem haud interposuerit. Ipse enim saltem interiecta mora unius anni primum de canonici poenitentiarii electione conquestus est, cum e contra tralatitium in iure sit tempus pro appellatione a mala relatione examinatorum et ab irrationabili iudicio Episcopi dumtaxat ad decem dies protendi, ut expresse S. C. C. declaravit die 16 Novembris 1720, et pluribus decisionibus deinde firmatum est.

(1) Dertnonen. adest Vol. XII, 563; Camberien. Vol. XIV, 172; Patavina Vol. XIV. 292.

His itaque perpensis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An sit locus reintegrationi ad paroeciam de Ussana, seu translationi ad illam vulgo de Quartucciu in casu.*

Et quatenus negative ad utrumque

II. *An et quomodo sit providendum precibus oratoris in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re disceptata sub die 31 Maii 1891, censuit respondere : *Ad I. et II. Negative in omnibus et amplius : ac Sacerdos Daniel graviter moneatur de contumeliosa scriptura, quam S. Congregationi obtulit ; et ut redierit in Dioecesim veniam a suo Archiepiscopo humiliter petat.*

REGIEN.

MATRIMONII

Die 27 Iunii 1891.

Sess. 24 cap. 1 De ref. matrim.

COMPENDIUM FACTI. Remigius Dioecesis regiensis oppidi Stioli viduus, quatuor filio? habens, die 18 Septembris anni 1886 quin civilia acta perageret, et canonicarum denunciationum dispensatione obtenta, cum Caecilia matrimonium inivit. Per tres menses pacifice cum sua uxore cohabitavit, quamvis debitum matrimoniale adimplere nequiverit, non obstantibus frequentibus in die conatibus adhibitis ad copulam habendam. Attamen nulla interveniente causa bis Caecilia eum deseruit et domum paternam petiit, et semel et iterum Remigius patienter eam in sua domo recepit. Interea Caecilia bis venenum Remigio obtulit in pulmento primum et postea in vino, et a domo maritali aufugit ad domum paternam. Tunc Remigius statuit firmissime eam

amplius non recepturum, et ad Curiam episcopalem se contulit postulans, ut declararetur irritum et nullum fuisse matrimonium, quod cum Caecilia inivit, utpote impedimento impotentiae ex parte mulieris irretitum.

Disceptatio Synoptica

VOTUM CANONISTAE. Episcopalis Curia, ait consultor, definivit minime constare de nullitate coniugii. Mihi autem videtur oppositum. Agitur enim de impotentiae impedimento, quod nullum ac irritum facit matrimonium. Sententia Ordinarii debebat definire an impedimentum huiusmodi existeret in coniugio Remigii cum Caecilia. Apparet in sententia quaedam contradictio.

Si enim validum declaratur matrimonium, quare de potentia viri loquitur et non de potentia mulieris ? Tacens de muliere ostendit dubium inesse an sit potens, vel impos.

Stante dubio non potest declarari validum fuisse matrimonium, sed dubium. Supplex libellus Remigii quaestionem de impotentia mulieris proponebat definiri. Quaestio huiusmodi esse videbatur obiectum sententiae. Ad Sanctam Sedem recurrere putabat Iudex ut in matrimonio rato dispensaret. Sed erat ne iudex certus quod violata non fuerit virginitas Caeciliae, cum ipsa omnino inspectionem recusavit? In processu neque directe neque indirecte testificatur potentia mulieris ad copulam, nec sermo habetur de eius virginitate^

Imo depromitur, ut in sequenti capite demonstrabo, eius impotentia. Quaenam rationes suffragari possunt, ut dispensatio concedatur, si in pace coniuges commorati sunt, nec unquam discordia animos eorum commovit? Si mulier deseruit maritum, si ei propinare ausa est venenum, non ex oppositione indolis utriusque hoc profecto emersit, sed a calliditate mulieris quae omnino abscondere satagebat impedimentum impotentiae quo laborabat. Mortuo enim viro suo, ignominia illa penitus ignota permanebat. In praedicta sententia, declaratio potentiae ex parte viri dubitare facit an

mulier sit virgo. Tribus enim mensibus commorans ipsa cum viro suo facillime viro petenti debitum induisisse videtur.

In causa inquirendum opinor quibus probationibus impotentiae impedimentum ex parte mulieris demonstrari queat. Nam ex parte viri nullum huiusmodi impedimenti signum apparet. Quatuor filios procreavit, medicorum inspectioni subiectus, inventus est potens ad quamvis mulierem accedendi. Probationes autem pro explorando impotentiae impedimento, iuxta canones, confessio sponsorum iurata cum testimoniis septimae manus requiritur ad concludendum, *Laudabilem cap. V.* Addunt canonistae, et praxis est S. O. C. inspectionem corporis a medicis perficiendam. Iuxta canones etiam triennalis cohabitatio exigitur ad experimentum. Schmalzgrueber, *Tom. IV* p. 3* tit. XV.* Sánchez, *De matr.* Pichler. *Ius. can. lib. IV,* aliique.

In casu mulier omnino respuit inspectionem. Nec suasionibus parochi, nec Vicarii exhortationibus, nec parentum precibus indulsit, ut matrona quaedam eam inspiceret; imo pluries ait: me necabo si cogar ad hoc experimentum. Impossibile videtur experimentum triennalis cohabitationis ; nec mulier hoc patitur, nec viro convenit. Ipsa bis e domo viri fugit, nec viri faciem aspicere audet, vir cohabitando cum muliere uxore sua in periculo mortis esset, quia bis ipsi venenatum vinum, et pulmenta venenata praebuit.

Verum corporum inspectioni aliquando Sacra ista Congregatio gravibus rationibus dispensando supplevit exigendo alia remedia ; et in casu sufficere potest inspectio facta viri, ut deducatur, morali certitudine, mulieris impotentia. Cohabitationis triennalis experimentum, iuxta caput *Laudabilem* requiritur quando impotentia aliter probari nequit. Ait enim Celestinus III in citato capite V : « Requisisti quantum tempus indulgendum sit naturaliter frigidis ad experientiam copulae nuptialis. Nos vero praesenti consultatione sentimus, ut a tempore celebrati coniugii *st frigiditas probari prius non posset** cohabitent per triennium. » Sed in casu in prom-

ptu sunt suppletoriae probationes quae iuxta citatum canonem sufficiunt ad concludendum. Ait enim Coelestinus III: « Si autem quod numquam se invicem cognoverint ambo fatentur cum septima manu propinquorum, vel vicinorum bonae famae, si propinqui defuerint, factis sacrosanctis Evangeliis, uterque iureiurando dicat, quod numquam per carnis copulam una caro effecti fuissent, et tunc videtur quod mulier valeat ad secundas nuptias convolare. » Amplissima moralis certitudo acquiritur ex confessionibus ultroneis, maxime si contra confitentem concludit aliquem, uti habetur in casu, et ex ingenuis testium depositionibus.

Non solum impotentia ex parte viri nullum efficit matrimonium, sed etiam ex parte mulieris ; Lucius III hoc definivit : « Consultationi tuae, qua vos consuluisti utrum feminae clausae impotentes commisceri maribus matrimonium possint contrahere? et si contraxerint an debeant rescindi? taliter respondemus quod licet incredibile videatur quod aliquis cum talibus contrahat matrimonium, Romana tamen Ecclesia consuevit in consimilibus casibus, ut quas tamquam uxores habere non possunt habeant ut sorores. » Ex hoc textu deducitur impedimentum dirimens esse impotentiam mulieris, et patet illis verbis *quas ut uxores non possint habere.* Finis enim matrimonii non attingitur. Quoad cohabitationem vero non permittitur usus huius canonis ex iure novo. Sixtus V in forma Brevis litteras misit Episcopo Novariensi sub die 27 Iunii 1587 quibus conviventiam huiusmodi prohibuit. Investigemus oportet an Caecilia revera impotens fuerit. Impotentia, ait Sanctus doctor Alphonsus de Ligorio, est « illa propter quam coniuges non possunt habere copulam per se aptam ad generationem. Sicut validum est matrimonium inter eos qui possunt copulari, esto per accidens nequeant generare, quia steriles aut senes, vel quia femina semen non retinet, ita nullum est matrimonium inter eos qui non possunt eo actu consummare, quo ex se esset possibilis generatio» D<? *matr. impedim.* Age nunc quis accusare potest matrimonium cum impedimento impotentiae con-

tractum? Soli coniuges, ut ait Reiffenstuel, *Tom. VI* tit. XVIII;* quia horum solummodo interest. Ex processu habemus primam fuisse ad detegendum hoc impedimentum Caeciliam, quamvis viro suo impotentiam tribueret.

Caecilia fuit semper compos sui et pro sua conditione sufficientis intelligentiae ceu testes deponunt.

Caecilia suum defectum cognoscebat, idcirco amatores respuebat. Parochus deposuit, quod Caecilia tristis et moesta erat quando matrimonium inivit, et coeremoniam vulgarem nuptiarum implevit plorando. Hinc sequitur Consultor. Quare amatores fugiebat ? Quare tristis erat in nuptiarum celebratione ? quare lugebat in adimplendo ritu vulgari nuptiarum ? Non fuit coacta ad nuptias cum Remigio. Sui compos ; nullum habens argumentum respuendi nuptias cum Remigio ; timebat ne publice detegeretur sua impotentia, quam pro ignominia mulieres habent. Hinc fuit quod bis e domo mariti fugit, ut omnes testes in processu deposuere. Hinc mortem sui viri molita est. Omnes testes deponunt nullam subiisse pressuram a marito suo, quare ergo mortem mariti tentabat ? Profecto ut in sepulchro eius maneret cognitio impotentiae suae. Haec fuit ratio, qua mordicus respuebat inspectionem medicorum, et omnium mulierum.

Sed callida femina fatebatur impedimentum ; sed hoc tribuebat viro suo, ut omnes testes affirmarunt, quorum praecipuus fuit ipse parochus.

Sed observanda confessio sponsorum coram iudice Ordinario: prius considerandum quod Remigius prompto animo iuramentum dedit se dic tur am quod verum est. E contra mulier invitata ad praestandum iuramentum iuravit *non sine haesitatione* et repugnantia non modica.* Imo interrogati testes de hac repugnantia omnes unanimiter responderunt : ignoramus huius facti rationem. Sponsus declaravit se esse potentem ad copulam, narravit crimina patrata a sua muliere in propinando ei venenum, et interrogatus de difficultate coitus ait : altitudinem mulieris reddere impossibilem coniunctionem maritalem.

Caecilia, quae non sine haesitatione et repugnantia iuravit, non obstante sua calliditate, qua defectum suum celavit, se ipsam impotentem manifestavit^ Si vir suus cum vidua ceu ipsa deposuit, vel meretrice perfectam eompletamque copulam habere poterat, impotens non erat. Ex parte sua erat impedimentum prout Remigius illud descripsit scilicet quod ossa pudenda unita erant adeo, ut impossibilem eiicerent coitum. Ipsa enim ait quod Remigius cum virginibus coire nequit, sed cum viduis et defloratis. Fatetur sanguinis effusionem in minima quantitate non derivasse ex violato virginitatis velamine, sed a conatibus viri. Ergo tam arcta erat pars, ut non obstantibus conatibus, copula haberi nequiverit.

Insuper frequentes congressus nec minimam poterant viam aperire viro coeundi. In hoc quidem consistit impedimentum impotentiae ex parte mulieris, ut supra adnotavi, auctoritatem referens divi Alphonsi de Ligorio, Ecclesiae doctoris. Fassa est potentiam viri,, quia impos conatus non agit. Ipsa fatetur quod vir suus cum accedebat videbatur energia pollere, sed postea cessabat, hoc certo accidebat eo quod inter crura semen effundebat. Ipsa fatebatur impedimentum quo laborabat esse absolutum.

Remigius uxorem suam pro certo habebat esse impotentem. Mulier vero requisita, et admonita pluries ut iuraret de veritate dicta, constanter renuit.

Interrogationibus tam Iudicis Ordinarii, quam defensoris vinculi respondentes, sub iuramenti sanctitate medici unanimiter responderunt, Remigium nullo impotentiae signo laborare ; et effusio sanguinis a muliere non indicat matrimonii consummationem.

His ergo testimoniis auditis quidne concludendum videtur ? Certe Remigium potentem esse ad consummationem matrimonii. Ex altera vero medicorum declaratione deducitur quod cum nullus defectus inveniatur in Remigio, unde etiam probabiliter suspicari fas sit, illum impotentia laborare, ac proinde aptus sit ad copulam generativam; po-

tius mulier sit impotentiae defectu vitiata; hinc vel ei deest vulva, vel obliteratus sit vaginalis canalis. Sed haec supposita in Caecilia realitas est penes Remigium qui defectum huiusmodi inspexit et coram Iudice Ecclesiastico descripsit, quamvis ingenuus et rudis. Sed huiusmodi defectus iuxta medicorum sententiam incurabilis est, perpetuum igitur parit impedimentum. Quod effusio sanguinis non sit aliud nisi effectus potentiae virilis, etiam mulier confessa est quando dixit: minima effusio sanguinis effectus fuit virilium conatuum. Hinc resistentia conatibus viri constituebatur a deficientia canalis vaginalis vel eius obliterationis, vel a deficientia vulvae, quae constituunt absolutam impotentiam. Attamen ut veritas magis claresceret seorsum fuerunt examinati doctores iidem. Utrum Remigius aptus est ad copulam tam cum deflorata, quam cum virgine, et responderunt esse aptissimum. Item declararunt solam integritatem Caeciliae non potuisse obstaculum opponere ex parte Remigii, consideratis huius viribus. Si maritalis ingressus non fuerit effectus, adscribendum hoc est obici extraneo et superiori integritatis conditionis. Guttae sanguinis ex parte Caeciliae poterant effluere propter ingressum partialem vel totalem ex parte viri in vaginam; sed potuit hoc factum evenire sine aliquo ingressu aut laesione hymenis, vel ab excoriatione mumosae valvulae vel laceratione partis.

Ex dictis deducitur consummatum non fuisse matrimonium inter Remigium et Caeciliam, quia non potuit eo actu consummari, quo ex se esset possibilis generatio.

In casu de quo agimus, tam Remigius, quam Caecilia confessi sunt quod impedimentum coeundi adest quia vas muliebre arctum omnino est. Remigius opinatur nullum virum posse coire cum Caecilia; haec vero e contra ait posse Remigium coire cum viduis atque defloratis, non vero cum virginibus. Ex parte Remigii impotentia est absoluta, ex parte Caeciliae est respectiva. Quocumque modo accipiatur huiusmodi factum pro certo habetur nullum fuisse matrimonium in themate. Verum probabilius videtur quod opinantur

medici et confirmatur a medicis perpetuum esse impedimentum ex parte Caeciliae. Ipsi retulerunt praecipuas impotentiae causas, quorum tres nuncupaverunt absolutas et quibus inanis est quaecumque cura. Quartum addiderunt scilicet angustiam feminei vasis, dixeruntque maxima difficultate posse eam sanari, quod aequivalet perpetui tati impedimenti ; docent enim doctores communissime, ut Sánchez, *Lib. 7 disp. 95.* Salmaticenses, *de Matr.*, aliique mulierem teneri ad incisionem etiam cum gravi dolore, sed non cum periculo mortis, nec sub periculo gravis morbi. Non solum medici in praesenti processu adhibiti, sed fere omnes scriptores in medica arte peritissimi ut in dictionario medicorum legitur, incisionem vasis muliebris periculosissimam existimant. Quod periculo mortis subest, et a voluntate patientis perpetuo respuitur perpetuum dicitur. Si ergo impedimentum coeundi ex parte - Caeciliae adest vel per se absolutum vel etiam conditionaliter, scilicet incisione pellendum sub periculo mortis, vel saltem gravis morbi ; et si Caecilia abhorret ab inspectione, magisque ab incisione quae mortem aut gravem morbum minitatur et nunquam permittet sibi applicari huiusmodi remedium sequitur, impotentiam qua ipsa laborat affirmandam, esse perpetuam.

Attamen etiamsi impotentia ex parte mulieris fuisset respectiva, sive mulier cum periculo mortis fuerit incisa, et facta idonea, matrimonium non valet ; quia quod ab initio est invalidum semper invalidum est. Hanc opinionem tenet cum plurimis canonistis Sánchez *Lib. 7 d. 95.*

Demum ad magis magisque enucleandam difficultatem effusionis sanguinis, qua usus est vinculi matrimonialis defensor, suspicans semen per aliquod occultum vas penetrasse, ac ita consummatum fuisse matrimonium, dicam quod unum vas naturale habetur in femina. Iuxta doctrinam Sánchez *Lib. II disp. XXI* matrimonium non consummatur si sponsus vas feminae penetret minime effundens semen intra vas. Sed necessario requiritur semen virile vas sponsae-subintrat; quia copula carnalis, per quam consummatur matrimonium, ea

est per quam coniuges efficiuntur una caro. Sponsi non deposuere, semen intra vas effusum fuisse, nec in prima unione, nec in aliis unionibus. Etiamsi ergo conatibus viri adfuisset penetratio vasis feminei quod omnino falsum est, non constat tamen intra vas effusum fuisse semen, sed constat oppositum. Nec admittendum per alias vias intrasse semen in vase, quia an seminaverit vir non constat ; imo oppositum ex confessionibus sponsorum habetur. Facillime commotus Remigius lamentationibus Caeciliae, eiusque doloribus non seminavit. Quod naturale est, et semper accidit, et pro certo habendum.

Si in obscuris quod verisimilius apparet decernitur, in hac quaestione non quod verisimile est, sed quod probabilissimum apparet, et forte moraliter certum retinendum esse puto. Matrimonium Remigii cum Caecilia fuisse omnino nullum impotentiae impedimento.

VOTUM THEOLOGI. Duplex quaestio heic habetur, ait, dirimenda. 1. An matrimonium nullum, irritumque fuerit ex impedimento impotentiae - 2. An dato quod non evidens fuerit impotentia consulendum sit SS. Patri, ut in matrimonio tantum rato dispensetur.

Impotentia, seu inhabilitas ad prolem gignendam iure naturali matrimonium dirimit, cum enim matrimonii finis sit procuratio sobolis, qui ad hoc opus ineptus est, seu corporali vitio, seu ex alia causa non potest nec debet matrimonium contrahere, et frustra contrahit, sive inhabilitas sit ex parte viri, sive ex parte feminae ; et in hac sententia omnes conveniunt DD. tum Theologi, tum Canonistae, tum Iurisconsulti. Et quidem ex parte viri impotentia potest oriri ex frigiditate, vel ex debilitate organorum; ex parte feminae plerumque ex arctitudine vasis, quae viri ingressum ad semen recipiendum impedit. Impotentia alia est *absoluta** alia *relativa** alia *perpetua** alia *temporanea** alia *eerta** alia *dubia* etc. Qualis vero sit inter praefatos coniuges modo nobis erit disquirendum : et si vera resultet impotentia nullum omnino, irritumque iudicabitur matrimonium.

Remigius in suo iurato examine firmissime deponit se esse potentem, non solum quia ex primo coniugio multam suscepit prolem, sed etiam quia in sui corporis inspectione medici aptissimum esse testati sunt; verum cum Caecilia copulam pluries tentatam nullatenus potuisse perficere, ex insuperabili eius vasis arctitudine, confessus est.

Ex adverso Caecilia se rem uxoriam pluries fuisse expertam deponit; sed incassum, quia Remigius, ait, erat ad opus ineptum.

Quid inde ex his colligendum, cum uterque affirmet copulam saepius attentatam numquam perfecte exercere propter impotentiam potuisse ? Ex qua parte haec existit? Femina virum, vir feminam de eodem arguit defectu : cuinam credendum? Contraria omnino deponentes, regulariter nihil probant. Verum in casu, in quo unus negat, et alter coniux-affirmat, docet Sánchez, *lib. VII, disp. 109,* opus esse corporis inspectione, sed haec modo obtineri non potest. Si femina consensisset inspectioni, causa dirempta esset ; at Caecilia pervicaciter se denegavit, et denegat. Quamobrem vinculi Defensor de impotentia *non constare* concludit ; et ex sanguineis guttulis in primo coitu effiuxis matrimonii consummationem arguit, ideoque validum omnino fuisse sine dubio pronunciat. Huic tamen iudicio obstitit Remigii Patronus, qui obiecta ab adversario argumenta refundere conatus est. Ast quidquid isti, licet erudite, dixerint, hucusque non habemus nisi coniugum, concordem quidem, confessionem. Atqui horum « confessio, scite monet ci. Mansella, seu factorum narratio post initum matrimonium, contra eiusdem valorem elicita, non statim probandi vim habent, imo ipsa sola, et per se omni vi caret. »

Ad veritatem itaque elidendam subsidiariae exquirendae sunt probationes in re tam gravi, cum agatur de Sacramenti valore. Idcirco prudenter Iudex delegatus in hoc bivio constitutus per interlocutoriam sententiam medicae artis peritos iudicialiter interrogandos esse demandavit, ad physicam corporum conditionem cognoscendam et ultra iussit vocandos

testes esse septimae manus ex utraque parte. Tres itaque deputati sunt medici, pro legali inspectione. Remigius seipsum absque contradictione ad examen corporis se subiecit, ut ex medicorum iudicio, qui seorsim, et inde cumulative iurando testati sunt, repertus est aptissimus ad coitum cum quacumque femina, quae naturaliter imperfecta non fuerit. Non item de Caecilia dicendum ex eius insuperabili ad inspectionem repugnantia : idcirco medici, quamvis sanguinis guttulas effluere possint ex conatu viri, vim suam exercentis concedant absque ingressu, id tamen quasi dubitando asserunt cum ipsis incognitum sit an organa feminea imperfecta sint, necne.

Ast Sacramenti vindex, admissa viri potentia, medicorum iudicium, circa sanguinem, ambiguum esse retinet, Caeciliam vero mentis esse obtusae quae actum rei uxoriae vel ignorat, vel per verecundiam obscure respondet, et nimis verecundam. Hinc enixe tuetur ad decernendam nullitatem evidenter de impotentia constare debere ; speciatim ex guttulis sanguineis consummationem, licet imperfectam, sed tamen sufficientem ad penetrationem fuisse peractam iudicat, et tandem triennale experimentum iuxta Canones esse ipsis praescribendum postulat. Eius animadversiones dignae sunt consideratione : has tamen Remigii Patronus reiicere, ac diluere conatus est. Caeciliam non esse mentis obtusae, sed sui compotem, ideoque fidem mereri, inquit, dum inconsummationem confitetur; triennale experimentum esse impossibile declarat propter repugnantiam animorum, imo vetandum, cum adsit, uti arbitratur, moraliter vera impotentia. Cf. Mansella, *excogit. aliisque* Discept. III.*

Ut in hac quaestione, seu dubio iudicium a veritate non alienum proferatur consideranda sunt fundamenta, quae in actis habemus : sed quaestio tota innititur confessioni coniugum, qui sine contradictione, sed concorditer iurant se esse ad coitum impotentes, eumque frustra fuisse expertos affirmant, licet vir uxorem, uxor vero virum insimulet ; ideo impotentiam inter eos existere non temere retinere et credere

possumus, sive ea fuerit *absoluta** sive *relativa.* An ambo mentiuntur ? an collusio praesumenda? nemo ex Testibus de mendacio, aut collusione verbum fecit, imo eos honestos, et verídicos esse dixerunt.

Remigius a Medicis legaliter examinatus sine ullo defectu, robustus, et ad quamcumque copulam aptissimus repertus est, qui iam ex priori coniugio pater est filiorum, unde sub hoc respectu nihil amplius in eo desiderari potest : vir in re uxoria certe non novus, altitudinem in femina se invenisse insuperabilem, et copulam incassum, et sine penetratione tentasse sub iuramenti religione deponit: dicemus fuisse mentitum? id prudens ratio non sinit : praeter enim physicas satis rationabiles habemus probationes in favorem Remigii. De eius probitate, honestate, et veracitate plenum ferunt omnes testimonium; ex pluribus vocatis iudicialiter testibus nemo de eius probitate, et honestate vel minimum dubitavit, in primis eius parochus ; deinde omnes ad unum ore concordi commendant vitae rationem. Eius assertio de non consummato matrimonio uxoris depositione, quae plurimi est facienda, manifeste comprobatur : eam vir numquam male habuit, sed adamavit, licet ab ea quoddam venenum fuerit ei infusum in cibo, et bis transfugam receperit in domo sua. Quae omnia Remigio apprime favent.

Caecilia vero quamvis honesta, religiosa, nulloque implicita amore a Testibus appelletur, tamen exhibetur tamquam femina levis, ignara, et modicae intelligentiae, quasi hebes : interrogata an perfecte copulam compleverit : respondit neque una vice tantum: aperte, et sine pudore blaterabat de Remigii impotentia ; alias tamen dictitabat publice se nescire ex qua parte existeret defectus. In primo examine interrogata si, defuncto viro, alias nuptias esset initura, respondit affirmative, sed in privato colloquio semper novas nuptias se repudiaturam dixit. Sed quidquid sit de his satis probabiliter de eius impotentia iudicare possumus, cum concordet Remigii depositioni. Accedit vox populi, seu publica fama cum

Testes et oppidani ferme omnes affirment se credere, et retinere impotentiam existere ex parte Caeciliae.

Quod si iure dubitari potest de validitate propter feminae impotentiam, non ita dicendum de inconsummatione, de qua argumenta exhibentur sufficientia a viro probo, honesto, periurii incapaci, cuius assertiones ipsius feminae verbis concorditer, et luculenter comprobantur, uti satis constat ex dictis ab utroque sub iuramenti religione. Dices : sola coniugum confessio haud sufficit ad probandum: sed respondeo iurata admittitur tamquam probatio adminicularis, et aliquando uti vera, quam testium depositiones confirmant, et roborant.

Hisce praenotatis, demus cl. Sacramenti vindici Matrimonium fuisse valide contractum, et nullitas non satis probata videatur ex defectu inspectionis, sed *ratum* mansisse concedendum erit, cum de non consummatione, si non evidentiam, moralem tamen certitudinem, quae eidem aequipollet, habemus et satis de ea constare ex dictis colligimus. Propterea Remigii Patronus, relicta priori quaestione, petit, ut consuletur SSmo pro dispensatione matrimonii *rati** et *non consummati.*

Graves, iustae rationabilesque in themate causae non videntur deesse. In primis, attenta indole Caeciliae, quaecumque conciliatio modo est impossibilis, et absonum esset de componendis açlhuc animis disserere : multo minus speranda erit feminei corporis inspectio, tenacissime recusata a Caecilia, in qua tamen impotentia satis probabiliter et etiam certe praesumitur. Triennale experimentum vero, haud amplius imponitur ab Apostolica Sede.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Labente anno 1886 mensis Septembris die 18 Remigius, in aetate annorum 36 constitutus, viduatus uxore, ac quatuor liberis onustus, matrimonio sibi coniunxit Caeciliam, 35 annos natam, quacum per duos menses et dimidium mensam et thalamum communes habuit.

Ast die 21 Februarii 1887, postquam Caecilia, salu-

tato viro, paternam domum repetierat, Remigius uxorem proclamavit coniugio ineptam, et matrimonium cassari ab episcopali curia efflagitavit ; quae illud non irritum renuntiavit, sed opere imperfectum. In episcopalis curiae sententiam descendit consultor theologus, canonista autem connubium irritum censet.

Ut a lectissimo canonista incipiam, ille terra marique arma quaerit, sed perperam. Indicia enim quae accuratissime colligit levissima sunt et quae ille ex iis facili ingenio coniectat, facili negotio retorqueri possunt. Heic meminisse sat erit ad decernendam assertam Caeciliae ineptitudinem argumenta certa requiri. A themate autem exulat quodcunque peritorum testimonium ; neque est ex *septimae manus* testibus, qui vitium illud in Caecilia vel a longe aspexerit.

Novum profecto est matrimonium invalidum decernere in fide unius actoris asserentis arctitudinem mulieris eam esse, quae nemo ingredi valeret.

Huc accedit quod recitata Remigii cantiuncula e diametro, ni fallor, pugnat cum facto peremptorio, nedum a Caecilia verum etiam a Remigio narrato. Porro Caecilia percontari iudici : in usu matrimonii cum Remigio aliquod malum passa es ? reponit : prima vice magno dolore affecta fui, ita ut gutta sanguinis promanaret. Postea, nempe vicibus successivis, omnis dolor cessavit : quod etiam Remigius confirmavit.

Haec omnia apte quadrant virginibus ad coitum apprime idoneis ; quae prima vice non sine cruciatibus sanguinisque effusione veretrum admittunt ; virginali autem fracto claustro, neque sanguinem effundunt subsequentibus vicibus, neque torquentur. Econtra arctae puellae, atrociores usque cruciatus experiuntur, quia non cedunt nec dilatantur ossa, sed veretri irruptionibus allisa, patientis mulieris genitales partes labefactant, lacessunt, irritant.

Praenarratum factum nedum Caeciliam operi coniugali aptam, verum etiam matrimonii consummatum fuisse osten-

dit. Nec me commovent medici relatores; hi enim inconsummationem matrimonii, non obstante praefata sanguinis emissione, *possibilem* tantum habent : at in themate certa et explorata sit oportet. Praeterea medici ignorabant rem scitu oppido necessariam, scilicet, quod Caecilia fuso sanguine, virum, ceu vidimus, absque dolore, sustinuit.

Hisce praemissis, duo supposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An constet de matrimonii nullitate in casu.*

Et quatenus negative.

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa sub die 27 Iunii 1891, censuit respondere: *Ad I Providebitur in secundo. Ad II Affirmative* vetito mulieri transitu ad novas nuptias* inconsulta Sacra Congregatione.*

MACERATEN.

CONGRUAE PAROCHIALIS

Die 27 Iunii 1891.

Sess. 24 cap. 18 De reformat.

COMPENDIUM FACTI. Curam animarum, quae capitulo Cathedralis Maceratensis habitualiter imminet, olim duo canonici in annos singulos alternis deputati exercere solebant. Hic mos usque ad annum 1818 constanter perseveravit cum, ut melius paroeciae regimini provideretur, ipso urgente capitulo, Pius VII fel. rec. Litteris Apostolicis diei 8 Iulii eiusdem anni, vicariam perpetuam inibi erigendam decrevit. Voluit autem ut vicario curato, sicut ceteri parochi, per concursum eligendo et actualis in animarum cura et insimul canonicalia onera incumberent, atque ideo eidem canonica-

tum inseparabiliter univit, eiusque fructus, sive ex particulari praebenda, sive ex communi massa derivantes pro parochiali congrua assignavit.

Postquam nostris temporibus civilis auctoritas in res ecclesiae violentas manus immisit, etiam Maceratensis capituli bona conversionis legi, ut aiunt, absque exceptione obnoxia fuerant. Sed quoniam parochiales congruas ea lex minime attigerat; hinc Vicarius curatus Ioannes Pagamici publicum aerarium in ius rapuit atque a tribunali civili sententiam obtinuit, qua et exigua particularis praebenda et pars bonorum massa suo canonicatui respondens a conversione immunis declarabatur. Huiusmodi bonorum parte ille, qui plures in lite instruenda fecerat sumptus, canonicis acquiescentibus, usque ad extremum diem frui potuit. At anno 1886 priusquam de successore canonici Pagamici designando ageretur, contendit capitulum ut ad formam Instructionis S. C. C. « Ad dirimendas » diei 22 Februarii 1876 novus vicarius bona restituta iterum in massam immitteret, ex qua deinceps congrua ipsi persolveretur. Quare Episcopum adiit eique rem totam examinandam et definiendam, ad praefatae Instructionis tramites, detulit.

Episcopus, cui tunc Maceratensis ecclesia erat concredita, capituli petitionem libenter excepit, atque die 19 Iulii 1866, mentem suam aperuit votum perlegens quod ab omnibus canonicis, uno excepto, approbatum est. Quapropter die 21 eiusdem mensis decretum tulit :

1. Quod bona dotem Vicariae constituentia, excepta particulari eius praebenda, devolvantur ad massam communem, a Capitulo administrandam. 2. Ius est Vicario curato percipiendi a Capitulo quotam, quae aequet illam denuntiatam pro taxa *manomorta** absque detractione taxae 30 0[0 quam solvunt ceteri canonici. Quatenus bona a gubernio assignata Vicariae, devolvenda in massam communem, excedant quotam a vicario perceptam, hic ex hac causa ius non habebit ad auctionem suae quotae; sed excessus ille diribendus est inter alios canonicos, donec reficiatur damnum passum

causa taxae 40 OnO. 3. Quoniam in praeteritum aequalem aliis canonicis quotam percipiebat, et pro parte aequali tolerabat expensas et onera massae, sic hodie concurrere debet habito respectu ad differentiam quae adest inter quotam ab ipso perceptam, et illam quae percipitur ab aliis canonicis. Pro cultus expensis quae capitulum gravant, concurret ceu singuli canonici...

Congruenter ad haec, indicto concursu, qui concurrentium albo nomen dederant antequam ad periculum subeundum admitterentur, praedicti decreti observantiam coram Ordinario et examinatoribus subscriben tes promiserunt.

Habito experimento praelationem meruit sacerdos Aloysius Monachesi, qui idcirco electus fuit et vicariae perpetuae possessionem obtinuit. Huic capitulum, cui bonorum administratio ut dixi, ab Episcopo collata fuerat, congruam in libellis 1500 constituit, a qua tamen summa, onera ab art. 3., episcopalis decreti indigitata quotannis detrahenda erant. Haec vero onera, circa quae praesens controversia versatur, ut melius perspecta sint, ex allegato Episcopi voto transcribere opportunum est. Rationale est quod redditus vicarii perpetui, qui immunes fuerunt unice a taxa 30 OjO concurrant cum redditibus aliorum canonicorum pro rata, quoad omnes taxas, et quoad augmentum earumdem, et quoad novas quae imponi queant... Concurrere debebit ad expensas tum pro administratione, tum pro illis quas Capitulum facere debet pro Ecclesia.

Verum nimis graves acceptas conditiones tractu 'temporis deprehendit sacerdos Monachesi, qui idcirco S. C. C. preces obtulit, efilagitans, ut eadem decernere dignaretur, congruam sibi immunem saltem a taxa vulgo *di ricchezza mobile* esse a capitulo persolvendam.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO VICARII. Ut autem facilius voti compos evadat, recolit prae primis responsionem ad septimum dubium Instrui-

ctionis S. C. C. diei *22* Februarii 1877, in quo postquam statutum fuit ut bona massae communis a parocho accepta titulo congruae cum aliis capitularibus di viderentur cautum quoque est « ut ex communi massa parocho persolvatur annua portio haud minor ea quantitate, quam ante bonorum direptionem percipiebat. > Iamvero si haec quota vectigalibus in dies gravioribus subiiciatur, profecto nonnisi verbis summa prius percepta vicario curato salva erit, quod num decreti sensui consonum sit, erit declarandum ab Eminentissimis Patribus.

Quod vero attinet taxam *di ricchezza mobile* peculiaris adesse videtur ratio, ut ea a parochiali congrua penitus excludatur. Memorat enim huiusmodi taxam impositam fuisse reditibus chirographariis vel in publici, ut aiunt debiti nominibus constitutis: ab ea tamen bona immobilia minime gravari. In causa vero cum congrua parochialis in parte bonorum immobilium a fìsco restituta sit haud obnoxia fuit illi taxae, cui reliqui capituli reditus post conversionem suppositi fuerunt. Non igitur vicario curato aequum apparet, et ea taxa quae minime pro parochiali beneficio persoluta fuit a sua congrua modo detrahatur. Quod si ex S. O. decreto parochus ea omnia quae a fisco recepit in massam conferre debet et lucrum, si quod fuit, cum canonicis dividere, non exinde sequi putat se ad iacturas ceteris illatas perferendas viritim obstringi.

Quod magis magisque tenendum forsan est, si attendatur id quod in Episcopi voto, decreto adnexo legitur quoad taxam trigesimi pro centenis : taxa 30 OjO lata fuit in beneficia choralia, parcendo beneficiis. Qua de re ceu quaelibet praebenda taxam rependit, qua oneratur, sic iustum videtur praebendam Vicariae curatae immunem abire.

Si igitur parochialis congrua a taxa trigesimi pro centenis immunis declaratur, eo quia huiusmodi onus bonis parochialibus non fuit impositum, iisdem prorsus rationum momentis et a taxa *di ricchezza mobile* libera esse deberet ad tritum effatum: « ubi eadem est ratio eadem debet esse iuris dispositio. »

His accedit quod congrua parochialis a capitulo ad formam episcopalis decreti constituta in lib. 1,500, valde minor est, iuxta vicarium, iis reditibus qui ex bonis a fisco restitutis percipiuntur, et proinde iis etiam quibus ante bonorum direptionem parochus fruebatur. Refert enim cum de peragenda a gubernio conversione ageretur, canonicos massae communis fructus in summa tenui ori denuntiasse, hoc est in annuis libellis 1,590 pro unoquoque canonico, dum e contra lib. 2,200 excedere solebant. Hoc posito cum duodecima bonorum immobilium pars fuerit pro parochiali congrua a fisco assignata, atque huius annui proventus in lib. 2,200 computari possint, inficiandum non esset actualem congruam summae prius perceptae minime aequalem esse, ac proinde sive ex iure, sive saltem ex aequitate taxam de qua controvertitur, in solutione haud esse detrahendam.

Praeterea sacerdos Monachesi S. C C . exemplar demonstrativum redituum congruae parochialis transmisit, ex quo deduci putat eam talem haud esse, qua parochus commode vivere possit. Deprehenditur enim ex allegato schemate fructus, tum ex communi massa cum ex particulari praebenda derivantes, annuas libellas 1828 non excedere, ex quibus si onera plura et expensas demas quae nominatim enumerantur, vix congrua in libellis 1,248 vicario curato salva erit. Hanc autem, ad vitam tenuissimo cultu ducendam in maceratensi civitate aegre sibi sufficere edicit, praesertim cum neque parochialem domum incolendam habeat, neque alia curae emolumenta capitulo debita ipse percipiat.

Iamvero indubium est parochi congruam eam esse debere, quae illi qui spiritualia populo ministrat necessaria ad vitam suppeditet. Neque obstare in casu quod summam centum scutatorum in iare assignatam excedat; nam communiter receptum est praefatam summam non taxative, sed demonstrative esse sumendam, ita ut potius statuatur in ea quantitate quae arbitrio iudicis sufficiens reputetur habita ratione loci, onerum, qualitatis personae, consuetudinis regionis et similium, uti tenuit S. Congregatio in *Firmana*

*Pensionis diei 17 Martii 1827** in *Portuen. Congruae parochialis 27 Augusti 1853 etc.*

Sibi vero haud officere autumat vicarius curatus obligationem assumptam servandi in omnibus Episcopi decretum, cui absque ulla exceptione in scriptis ante concursum praebuit assensum. Nam praeterquam quod se subscripsisse refert in iis rerum adiunctis, quibus plena libertate et factorum cognitione carebat, monet se ultra legis praescripta et cum iurium parochialium laesione minime obligationem suscipere potuisse. Unde non inepte invocare posset Regulam *64 iuris in VT,* « quae contra ius fiunt, debent utique pro infectis haberi. »

Iamvero decretum ad iuris tramites haud latum fuisse deducit, sive quia emissum fuit, audito tantum capitulo, et cum, paroecia vacante, efficax iurium parochialium tutor deesset, sive quia ordinariae Episcopi potestatis limites praetergreditur. Agitur enim de novi oneris impositione et consequenti imminutione redituum, quae occasione provisionis beneficiorum a sacris canonibus improbatur iuxta *tit. XII. lib. Decret.:* quae onera auctoritate Ordinarii imponi non posse saepius declaravit S. Congregatio Concilii teste Fagnano in *cap. Significatum de praeb. n. 3 et seq.* Nec dicendum, ut capitulum tenet, hoc ius Episcopis vigore Instructionis S, C. C. « Ad dirimendas » fuisse demandatum. Siquidem ibi legitur « in practica tamen executione curet Episcopus rem componere; secus recurrat ad S. Congregationem »; quae verba non modo decernendi auctoritatem non tribuunt Episcopo, sed cum de compositione loquantur et recursum ad S. C. indigitent, potius illam videntur excludere.

DEFENSIO CAPITULI. Verumtamen ex alia parte capitulum Episcopi decretum in omnibus sustinendum defendens, negat primo ius esse vicario curato contra acceptam obligationem insurgere. Etenim nihil tam rectae rationi et utrique iuri consentaneum esse recolit, quam ut pacta et conventiones et exinde obligationes derivantes religiose serventur. Patet id ex *I. Sicut. 5 c. De oblig, et act. et I. 1 in princ.*

ff. de pactis et ex *I. 75 ff. de diversis regulis iuris antiqui.* « Nemo potest mutare consilium suum in alterius iniuriam. > Quibus plures consonant iuris canonici dispositiones et apertissime Regula *XXI iuris in VI.* « Quod semel placuit amplius displicere non potest. » In themate igitur cum sacerdos Monachesi Episcopi decretum iam ratum subscriptione habuerit et sese obligaverit ad servandum qualibet ex parte, absque exceptione, ne novus investitus unquam causam habeat ad praetensa iura, aut ad lites ineundas ; iam praesens controversia dirempta penitus videri posset.

Defectum vero libertatis vicario perpetuo minime suffragari posse capitulum censet, sive quia gratuita est assertio et omni probabili argumento destituta, sive quia subscriptio absque ulla haesitatione decreto fuit apposita, cuius vis solummodo post aliquod tempus infirmari coepit. Neque melius alia exceptione, scilicet ignorantia assumptae obligationis iuvari, cum per eum steterit quin plenam rei notitiam acquisierit.

At praeterea intrinsecum quaestionis meritum expendens capitulum tuetur episcopale decretum diei 21 Iulii 1886 iuris et aequitatis principiis apprime inniti, et proinde in omnibus vim suam exerere. Ad hoc recolit S. O. C. Episcopis curam practicae executionis quoad congruas parochiales iuxta Instructionem « Ad dirimendas » commisisse, qui hoc ipso ad huiusmodi controversias definiendas compotes evaserunt. Iussis morem gerens capitulum, vix vicarius perpetuus Pagamici e vivis excessit, rem totam Ordinario detulit se paratum exhibens ad quamlibet decisionem amplectendam. Res non semel ad trutinam revocata fuit ab Episcopo et a canonicis, neque iura paroecialia neglecta fuerunt. Extitit enim aliquis qui illa mordicus sustineret et mentem suam conscripto voto aperiens nec bonorum parochialium in massam collationi locum esse autumaverit. Ceterum Episcopus ipso decreti initio professus est : perpenso, quod si ex altera parte salva esse debent iura Capituli, ex altera autem laedi non debent iura Vicarii curati, decrevimus, et decernimus...

Constito igitur quod Episcopus legem in casu ferens potestatem suam non excesserit, illius decretum S. C C. Instructioni plane congruere affirmat capitulum. Etenim hoc praecise ibi statutum est, ut bonis paroecialibus in communem massam immissis, annua portio vicario perpetuo persolventur haud minor ea quantitate quam ante bonorum direptionem percipiebat. Onera si qua iam congruam parochialem imminuebant vel in posterum imminuerent aequum esse edicunt pro parte parocho attribuere, ut aequalitas participantium ad communem massam, iuxta Capituli maceratensis consuetudinem et S. C mentem, plene servaretur. Cum vero post collationem bonorum paroecialium ex his simul aliisque reditibus capitularibus massa coalescat, tuetur capitulum vectigalia ex integro communi patrimonio esse detrahenda, ita ut viritim ab unoquoque onus sustineatur.

Parochus ideo, scribit Capitulum, ex dote devoluta ad massam, percipere nequit nisi duodecimam partem ; eo quod complementum habere debeat a massa communi per caespites oneratos taxa *ricchezza mobile:* et proinde hoc complementum pro sua entitate subiectum eidem taxae. Aliter enim massa communis, cum aliorum canonicorum detrimento consulere deberet huic taxae pro parocho, qui reditus percipit, et eo magis si taxa augeretur. Praeterea bona immobilia devoluta massae communi possunt minores dare redditus ex augmenti taxarum praedialium, ex diminutione pretii messium aut ex infortuniis. Qua de re si redditus ipsorum bonorum minores fierint quota parocho debita, parochus tutam haberet suam quotam, dum massa communis seu alii undecim canonici pati deberent deminutionem. Quae profecto rationum momenta, ut ex voto eruitur, Episcopum moverunt ut parochi congruam ab oneribus et nominatim a taxa « di ricchezza mobile » haud immunem declararet.

Nec urgeri posset, iuxta capitulum, comparatio quam vicarius perpetuus desumere vellet a taxa trigesimi pro centenis. Nam haec sortem et minime annuos fructus attingit,

et proinde unica tantum vice illius detractionem contigisse exploratum* est.

Perperam demum videtur sacerdotem Monachesi confugere ad congruae paroecialis tenuitatem. Siquidem licet summa scutatorum centum a S. Pio V assignata demonstrative accipienda sit, salva tamen ex ipsius verbis semper portio remanet, duplo maior, quae in parva civitate ad vitam insufficiens profecto dici nequit.

Quibus aliisque perpensis propositum fuit enodandum sequens

Dubium

An vicario perpetuo congrua persolvenda sit immunis a taxa vulgo « di ricchezza mobile > a capitulo in casu.

RESOLUTIO S. O. O. re disceptata sub die 27 Iunii 1891 censuit respondere: *Negative.*

EX QUIBUS COLLIGES. I. Esse regulam iuris quod *nemo potest mutare consilium in alterius iniuriam: et quod semel placuit amplius displicere non potest.*

II. Insuper nihil magis esse consentaneum rectae rationi et utrique iuri, quam ut pacta et conventiones et obligationes exinde derivantes, religiose serventur.

III. Onus taxae *di ncehezza mobile* in themate sponte recognitum et susceptum fuisse a Vicario quando decretum Episcopi ratum per appositam subscriptionem habuit.

EX S. CONGREG. EPISC. ET REG.

EPISTOLA Emi Praefecti ad Archiepiscopos, etc. quoad decretum iam relatum, Vol. XXIII, p. 305.

Perillustris ac Reverendissime Domine uti Frater,

De mandato SSmi D. N. Leonis PP. XIII praesentibus litteris adnexum transmitto Amplitudini Tuae Decretum, iussu eiusdem Sanctitatis Suae ab hac Sacra Congregatione Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita nuper la-

tum, quo manifestatio conscientiae, quocumque nomine veniat, omnino prohibetur, tum pro Monasteriis Monialium, etiam votorum solemnium, tum pro Institutis votorum simplicium utriusque sexus, iis dumtaxat virorum Institutis exceptis, natura ac regimine prorsus ecclesiasticis.

Declarationes insuper et dispositiones dantur de moderatione communionum, et de confessariis extraordinariis facilius concedendis.

Ad hoc autem Sanctitas Sua Mihi commisit Amplitudini Tuae, uti Metropolitae, praefatum Decretum transmittendum, ut illius exemplaria cum Episcopis ab eadem Amplitudine Tua dependentibus communicare curet; qui vicissim cum singulis Superioribus et Superiorissis Monasterium piarumque Domorum respectivarum dioecesum, eiusdem Decreti exemplaria communicent. Praecipit denique Sanctitas Sua omnibus Locorum Ordinariis ut enunciati Decreti plenam exequutionem sedulo diligenterque vigilare et procurare non intermittant, etiam vi specialis Apostolicae Sedis delegationis.

Haec erant a me significanda atque declaranda Amplitudini Tuae, cui omnia fausta deprecor a Domino.

Amplitudinis Tuae

Romae, die 20 Ianuarii 1891.

Addictissimus uti Frater

J. CARDINALIS VERGA, PRAEFECTUS.

FR. ALOYSIUS EPISC. CALLINICEN., *Secretarius.*

DUBIA quoad decretum Quemadmodum etc. relatum Vol. XXIII, p. 505.

I. Se il decreto incip. *Quemadmodum* , dei 17 Dicembre 1890 comprende anche le Figlie della Carità, instituite da S. Vincenzo de'Paoli?

II. Se il decreto medesimo, oltre gl'instituti femminili, comprende solamente gP Instituti maschili di natura laicali, come i Fratelli delle Scuole Christiane, etc.; ovvero anche le Congregazioni scolastiche, come i Salesiani, fondati da D. Bosco, i Rosminiani, i Lazzaristi, e simili, nelle quali, oltre i sacerdoti, sono molti fratelli laici ?

An Decretum incip. *Quemadmodum,* diei 17 Decembris 1890, etiam Filias charitatis a S. Vincentio a Paulo institutas comprehendat ?

An Decretum praecitatum, praeter instituta feminarum, sola virorum Instituta conditionis laicalis, uti Fratres Scholarum Christianarum, etc., comprehendat; an etiam Congregationes ecclesiasticas; veluti Salesianorum a D. Bosco fundatorum, Rosminianorum, Lazzaristanim, et similium, in quibus, praeter Sacerdotes, multi repeퟀriuntur fratres laici ?

Sacra Congregatio taliter dubiis respondit:

AD PRIMUM. — *Affirmative iuxta modum;* modus est: «Attenta peculiari Puellarum Charitatis institutione, attentisque Pontificiis declarationibus ac privilegiis indultis, praesertim a S. M. Pio VII et Leone XII, confirmatis a SSmo D. N. Leone XIII die 25 Iunii 1882; publicationem et vigilantiam super executione praefati Decreti quoad dictas Puellas spectare ad Superiorem generalem pro tempore Congregationis Presbyterorum Missionis, sive per se, sive per eiusdem Congregationis Visitatores, salva tamen delegatione Apostolica Ordinariorum locorum in casu negligentiae Superiorum Congregationis Missionis. »

AD SECUNDUM. — *Affirmative ad primam partem. Negative ad secundam.*

Et facta de praemissis relatione SSmo D. N. Leoni PP. XIII in audientia habita a me Cardinali Praefecto die 12 Aprilis 1891, Sanctitas Sua resolutiones S. Congregationis approbavit et confirmavit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 15 Aprilis 1891.

I. CARDINALIS VERGA, PRAEFECTUS.

FR. ALOYSIUS EPIS. CALLINICEN. *Secretarius.*

EX SECRETARIA BREVIUM

LITTERAE SSmi D. N. Leonis XIII, quibus festum S. Ioseph sub utroque praecepto celebrandum indulgetur in regionibus Pedemontis, Liguriae, Sardiniae et Longobardiae.

Quod erat maxime optandum, ut nimirum apud omnes quibus continetur Italia regiones dies sacer Sancto Iosepho immaculato Deiparae Sponso tanta cultus observantia ageretur, quanto apud eas omnes studio in Eumdem Sanctum pietas colitur, id optima opportunitate per hos ipsos dies nobis datum esse laetamur. Supplices enim a Venerabilibus Fratribus Pedemontis, Liguriae et Sardiniae Episcopis perlatae sunt ad nos litterae, quibus ipsi votorum etiam cleri populique interpretes petunt a Nobis, ut dies undevigesimus mensis Martii memoriae Sancti Patriarchae recolendae addictus, quemadmodum in aliis Italiae regionibus, ita in suis Dioecesibus sub duplici praecepto celebretur. Laeto quidem animo lubentique excepimus ea vota, quae cum digna sunt pietate rogantium, tum diutino desiderio Nostro apprime respondent. Siquidem vestigia sequuti Decessoris Nostri sanctae memoriae Pii PP. IX, qui singulari studio cultum Sancti Dei Genitricis Sponsi provexit, illumque coelestem totius Ecclesiae Patronum designavit, Nos die VIII Kalendas Septem-

bris anno MDCCCLXXXIX datis ad universum orbem Apostolicis Litteris, Christianos omnes ad fovendum in se augendumque erga castissimum Deiparae Sponsum piae mentis affectum, Eiusque cultum ubique magis dilatandum efficacibus verbis cohortati sumus. Iis vero hortatibus praeceptisque Nostris tanta animorum alacritate ubique locorum obtemperatum est, ut luculenter apparuerit quanta et quam penitus insideat in Christianorum animis erga Sanctum Patriarcham pietas, et quantum in coelesti Illius patrocinio spem universi reponant. Excitatis ita ubique pie tatis studiis, auctoque fervore, sibi quidem deesse non poterant Itali, apud quos non minus certe quam apud ullam ex gentibus ceteris in Sanctum Iosephum pietas viget et floret. Ex hoc evenit ut, nulla habita ratione regionum, nunc per Italiam totam ex ipsa populorum voluntate pari Sancti Iosephi cultui instituendo solerter detur opera. Certe nulla pietatis, nulla christiani cuiuslibet officii debet esse laus, quam sibi prae ceteris gentibus adipisci non contendant regiones Italiae, in qua Deus singulari beneficio et Sedem sui in terris Vicarii, et divinae veritatis cathedram, et catholicae unitatis centrum collocavit. Nos, qui dum populos universos et singulos paterna benevolentia pariter complectimur, singulari caritatis sensu ad Italos respicimus, spem bonam fovemus fore ut novum hoc pietatis pignus, quod in supra dictis regionibus Beato Mariae Virginis Sponso tribuendum est, acceptum Illi sit, cui defertur, iis vero qui deferunt fructuosum. Nihil enim est difficillimis hisce temporibus ad servandum patrimonium fidei, et ad vitam Christiane agendam efficacius, quam patrocinium sancti Iosephi demereri, atque adeo gratiam Mariae De Matris castissimi sui sponsi clientibus conciliare. Quare admotis ad Nos precibus votisque benigne obsecundare volentes, moti suffragiis Sacrorum Antistitum, qui supra memoratis Dioecesibus praesunt, Apostolica Auctoritate Nostra, harum Litterarum vi, praecipimus, decernimus ut dies undevigesimus mensis Martii memoriae Beatissimi Patriarchae Iosephi recolendae sacer, in omnibus et singulis Pedemontis, Liguriae, Sardiniae nec non Longobardiae regionibus in dierum festorum numero rite censeatur. Propterea Christiani omnes quum Sancto Missae Sacrificio adesse, tum ab iis operibus, quae servilia dici solent, abstinere praecepto debent. Non obstantibus, quamvis speciali atque individua mentione ac derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die m Martii MDGCCxci, Pontificatus Nostri anno Decimoquarto.

M. CARD. LEDOCHOWSKL

EPISTOLA ENCYCLICA Sanctissimi D. N. Leonis XIII ad omnes locorum Ordinarios « De Mariae Virginis Rosario ».

Octobri mense adventante, qui sacer Virgini beatissimae a Rosario dicatusque habetur, gratissima Nobis recordatione succurrit, quantopere hoc vobis, Venerabiles Fratres, superioribus annis commendaverimus, ut fidelium ubique greges, auctoritate sollertiâque vestra excitati, pietatem intenderent et augerent suam erga magnam Dei Matrem, potentem christiani populi adiutricem, ad eam toto ipso mense adirent suppliciter, eamque invocarent sanctissimo Rosarii ritu, quem Ecclesia, in dubiis praesertim rebus difficillimisque temporibus, adhibere et celebrare, optato semper exitu, consuevit. — Eamdem voluntatem Nostram, hoc rursus anno, curae est patefacere, easdemque ad vos mittere atque etiam duplicare hortationes; id quod suadet urgetque Ecclesiae caritas, cuius labores, potius quam levamentum acceperint, et numero in dies et acerbitate ingravescunt. Mala omnibus cognita deploramus : quae custodit Ecclesia et tradit dogmata sacrosancta, oppugnata, confixa ; integritas quam tuetur christianae virtutis, derisui habita ; in sacrorum antistitum ordinem, maxime autem in romanum Pontificem, multis modis obtrectatio instructa, invidia connata; in ipsumque Christum Deum, per impudentissimam audaciam et nefarium scelus, impetus factus, quasi conantium redemptionis eius divinum opus, quod numquam vis ulla tollat et deleat, tollere funditus et delere. — Ista quidem haud nova accidunt militanti Ecclesiae: quae, praemonente apostolos Iesu, ut homines veritatem edoceat atque ad salutem provehat sempiternam, in aciem quotidie dimicationemque venire debet; quaeque reapse per saeculorum tractus animosa ad martyrium depugnat, nulla re laetata et gloriata magis, quam quod suum possit cum Auctoris sui sanguine consecrare, in quo sibi promissae victoriae spes exploratissima continetur. — Neque tamen diffitendum, quam gravi tristitia optimum quemque afficiat haec assidua dimicandi contentio. Magnae nimirum tristitiae causa, tam esse multos, quos pravitates errorum et in Deum protervia longe abducant agantque praecipites; tam multos, qui ad quamlibet religionis formam se aeque habentes, divinam iamiam exuere fidem vi-

deatur; neque ita paucos esse homines catholicos, qui religionem nomine tenus retineant, non re debitisque colant officiis. Id praeterea multo gravius angit et vexat animum, reputare, tam luctuosam malorum perniciem inde potissimum ortam, quod in temperatione civitatum vel nullo iam loco Ecclesia censetur, vel saluberrimae virtuti eius dedita opera repugnatur; qua in re apparet magna quidem et iusta vindicis Dei animadversio, qui recedentes a se nationes miserrima mentium caecitate sinat hebescere.

Quapropter res ipsa clamat, vehementius clamat in dies, necesse omnino catholicos homines precibus ad Deum et obsecrationibus uti alacres perseverantes, *sine intermissione;* (1) idque non apud se quisque tantum, sed eo magis publice faciant oportet, sacris in aedibus congregati, enixe flagitantes, ut Ecclesiam providentissimus Deus *ab importunis et malis hominibus* (2) liberet, perturbatasque gentes ad sanitatem et mentem luce et caritate Christi reducat. — Res enimvero supra hominum fidem mirabilis! Vitam suam laboris plenam saeculum quidem insistit, fretum opibus, vi, armis, ingenio : securo Ecclesia plenoque gradu aetates decurrit, infisa unice Deo, ad quem diurna et nocturna prece oculos et manus attollit. Ipsa enim, quamquam cetera, quaecumque ex Dei cura tempus affert humana praesidia, prudens non negligit ; non in iis tamen sed potius in orando, comprecando, obsecrandoque Deo, praecipuam sui spem reponit. Inde habet quo vitalem spiritum alat et roboret, quia sibi assiduitate precandi contingit feliciter, ut, ab humanarum rerum vicissitudine intacta et in perpetua divini Numinis coniunctione, vitam ipsam Christi Domini hauriat ac tranquille placideque traducat : fere ad Christi ipsius similitudinem, cui cruciatuum diritas, quos in commune est bonum perpessus, nihil admodum de proprio sibi beatissimo lumine et gaudio neque minuit neque ademit.

Quae quidem magna christianae sapientiae documenta tenuere semper religioseque coluerunt quotquot christianum nomen digna sunt virtute professi : quorum ad Deum preces maiores crebrioresque esse solebant, siqua Ecclesiae sanctae vel summo eius rectori calamitas ab nequissimorum hominum frau-

(1) I. Thes. v. 17.
(2) II. Thes. III, 2.

dibus et violentia incidisset. — Extat huius rei exemplum insigne in fidelibus exorientis Ecclesiae, dignum plane quod omnibus deinceps futuris ad imitandum proponeretur. Petrus, vicarius Christi Domini, summus Ecclesiae antistes, in vincula, Herodis scelesti iussu, traditus erat certaeque destinatus morti; illinc ut evaderet nihil in quoquam erat opis, nihil auxilii. At illud vero auxilii non deerat quod precatio sancta a Deo conciliat: scilicet Ecclesia, quod divina refert historia, impensissimas pro illo preces fundebat: *Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo* (1) : agebatque omnes eo ardentius precandi studium, quo acrior aerumnae tantae sollicitudo mordebat. Ut vero orantibus vota successerint, comperta res est : Petrum mirifice liberatum christianus populus memori semper laetitia concelebrat. — Insignius autem exemplum divinumque edidit Christus, quo Ecclesiam suam, non solum praeceptis, verum etiam de se ipse ad omnem erudiret et formaret sanctitatem. Qui namque in omni vita tam frequentem et effusam precando operam dederat, ipsemet sub horas extremas, quum in Gethsemani horto, perfuso immensa amaritie animo, oblangueret ad mortem, tum vero Patrem, non orabat modo, sed *prolixius orabat* (2). Neque sibi profecto id fecit, nihil timenti nihil egenti, Deo; sed fecit nobis, fecit Ecclesiae suae; cuius futuras preces et lacrimas iam tum libens volensque in se recipiens fecundas gratiae efficiebat.

Ubi vero per mysterium Crucis generis nostri salus peracta, atque eiusdem administra salutis, Ecclesia, triumphante Christo, condita in terris riteque constituta est, novus ex eo tempore in populum novum ordo providentis Dei incepit valuitque. — Divina consilia addecet magna cum religione intueri. Filius Dei aeternus, quum, ad hominis redemptionem et decus, hominis naturam vellet suscipere, eaque re mysticum quoddam cum universo humano genere initurus esset connubium, non id ante perfecit quam Uberrima consensio accessisset, designatae Matris, quae ipsius generis humani personam quodammodo agebat, ad eam illustrem verissimamque Aquinatis sententiam : *Per annuntiationem expectabatur consensus Virginis, loco totius humanae naturae* (3). Ex quo non minus vere proprieque

(1) Act. XII, 5.
(2) Luc. XIII, 5.
(3) III. q. XXX, a. 1.

affirmare licet, nihil prorsus de permagno illo omnis gratiae thesauro, quem attulit Dominus, siquidem *gratia et veritas per Iesum Christum facta est* (1), nihil nobis, nisi per Mariam, Deo sic volente, impertiri : ut, quo modo ad summum Patrem, nisi per Filium, nemo potest accedere, ita fere, nisi per Matrem, accedere nemo possit ad Christum. - Quantum in hoc Dei consilio et sapientiae et misericordiae elucet! quanta ad imbecillitatem fragilitatemque hominis convenientia ! Cuius namque bonitatem credimus laudamusque infinitam, eiusdem infinitam credimus et veremur iustitiam : et quem amantissimum Servatorem^ sanguinis animaeque prodigum, redamamus, eumdem non exorabilem iudicem pertimescimus : quare factorum conscientia trepidis opus omnino deprecatore ac patrono, qui et magna ad Deum polleat gratia, et benignitate sit animi tanta, nullius ut recuset desperatissimi patrocinium, afflictusque iacentesque in spem erigat clementiae divinae. Ipsa praeclarissima Maria : potens ea quidem, Dei parens omnipotentis, sed, quod sapit dulcius, facilis, perbenigna, indulgentissima. Talem nobis praestitit Deus, cui, hoc ipso quod Unigenae sui matrem elegit, maternos plane indidit sensus, aliud nihil spirantes nisi amorem et veniam; talem facto suo Iesus Christus ostendit, quum Mariae subesse et obtemperare ut matri filius sponte voluit: talem de cruce praedicavit, quum universitatem humani generis, in Ioanne discipulo, curandam ei fovendamque commisit; talem denique se dedit ipsa, quae eam immensi laboris [haereditatem, a monente Filio relictam, magno complexa animo, materna in omnes officia confestim coepit impendere. = Tam carae misericordiae consilium in Maria divinitus institutum et Christi testamento ratum, inde ab initio sancti apostoli priscique fideles summa cum laetitia senserunt; senserunt item et docuerunt venerabiles Ecclesiae Patres, omnesque in omni aetate christianae gentes unanimae consensere : idque ipsum, vel memoria omni litterisque silentibus, vox quaedam a cuiusque christiani hominis pectore erumpens, loquitur, disertissima. Non aliunde est sane quam ex divina fide, quod nos praepotenti quodam impulsu agimur blandissimeque rapimur ad Mariam ; quod nihil est antiquius vel optatius, quam ut nos in eius tutelam fidemque recipiamus, cui consilia et opera, integritatem et poe-

té) Ioan. 1, 17.

nitentiam, angores et gaudia, preces et vota, nostra omnia plene credamus : quod omnes iucunda spes et fiducia tenet, fore ut, quae Deo minus grata a nobis exhiberetur indignis, ea, Matri sanctissimae commendata, sint grata quam maxime et accepta. Quarum veritate et suavitate rerum, quantam animus capit consolationem, tanta eos aegritudine dolet qui, divina fide carente, Mariam neque salutant, neque habent matrem : eorumque amplius dolet miseriam qui, fidei sanctae quam sint participes, bonos tamen nimii in Mariam profusique cultus audent arguere : qua re pietatem, quae liberorum est, magnopere laedunt.

Per hanc igitur, qua Ecclesia asperrime conflictatur, malorum procellam, omnes filii eius pii facile vident quam sancto officio adstringantur supplicandi vehementius Deo, et qua praecipue ratione niti debeant, ut eaedem supplicationes maximam efficacitatem sint habiturae. Religiosissimorum patrum et maiorum persecuti exempla, ad Mariam sanctam Dominam nostram perfugiamus; Mariam Matrem Christi et nostram appellemus concordesque obtestemur : *Monstra te esse matrem, sumat per te preces qui pro nobis natus, tulit esse tuus* (1). — Iamvero, de variis divinae Matris colendae formulis et rationibus, quum eae sint praeoptandae quas et per se ipsas potiores et illi gratiores esse noverimus, Rosarium idcirco nominatim indicare placet impenseque inculcare. Huic precandi ritui nomen *coronae* communi sermone adhaesit, hac etiam causa quod magna Iesu et Matris mysteria, gaudia, dolores, triumphos felicibus reddat sertis connexa. Quae fideles mysteria augusta si pia commentatione ex ordine recolant et contemplentur, mirum quantum adiumenti trahere sibi possunt tum ad fidem alendam et ab ignorantia aut errorum peste tutandam, tum etiam ad virtutem animi relevandam et sustinendam. Hoc etenim modo orantis cogitatio et memoria, fidei lumine praelucente, ad ea. mysteria iucundissimo studio feruntur, in eiusque et defixae et discurrentes, satis admirari non queunt restitutae humanae salutis inenarrabile opus, tam largo pretio rerumque tantarum serie confectum: tum vero animus super his caritatis divinae argumentis amore et gratia exardescit, spem confirmat et auget, cupidus arrectusque ad caelestia praemia, iis a Christo parata qui se ad ipsum imitatione exempli et communione dolo-

(t) *Ex sacr. liturg.*

rum adiunxerint. Haec inter funditur verbis precatio, ab ipso Domino, a Gabriele Archangelo, ab Ecclesia tradita : quae, plena laudum et salutarium votorum, certo varioque ordine iterata continuata, novos usque habet dulcesque fructus pietatis.

Magnam autem huiusmodi precationi caelestis ipsa Regina adiecisse virtutem ideo credenda est, quod suo numine et instinctu ab inclito patre Dominico invecta sit et propagata, per aetatem catholico nomini adversissimam, eamdemque huic nostrae parum dissimilem, quasi bellicum instrumentum ad hostes fidei debellandos praevalidum. — Secta "enim Albigensium haereticorum, qua clandestina, qua manifesta, in regiones invaserat multas; teterrima Manichaeorum progenies, quorum immanes excitabat errores, simulationesque et caedes et capitale in Ecclesiam odium nimis multum referebat. Hominum praesidiis contra perniciosissimam turbam et insolentem vix iam erat fidendum, quum praesens a Deo venit, Rosarii marialis ope, subsidium. Sic, favente Virgine, gloriosa haeresum omnium victrice, vires impiorum labefactatae et perfractae, salva quam plurimis et incolumis fides. Similia multa apud quasque gentes vel depulsa pericula vel beneficia impetrata, satis pervagata sunt, quae vetus aeque recensque historia luculentissimis testimoniis commemorat. — Id quoque illustre argumentum accedit, quemadmodum, statim ab instituta Rosarii prece, eius passim apud omnes civium ordines usurpata sit et frequentata consuetudo. Enimvero divinae Matri, quae tot tantisque laudibus una omnium praecellentissima nitet, religio christiani populi titulis quidem insignibus modisque multis habet honorem: hunc tamen Rosarii titulum, hunc modum orandi, in quo tamquam fidei tessera et summa debiti ei cultus inesse videtur, semper adamavit singulariter, eoque privatim et publice, in domo et familia, sodalitatibus constitutis, altaribus dedicatis, circumductis pompis, usa praecipue est, rata, nullo se posse meliore pacto ipsius vel sacra sollemnia ornare voi patrocinium et gratias demereri.

Neque illud silentio praetermittendum, quod singularem quamdam Dominae nostrae providentiam in hac re illustrat. Nempe, quum, diuturnitate temporis, studium pietatis in quapiam gente deferbuisse visum est et nonnihil de hac ipsa precandi consuetudine esse remissum, quam mire postea, sive re publica in formidolosum discrimen adducta, sive qua necessi-

tate premente, Rosarii institutum, prae ceteris religionis auxiliis, communibus votis revocatum atque in suum honoris locum restitutum est lateque rursus viguit salutare. Eius rei exempla nihil opus a praeterita aetate petiisse, praeclarum hac nostra in promptu habentibus. Hac namque aetate, quae, uti principio monuimus, acerba adeo Ecclesiae est, Nobis autem, ad gubernacula eius divino consilio sedentibus, acerbissima, spectare et admirari licet quam erectis incensisque studiis, in omni loco et gente catholici nominis, mariale Rosarium colatur et celebretur; quod facti quum Deo verius, moderanti agentique homines, quam ulli hominum prudentiae et navitati recte sit tribuendum, animum Nostrum admodum solatur et reiicit, magnaque complet fiducia de renovandis Ecclesiae amplificandisque, auspice Maria, triumphis.

Sunt autem qui haec ipsa a Nobis commemorata probe ii quidem sentiant, sed quia nihil adhuc de speratis rebus, de pace in primis et tranquillitate Ecclesiae, impetratum, immo fortasse tempora deterius misceri vident, eam idcirco diligentiam et affectionem precandi velut defatigati et diffisi intermittant. Homines istiusmodi videant ipsi ante et laborent, ut, quas Deo adhibeant preces, aptis virtutibus, ex Christi Domini praeceptione, ornentur : quae si tales fuerint, considerent porro, indignum esse et nefas, velle se tempus subveniendi modumque constituere Deo, nobis nihil quidquam debenti, ita ut quum audit orantes et *coronat merita nostra, nihil aliud coronet quam munera sua* (1), et quum minus sententiae nostrae obsecundat, providenter agat cum filiis pater bonus, eorum miserans insipientiam, consulens utilitati. — Quas vero preces, ut propitiemus Ecclesiae Deum, cum suffragiis coniunctas Caelitum sanctorum, supplices deferimus, eas ipse numquam non benignissime admittit et explet Deus, tum quae bona Ecclesiae attingunt maxima et immortalia, tum quae attingunt minora et huius temporis, opportuna tamen ad illa. Quippe istis precibus pondus et gratiam, sane plurimam, precibus addit meritisque suis Christus Dominus, qui *dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret... ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam* (2), idem summus eiusdem Pontifex, sanctus, innocens, *semper vivens ad inter-*

(1) S. August. Epi CXCIV al 106 ad Sixtum, c. v. n. 19.
(2) Ephes. v. 25-27.

pellandum pro nobis,. cuius deprecationem supplicationemque semper evenire divina fide tenemus.— Quod enim spectat ad bona Ecclesiae externa et huius vitae, palam est, rem ipsi saepius esse cum adversariis malevolentia et potentia acerrimis; ab eis nimium sibi dolendum facultates direptas, libertatem deminutam et oppressam, lacessitam et despectam auctoritatem, damna postremo et hostilia omne genus multa. Quorum improbitas si quaeritur cur non eo usque iniuriae, quo deliberatum habent et connituntur, re tandem plena procedat; Ecclesia contra, tot inter rerum casus, eadem illa sua amplitudine et gloria, vario quamquam modo, emineat semper atque adeo increscat; utriusque rei praecipuam causam rectum est a virtute arcessere comprecantis Deum Ecclesiae : nec enim satis assequitur humana ratio quomodo restrictis ita finibus imperiosa nequitia consistat, Ecclesia vero, in angustum compulsa, nihilominus tam magnifice vincat. Idem eo rectius existit in eo bonorum genere, quibus Ecclesia homines ad ultimi boni adeptionem proxime adducit. Ad hoc enim munus quum nata sit, precibus suis posse multum debet ut divinae in illos providentiae misericordia eque ordo exitum habeat et perfectionem : atque ita homines cum Ecclesia et per Ecclesiam orantes, ea demum impetrant atque obtinent quae *Deus omnipotens ante saecula disposuit donare* (1). Ad alta providentis Dei consilia mentis humanae acies in praesentia deficit: sed aliquando erit, quum causas consecutionesque rerum Deo ipso apertas pro benignitate sua monstrante, dilucidum patebit, orandi munus quantam in hoc rerum genere vim habuerit utilitatemque impetrandi. Inde effectum patebit, quod sese multi, in tanta depravati saeculi corruptela, integros praestiterint atque inviolatos *ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes santificationem in timore Dei* (2); quod alii, in eo dum essent ut flagitio indulgerent, illico sibi temperaverint, ex ipsoque periculo et tentamine bonos ceperint actus virtutis; quod prolapsis aliis impulsio quaedam permoverit animus ut érigèrent se et in complexum Dei miserentis occurrerent. — Haec igitur omnes apud se perpendentes, fallaciis antiqui hostis etiam atque etiam obsecramus ne cedant, neve **ulla** omnino causa a studio cessent orandi,

(1) S. Th. II-II, q. LXXXIII, a. 2, ex *S. Greg. M.*
(2) Corinti!, VII, I.

verum in eo perseveranter consistant, *sine intermissione* consistant. Prima sit aliis cura de summo borio, aeterna omnium salute, deque incolumitate Ecclesiae exposcenda : tum licet cetera bona ad usum commoditatemque vitae petant a Deo, modo voluntatis eius aequissimae acquiescant, eidem pariter, optata vel concesserit vel abnuerit, agentes gratias, beneflcentissimo patri : ea denique religione et pietate cum Deo versentur, qua decet maxima et oportet, qua viri sancti consueverunt et ipse egit sanctissimus Redemptor et Magister noster, *cum clamore valido et lacrimis* (1).

Hic officium et paterna caritas postulat, ut in universos Ecclesiae filios non precum modo, sed etiam poenitentiae sanctae a largitore bonorum Deo spiritum imploremus : quod dum toto animo facimus, omnes et singulos ad hanc ipsam virtutem, cum altera coniunctissimam, pari studio adhortamur. Scilicet facit precatio ut animus sustentetur, instruatur ad fortia, ad divina conscendat: facit poenitentia ut nobismetipsis imperemus, corpori maxime gravissimo, ex veteri noxa, rationis legisque evangelicae inimico. Quae virtutes, perspicuum est, aptissima inter se cohaerent, inter se adiuvant, eodemque una conspirant, ut hominem, caelo natum, a rebus aaducis abstrahant evehantque propemodum ad caelestem cum Deo consuetudinem : fit contra, ut cuius animus cupiditatibus aestuet illecebrisque sit emollitus, ieiunus ille fastidiat suavitates rerum caelestium, neque alia sit precatio eius nisi frigida vox et languida, indigna sane quam Deus excipiat. - Sunt ante oculos exempla poenitentiae hominum sanctorum, quorum preces et obsecrationes, ea ipsa causa, magnopere Deo placuisse atque etiam ad prodigia valuisse sacris fastis docemur. Mentem illi et animum libidinesque assidue regebant, domabant : doctrinae Christi Ecclesiaeque eius documentis ac praeceptis summa solebant consensione et demissione adhaerescere : velle, nolle nihil, nisi Dei numine explorato, nihil quidquam agendo spectare, nisi eius gloriae incrementa : cupiditates acriter coercere et frangere, corpus dure inclementerque habere, iucundis rebus neque iis noxiis virtutis gratia abstinere. Quare merito poterant, quod Paulus Apostolus de se, idem ipsi usurpare : *nostra autem conversatio in caelis*

(1) Hebr. V, 7.

est (2): eamdemque ob caussam tantum inerat in eorum obsecrationibus ad propitiandum exörandumque Deum efficacitatis. — Non omnes omnino posse adeo nec debere apparet; attamen ut consentanea sibi affiictatione vitam moresque suos unusquisque castiget, rationes id exigunt iustitiae divinae, cui satis de commissis faciendum restricte est; praestat autem voluntariis, dum vita sit, id fecisse poenis, unde virtutis praemium accedat. — Ad haec, quando in mystico Christi corpore, quae est Ecclesia, omnes tamquam membra coalescimus et vigemus, hoc, Paulo auctore, consequitur, ut, quemadmodum laetanti qua de re membro membra cetera collaetantur, ita pariter dolenti condoleant, hoc est christianis fratribus, vel animo aegris vel corpore, fratres ultro subveniant, et, quantum in ipsis est, curationem adhibeant: *Pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi et membra de membro* (1). In hoc autem caritatis specimine, ut quis Christi exemplo insistens, qui vitam ad omnium nostrum redimenda peccata immenso amore profudit, luenda sibi aliorum admissa suscipiat, in hoc demum illud continetur magnum vinculum perfectionis, quo fideles inter sese et cum caelestibus civibus arctissimeque cum Deo iunguntur. — Ad summam, sanctae poenitentiae actio tam varia atque industria est tamque late pertinet, ut eam quisque, pia modo et alacri voluntate, perfrequenti possit nec laboriosa facultate exercere.

Restat, Venerabiles Fratres, ut, quae vestra et singularis et eximia quum in sanctissimam Dei Matrem pietas, tum in christianum gregem caritas et sollertia commonitionis hortationisque Nostrae exitum, opera vestra, perquam optimum, Nobis polliceantur; gestitque animus fructus eos, quos pluries splendide declarata catholicorum in Mariam religio tulit, iam nunc laetissimos uberrimosque praecipere. Vobis igitur et vocantibus et excitantibus et praeeuntibus, fideles, hoc praesertim proximo mense, ad aras sollemnes augustae Reginae et benignissimae Matris conveniant, concurrant, atque mystica ei serta, acceptissimo Rosarii ritu, filiorum more contexant et praebeant: inte-

(1) Philip. III, 20.
(2) I Coriath. XII, 25-27.

gris per Nos atque ratis, quae antehac in hac re a Nobismetipsis praescripta edita et dona indulgentiae sacrae concessa (1). — Quam praeclarum et quanti erit, in urbibus in pagis, in villis, terra marique, quacumque patet catholicus orbis, multa piorum centena millia, sociatis laudibus foederatisque precibus, una mente et voce singulis horis Mariam consalutare, Mariam implorare, per Mariam sperare omnia ! Ab ipsa omnes fidentes contendant ut, exorato Filio, aberrantes nationes ad christiana redeant instituta et praecepta, in quibus salutis publicae firmamentum consistit, unde et expetitae pacis et verae beatitatis copia efïïorescit. Ab ipsa eo impensius contendant, quod bonis omnibus exoptatissimum esse debet, ut Ecclesia mater libertate potiatur tranquilleque fruatur sua ; quam non alio illa refert nisi ad summas hominum procurandas rationes, a qua singuli et civitates nulla usquam damna, plurima omni tempore et maxima beneficia senserunt.

Iam Vobis, Venerabiles Fratres, adprecante sacratissimi Rosarii Regina, largiatur Deus munera bonorum caelestium, unde ad partes pastoralis officii sancte obeundas auxilia et vires suppetant in dies ampliora : cuius rei esto auspicium et pignus Apostolica Benedictio, quam vobis ipsis et clero et populis cuiusque vestrum curae concreditis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII Septembris anno MDCCCXCI, Pontificatus Nostri Decimoquarto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA Sanctissimi D. N. Leonis XIII ad Archiepiscopos et Episcopos Imperii Germanici et Austro-Hungarici, de prava duellorum consuetudine.

Pastoralis officii conscientia et proximorum caritate permoti, datis ad Nos superiore anno litteris, referendum censuistis de singularium certaminum, quae *duella* vocant, in populo vestro frequentia. Genus istud dimicandi, velut ius moribus constitutum, non sine dolore significabatis etiam inter catholicos

(1) Cfr. Ep. Encycl. *Supremi Apostolatus,* die I sept. an MDCCCLXXXIII : Ep. Encycl. *Superiore anno,* die XXX aug. an. MDCCCLXXXIV ; Decret. S. R. C. *Inter plurimos,* die XX aug. an. MDCCCLXXXV : Ep. Encycl. *Quamquam pluries,* die XV aug. an. MDCCCLXXXIX.

versari: rogabatis pariter, ut deterrere homines ab istiusmodi errore vox quoque Nostra conaretur. — Est profecto error iste admoáum perniciosus, nec sane finibus circumscribitur civitatum vestrarum, sed excurrit multo latius, ita ut huius expers contagione mali vix ulla gens reperiatur. Quamobrem collaudamus studium vestrum, et quamvis cognitum, perspectumque sit quid hac in re philosophia christiana utique consentiente ratione naturali, praescribat, tamen, cum prava duellorum consuetudo christianorum praeceptorum oblivione maxime alatur, expediet atque utile erit id ipsum per Nos paucis revocari.

Scilicet utraque divina lex, tum ea quae naturalis rationis lumine, tum quae litteris divino afflatu perscriptio promulgata est, districte vetant ne quis extra causam publicam hominem intefimat aut vulneret, nisi salutis suae deferendae causa, necessitate coactus. At qui ad privatum certamen provocant, vel oblatum suscipiunt, hoc agunt, huc animum viresque intendunt, nulla necessitate adstricti, ut vitam eripiant aut saltem vulnus inferant adversario. Utraque porro divina lex interdicit ne quis temere vitam proficiat suam, gravi et manifesto obiiciens discrimini, quum id nulla officii aut caritatis magnanimae ratio suadeat; haec autem caeca temeritas, vitae contemptrix, plane inest in natura duelli. Quare obscurum nemini aut dubium esse potest, in eos, qui privatim praelium conserunt singulare, utrumque cadere et scelus alienae cladis, et vitae propriae discrimen voluntarium. Demum vix ulla pestis est, quae a civilis vitae disciplina magis abhorreat et iustum civitatis ordinem pervertat, quam permissa civibus licentia ut sui quisque adsertor iuris privata vi manuque, et honoris, quem violatum putet, ultor existat.

Ob eas res Ecclesia Dei, quae custos et vindex est cum veritatis, tum iustitiae et honestatis, quarum complexu publica pax et ordo continetur, nunquam non improbavit vehementer, et gravioribus quibus potuit poenis reos privati certaminis coercendos curavit. Constitutiones Alexandri III decessoris Nostri libris insertae canonici iuris privatas hasce concertationes damnant et execrantur. In omnes qui illas ineunt, aut quoquo modo participant, singulari poenarum severitate animadvertit Tridentina Synodus, quippe quae, praeter alia, etiam ignominiae notam iis inussit, eiectosque Ecclesiae gremio, honore indignos censuit, si in certamine occumberent, ecclesiasticae sepulturae.

Tridentinis sanctiones ampliavit explicavitque decessor Noster Benedictus XIV in Constitutione data die x Novembris anno MDCCLII, cuius initium *Detestabilem.* Novissimo autem tempore f. r. Pius IX in litteris apostolicis, quarum est initium *Apostolicae Sedis.,* per quas censurae latae sententiae limitantur, aperte declaravit, ecclesiasticas poenas committere non modo qui duello confligant, sed eos etiam quos patrinos vocant, itemque et testes et conscios. — Quarum legum sapientia eo luculentius emicat quo ineptiora ea esse liquet quae ad immanem duelli morem tuendum vel excusandum solent proferri. Nam quod in vulgus seritur, certamina id genus natura sua comparata esse ad maculas eluendas, quas civium honori alterius calumnia aut convicium induxerit, id est eiusmodi ut neminem possit nisi vecordem fallere. Quamvis enim a certamine victor decedat qui, iniuria accepta, illud indixit, omnium cordatorum hominum hoc erit iudicium, tali certaminis exitu viribus quidem ad luctandum, aut tractandis armis meliorem lacessentem probari, non ideo tamen honestate potiorem. Quod si idem ipse ceciderit, cui rursus non inconsulta, non plane absona haec honoris tuendi ratio videatur ? Equidem paucos esse remur, qui hoc obeant facinus, opinionis errore decepti. Omnino cupiditas ultionis est, quae viros superbos et acres ad poenam petendam impellit: qui si elatum animum moderari, Deoque obtemperare velint qui homines iubet diligere inter se amore fraterno, et quemquam violari vetat, qui ulciscendi libidinem in privatis hominibus gravissime damnat, ac poenarum repetendarum sibi unice reservat potestatem ab immani consuetudine duellorum facile discederent.

Neque illis qui oblatum certamen suscipiunt iusta suppetit excusatio metus, quod timeant se vulgo segnes haberi, si pugnam detrectent. Nam si officia hominum ex falsis vulgi opinionibus dimetienda essent, non ex aeterna recti iustique norma, nullum esset naturale ac verum inter honestas actiones et flagitiose facta discrimen. Ipsi sapientes ethnici et norunt et tradiderunt, fallacia vulgi iudicia spernenda esse a forti et constanti viro. Iustus potius et sanctus timor est, qui avertit hominem ab iniqua caede, eumque facit de propria et fratrum salute sollicitum. Immo qui inania vulgi aspernatur iudicia, qui contumeliarum verbera subire mavult, quam ulla in re officium deserere, hunc longe maiore atque excelsiore animo esse per-

spicitur, quam qui ad arma procurrit, lacessitus iniuria. Quin etiam, si recte diiudicari velit, ille est unus, in quo solida fortitudo eluceat, illa, inquam, fortitudo, quae virtus vere nominatur, et cui gloria comes est non fucata, non fallax. Virtus enim in bono consistit rationi consentaneo, et nisi quae in iudicio nitatur approbantis Dei, stulta omnis est gloria.

Denique tam perspicua duelli turpitudo est, ut illud nostrae etiam aetatis legumlatores, tametsi multorum suffragio patrocinioque fultum, auctoritate publica poenisque propositis coercendum duxerint. Illud hac in re praeposterum maximeque perniciosum, quod scriptae leges re factisque fere eludantur : idque non raro scientibus et silentibus iis, quorum est puniri sontes, et, ut legibus pareatur, providere. Ita fit ut passim ad singularia certamina descendere, spreta maiestate legum, impune liceat.

Inepta etiam atque indigna sapienti viro eorum est opinio, qui utut togatos cives ab hoc genere certaminum arcendos putent, ea tamen permittenda censent militibus, quod tali exercitatione acui dicant militarem virtutem. Primum quidem honesta et turpia natura differunt, nec in contraria mutari ob diversum personarum statum ullo pacto possunt. Omnino homines, in quacumque conditione vitae, divina ac naturali lege omnes pari modo tenentur. Praeterea ratio huiusce indulgentiae erga milites ab utilitate publica petenda foret, quae numquam tanta esse potest, ut eius obtentu naturalis divinique iuris vox conticescat. Quid, quod ipsa utilitatis ratio manifesto deficit? Nam militaris virtutis incitamenta eo spectant ut civitas sit adversus hostes instructior. Idne vero effici poterit ope illius consuetudinis, quae suapte natura eo spectat ut suborto inter milites dissidio, cuius causae haud rarae sunt> e singulis partibus defensorum patriae necetur alteruter ?

Postremo recens aetas, quae se iactat humaniora cultu morumque elegantia longe superioribus saeculis antecellere, parvi pendere vetustiora instituta consuevit ac nimium saepe respuere quidquid cum colore discrepet recentioris urbanitatis. Quid est igitur quod has tantummodo maioris aevi ac peregrinae barbariae ignobiles reliquias, duelli morem intelligimus, in tanto humanitatis studio non repudiat?

Vestrum erit, Venerabiles Fratres, haec, quae breviter attigimus, inculcare diligenter populorum vestrorum animis, ne falsas hac de re opiniones temere excipiant, neu ferri se leviorum

hominum iudicio patiantur. Date operam nominatim ut iuvenes mature assuescant id de duello sentire et iudicare quod, consentiente naturali philosophia, iudicat ac sentit Ecclesia; ab eoque iudicio normam agendi constanter sumant. Immo quo modo alicubi receptum consuetudine est ut catholici praesertim florentis aetatis sibi sponte perpetuoque interdicant nomen dare societatibus non honestis, pari modo opportunum ducimus ac valde salutare, eosdem velut foedus inter se facere, data fide nullo se tempore nullaque de caussa duello dimicaturos.

Supplices a Deo petimus ut communia conata nostra virtute caelesti corroboret, quodque pro salute publica, pro integritate morum vitaeque christianae volumus, id benigne largiatur- Divinorum vero munerum auspicem itemque benevolentiae Nostrae testem vobis, Venerabiles Fratres, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII Septembris anno MDCCCXCI, Pontificatus Nostri Decimoquarto.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

NOVARIEN.

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE.

Die 27 iunii 1891.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Novariensis Episcopus die 24 Aprilis huius anni, transmissis litteris ad Beatissimum Patrem, quo sospite laetamur, haec exposuit :

« Iacob C., Dioecesis novariensis, duo et viginti annos natus, studio philosophiae in seminario urbano vacans summopere cupit ad ministerium sacerdotale promoveri. Sed obstat impedimentum irregularitatis ob defectum in conformatione dexterae manus. Defectus in hoc consistit, quod di-

gito pollici una phalanx, indici duae phalanges desunt. Orator tamen huiusmodi debili manu putat ^convenienter peragere posse omnes caeremonias ss. Sacrificii Missae absque periculo irreverentiae et scandali; et reapse, pluribus peractis experimentis, suum, hoc sensu, iudicium tulit magister caeremoniarum peritissimus. Orator optimis moribus praeditus est, et ex eius promotione utilitas certo obveniet huic novariensi Dioecesi, in qua magna adest sacerdotum penuria. Quae cum ita sint, oratoris preces enixe commendamus easque una cum attestationibus medici, caeremoniarum magistri, nec non seminarii rectoris, subiicimus sapientissimo iudicio S. V. »

Ex allegatis vero testimoniis deprehenditur oratorem citra culpam in irregularitatem incidisse, pietate et indole commendabilem existere, ac sanctum sacrificium absque irreverentia et populi admiratione celebrare valere. Observat tamen caeremoniarum magister : quod utendo eiusdem dexterae manus digitis pollice et medio maiori cum difficultate sacram synaxim administraret, atque insuper truncus digitus index admirationem faceret.

Disceptatio synoptica

Licet benigne S. C. C. cum agitur de dispensationibus ab irregularitate concedendis, iuris rigorem remittere consuescat, diffitendum non est hoc difficilius evenire si clerico promovendo gratia tribuenda sit. Ita, ut plures omittantur, in *Burgen, diei 24 Ianuarii 1864* denegata fuit dispensatio cuidam Ioachim de Zayas, qui ob adustionem tendines pollicis et indicis dexterae manus contractos habebat, et qui dimidia tantum parte phalangis utriusque digiti carebat, quamvis magistri caeremoniarum favorabile votum et Cardinalis Archiepiscopi commendatio precibus accederet.

Verumtamen in themate optimi mores Iacobi, penuria sacerdotum et consequens Dioecesis novariensis utilitas viam ad indulgentiam sternere possent. Non desunt enim exempla in quibus S. C. C. haec prae oculis habens , ad favo-

rem prona evasit, ut in *Matheranen, diei 22 Septembris 1860** in *Maceraten. diei 17 Septembrie 1853** in *Apuana 17 Decembris 1859* et praesertim in *Cephaluden. 16 Iunii 1866** in qua licet pollex sinistrae manus omnino deficeret pro gratia dispensationis et habilitationis rescriptum fuit.

Quibus expositis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra Cong. Concilii, re cognita sub die 27 Iunii 1891, censuit respondere: *Pro gratia* et ad mentem mens est ut Orator abstineat a S. Communione distribuenda* nisi adsit necessitas.*

TAURINEN.

MATRIMONII

Die 25 Iulii i 891

Sess. 24 cap. 1 De refor. matrim.

COMPENDIUM FACTI. Ludovicus Appel e Bavaria oriundus supplices Sum. Pont. preces obtulit, quibus eum deprecabatur, ut per S. Concilii Cong. inquirere dignaretur in matrimonium ab ipso initum Taurini die 31 Octobris 1860 cum Latina Pettenati in. Ecclesia parochiali S. Francisci de Paola, quod irritum et nullum arbitrabatur, triplici potissimum ex capite. Re ad S. Cong. Concilii delata, literae ad Emum Archiepiscopum taurinensem datae sunt eum in finem, ut processum conficeret super asserta matrimonii nullitate ad normam Constitutionis Ben. XIV etc. cum facultate, quatenus opus fuerit, subdelegandi. Dicto audiens Emus Archiepiscopus, iudicem constituit, vinculi Defensorem atque cancellarium, atque actorem monuit, ut se sisteret in Curia Taurinensi ad respondendum interrogationibus a Defensore vinculi exaratis. Cum autem Orator qui Romae degit se imparem declarasset impensis huius itineris sustinendis, Archiepiscopus ad hoc opus subdelegava Rmum D. Eugenium

Falconi, iudicem civilem in Tribunali Vicariatus Urbis, qui delegationem acceptans, Oratorem accersivit atque examini subiecit iuxta interrogatorium a matrimonii vindice concinnatum, atque responsiones curiae Taurinensi transmisit. Interim quum post diligentem inquisitionem detegi nequiverit ubi domicilium haberet Latina Pettenati, nec testes adessent examini subiiciendi, acta omnia S. Cong. detulit.

Oratoris responsiones summatim ad hoc reducuntur; quod cum Hostiliae prope Mantuam degeret, amore captus est erga puellam Latinam Pettenati, quam etiam utero gravem effecit. Cum autem Taurini se conferre deberet ad invitationem Ministri rei bellicae illius regni, ut illi militiae nomen daret, eam secum adduxit, inscio patre, atque, Pado traiecto, eam credidit eiusdem fratri qui Ferrariae degebat, quae paulo post Taurinum eidem se coniunxit. Die vero 22 Mensis Iunii parochus S. Francisci a Paola ad eorum preces facultatem expostulavit ab Archiepiscopo eorum matrimonio assistendi, quod inire cupiebant ad prolem mox nascituram legitimandam; quae facultas denegata fuit.

Interim domicilium fixerunt in Borgo novo sub paroecia S. Mariae Angelorum. Cum autem bellum immineret inter Sardiniae Regem atque Austriae Imperatorem, minister Cavour, qui rebus externis praeerat, opportunum duxit aliquem occultum exploratorem mittere, qui varias Austriae provincias perlustraret atque de numero, vi, motibus hostilis exercitus referret, Ad quod opus, ipsum Happel elegit, utpote qui et linguam germanicam callebat, et conditionum exercitus Austriaci peritus erat, quia sub eodem vexillo septem annis militaverat. Qui, diversis Austriae provinciis perlustrans, Taurinum rediit sub finem mensis Octobris. Sed quia denuo Germaniam repetere debebat ad eundem explorationis finem, hinc aliquam causam praetexere necesse fuit, ad suspicionem omnem removendam; atque statutum fuit, ut Ludovicus Appel uxorem duceret concubinam suam Latinam Pettenati, ut sub ementito colore sponsam conciliandi cum suis parentibus, qui Flusingia, degebant prope Munichium in

Bavaria, posset impune Germaniam iterato perlustrare; atque, ut omnis difficultas de medio tolleretur, ipsemet Comes Cavour Vicarium generalem allocutus est, atque ab ipso quidquid voluit obtinuit. Quare die insequenti summo mane in Ecclesia S. Francisci de Paola matrimonium celebratum fuit, praesente parocho Centa, qui nullam super eos iurisdictionem habebat, et duobus testibus fortuito obvenientibus.

Neque alibi omittit insinuare, comitem Cavour laute remunerasse hanc promptam obsequentiam tum Vicarii generalis, tum parochi erga sua placita. Primum enim ad Archiepiscopatum vercellensem nominavit, alterum pingui commenda Ordinis mauritiani ditavit ! Interrogatus quare tandiu dis tulisset introductionem huius causae, respondit : sibi expectandum fuisse obitum parochi Centa, ne eum exponeret periculo gravis damni! Interrogatus utrum suae sponsae domicilium cognosceret, respondit prorsus nescire utrum in vivis degat, vel mortua sit, quod affirmavit etiam de unica filia superstite.

Processus ut patet, vere singularis est, quoniam unice innititur assertionibus actoris, quin altera pars audita fuerit vel ullus testis.

Disceptatio Synoptica.

VOTUM THEOLOGI. Triplici ex capite Ludovicus Appel impetit validitatem sui matrimonii; ex crimine raptus, ex defectu domicilii et ex defectu consensus. Ex crimine raptus quatenus, inscio et invito patre puellae, eam abduxit atque in ditione pontificia transtulit, quod iuxta concordatum Austro Pontificium raptum constituit.

At Hostiliae parochus testatus est, tempore quo hic raptus locum habuit, matrem puellae iam supremum diem explevisse, patrem vero a quadriennio familiam deseruisse. Erat igitur puella sui iuris et plena fruebatur libertate; qua libertate abusam fuisse testis est ipse vir dum fatetur, Latinam antequam se ipsi traderet cum tribus aliis iam illicitas ha-

buisse relationes. Nulli igitur illata fuit iniuria et libentissime ei se coniunxit. Item debet puella rapta semper fuisse in potestate raptoris, nec unquam in loco tuto posita. E contra Pado traiecto eam tradidit in manibus fratris eiusdem puellae, qui una cum duobus patruis Ferrariae degebat, atque per integrum mensem apud eosdem commorata est: ipse autem raptor iter perrexit versus Taurinum: fuit igitur posita in loco tuto. Item postquam Taurini se iterum cum eo coniunxit, tamdiu sola remansit, quamdiu Happel, longum iter aggressus, procul ab ea moratus est, atque ad eius reditum liberrime in matrimonium consensit. Exulant igitur praecipuae conditiones requisitae ad raptum veri nominis constituendum, eo sensu, quo Sacra Tridentina Synodus irritum et nullum declaravit matrimonium initum inter raptorem et raptam.

Negat Ludovicus se unquam domicilium habuisse in paroecia S. Francisci a Paola, sed quamdiu Taurini degit semper habitasse una cum Latina in via Borgo Novo, quae inter limites paroeciae S. Mariae Angelorum continetur. At dum credis, oratorem hanc assertionem, a qua exitus quaestionis dependet, omnigenis argumentis corroboraturum esse, sive ex commilitonum testimonio desumptis, vel ex testificatione locatoris domus, quam inhabitabant, vel denique a fide scripto tradita ipsius parochi S. Mariae Angelorum, qua declararet, Ludovicum Appel atque Latinam Pettenati ab initio Mensis Iulii usque ad exitum Octobris, intra limites suae paroeciae habitasse, cernis e contra omnium probationum vices supplere duas epistolas, quarum una Latinae data sub die 18 Iunii, alteram vero ipsi oratori sub die 8 Augusti: utraque vero hanc indictionem habet « Torino Borgo Nuovo n. 7. >

Ex hoc quid argui potest? nempe Latinam Pettenati usque ad diem 18 Iunii ab eius adventu in urbem domicilium habuisse in Borgo Nuovo. Verum ab hac die usque ad 31 Octobris, quo matrimonium initum fuit, tempus quadrimestre intercedit: quomodo probas hoc temporis intervallo

Latinam domicilium non transtulisse in paroeciam S. Francisci a Paola ? et transtulit reapse.

Quum enim parochus Centa die 22 eiusdem mensis Iunii ad eorum preces facultatem petiisset ab Archiepiscopo Franzoni eos in matrimonium coniungendi, quae licentia denegata fuit, haec scripsit: « domiciliati in questa parrocchia sebbene di passaggio; > quae extrema verba indicant, eos se exhibuisse eidem parocho tanquam viatores, qui inito vix matrimonio iter susceptum prosequturi essent ; sed reapse tales non erant. Vir enim iam a die 12 eiusdem mensis militiae subalpinae nomen dederat.

De Latina vero nullum vel leve indicium apparet quod a civitate ne ad instans quidem recesserit. Unde censeo domicilium, quod tunc fixit in paroecia S. Francisci, nunquam mutasse ; atque ideo quasi domicilium in ea acquisivisse. Sane cum ut supra dictum est Ludovicus Appel iterum Germaniam petere deberet in officio occulti exploratoris, atque ad omnem suspicionem removendam opportunum duceretur, ut prius matrimonium iniret cum Latina Pettenati. Ipsemet Cavour, si actorem audis, institit apud Vicarium generalem ut dispensare dignaretur a trinis proclamationibus propter temporis angustias.

At Vicarius generalis expoposcit, ut parochus Centa fidem faceret scriptam, ambos contrahentes vel saltem unum ipsorum domicilium habere in sua paroecia. Quod ille praestitit indicando etiam viam et domum in qua domicilium habebant. Qua habita testificatione, dispensationem concessit. Ut clare patet, non de quocumque domicilio [agebatur, sed de eo domicilio vel quasi domicilio a s. Synodo praescripto, ut parochus valide assistere possit contrahentium matrimonio, ut eorum parochus proprius.

Quod confirmatur etiam ex attestatione initi matrimonii qua declaratur die 31 Octobris 1860 celebratum fuisse matrimonium inter Latinam Pettenati « domiciliata in questa parrocchia, > et Ludovicum Appel « domiciliato a Torino >.

Quare ait generice « domiciliato a Torino? » quia quasi

domicilium non acquisierat, neque in sua, neque in aliena paroecia, licet procul dubio in aliqua paroecia domicilium seu habitationem haberet. Ex quibus mihi concludere licet, Latinam Pettenati quasi domicilium habuisse in paroecia S. Francisci de Paola, ac proinde licite et valide eorum matrimonio assistere potuisse parochum Centa.

Sed quodnam tempus requiritur, ut aliquis advena possit in loco non suo matrimonium contrahere? Respondet Gury cum pluribus aliis sufficere habitationem unius mensis. Atque confirmatur declaratione Ben. XIV in Epistola ad Episc. Groanum quae ita se habet. « Hac in re non alio pacto responderi potest, nisi quod antequam matrimonium contrahatur, spatio saltem unius mensis ille qui contrahit, habitaverit in loco ubi matrimonium contrahitur. » Quae regula non ita est intelligenda, ut mora unius mensis constituat quasi domicilium. Hoc enim non acquiritur, nisi adsit animus ibi degendi per maiorem anni partem : sed habendam asse ut adminiculum, cuius ope praesumi queat animus figendi in eo loco quasi domicilium.

Quae praesumptio vim habet quousque clare et aperte non constet, advenam declarasse se nolle in eo loco, quo degit, quasi domicilium figere, vel de facto domicilium alibi transtulisse, vel quod eius conditio socialis impedimento sit ne ibi quasi domicilium ligat. At nihil horum locum habuit, in casu nostro.

Nullum enim vestigium adest, quod mulier declaraverit se nolle quasi domicilium acquirere in paroecia s. Francisci a Paola; quin potius contrarium eruitur; secus enim parochus Centa nec proprius eius parochus haberi potuisset, nec ad ipsum pertinuisset eius matrimonio assistere. Non 2 etenim licet Flessingam post nuptias petiisset, non tamen animus ipsi esse poterat ibi domicilium figendi. Sciebat enim eius mansionem apud viri parentes brevi tempore esse duraturam, quousque nempe eius vir munus sibi demandatum exequeretur: quo expleto, ad pristinum domicilium esse redeundum.

Eo igitur temporis intervallo habitualiter retinuit domicilium, quod prius habebat in paroecia s. Francisci.

Neque ex eo quod mulier sequi debeat domicilium viri ulla exorta est necessitas domicilium transferendi. Etenim antequam Appel ad superdictam explorationem mitteretur, ex albo militum deletus fuit atque ministerio rerum externarum addictus. Quod officium libertatem domicilii non tollit. Demum cum ad preces eiusdem Cavour iterum in militia receptus fuit, non ei adsignata fuit aliqua determinata cohors sed generice: « nel 3. corpo d'armata col grado di capitano e col benefìzio di anzianità > ita ut biennio post, dum in eodem gradu consisteret, potuerit apud municipium declarare se domicilium civile, Taurini figere. Liberum igitur fuit Latinae pristinum retinere domicilium. Quum igitur certo constet, Latinam Pettenati domicilium habuisse in paroecia S. Francisci ante matrimonium; et post initas nuptias minime constet, eam domicilium alibi fixisse, nec ulla fuerit necessitas eum transferendi, concludo, Latinam vere et realiter semi-domicilium acquisivisse in dicta paroecia.

Quod nisi admittatur, tum ambo inter vagos recensendi essent, qui nempe primum domicilium deseruerunt et novum nondum assecuti sunt. De viro id aperte constat. Etenim, statim ac Taurini pervenit, militiae aggregatus fuit, sed, ut aiunt, in « aspettativa; » qua in conditione positus non poterat certe animum apponere ad domicilium vel quasi domicilium figendum; sciebat enim quolibet instanti vocari posse « in esercizio attivo > ***tit*** tunc se conferre debere in locum a superioribus sibi assignatum. Reapse mense Augusto Mediolanum se conferre debuit apud tertiam cohortem, quae ibi morabatur; et, vix elapsis quindecim diebus, inde revocatus fuit, atque ad exteras nationes missus in officio exploratoris, a quo itinere vix reversus matrimonium iniit. Carebat igitur domicilio vel quasi domicilio quum nuptias celebravit. Idem de Latina dicendum esset si denegetur ei quasi-domicilium, apud parochiam S. Francisci. At quis ignorat posse

quemcumque parochum de licentia Episcopi vagorum matrimonio assistere?

Ergo sub hoc respectu eos consideravit parochus Centa. At instat Ludovicus; hanc licentiam parochum nec petiisse, nec obtinuisse certum est: nam rescriptum Vicarii generalis non continebat nisi dispensationem a tribus proclamationibus. Sed esto: supponamus parochum Centa absque ulla superiorum licentia matrimonio adstitisse, ut corniti Cavour morem gereret, prout asserit Happel, quid inde? peccasset quidem graviter, sed matrimonium fuisset validum ; S. Alph. de Matr. 1089. Absit quod insimulare, velim parochum tam gravis criminis, sed solummodo argumento ab hominem concludere, actorem quocumque se vertat, non posse effugere sui matrimonii validitatem.

Relate vero ad multiplices articulos quos affert ex codice Bavarico, qui matrimonium respiciunt, respondeo generice principes christianos non posse constituere impedimenta nisi respectu ad effectus civiles; sola enim Ecclesia potestatem habet constituendi impedimenta sive impedientia sive dirimentia matrimonium.

Relate ad domicilium adverte, heic sermonem esse non de domicilio originis vel civili, sed de parochiali quod constituitur per actualem habitationem in aliqua determinata parochia.

Denique matrimonii sui nullitatem ostendere nititur ex defectu consensus: qua de re affirmat nunquam hac mente fuisse, ut Latinam in uxorem duceret, sed solummodo mens erat eam ut concubinam habere. Quare si consensum praebuit, id fecit unice pressus auctoritate comitis Cavour. At dic, sodes, quando mense Iunio instabas apud parochum Centa, ut facultatem peteret ab Archiepiscopo te in matrimonium coniungendi cum tua Latina, qua auctoritate pressus eras? nulla omnino ; sed unice ducebaris flagranti desiderio eam uxorem habendi, atque prolis mox nasciturae legitimandae. In quo quidem laude dignus es; sed haec agendi ratio penitus destruit assertionem tuam, nunquam animum habuisse

eam uxorem ducendi atque invitum consensum praebuisse. Imo hoc desiderium in te vividum et flagrans fuisse deduco ex periculo gravis damni, cui obviam ivisses, si res bene cessisset. Iam enim militiae nomen dederas, atque noveras vetitum esse militibus in quocumque gradu constitutis uxorem ducere absque explicita licentia Ministri rei bellicae. Quomodo igitur invitus iniisti coniugium illud quod prius tantopere inhiabas ! Sed, inquit, consensum simulavi, quia sciebam matrimonium esse nullum; etenim matrimonium celebratum fuit die 31 Octobris summo mane, atque rescriptum dispensationis eodem die datum fuit; ergo parochus dum matrimonio assisteret hoc rescriptum nondum receperat; ergo matrimonium fuit nullum! Quasi nempe non potuerit oraliter parocho communicare dispensationem, deinde in scripto eam tradere, ut Archivio parochiali reponeretur, ut fieri assolet. At, prosequitur, matrimonium fuit nullum, quia testes fuerunt electi fortuito ex primis, qui in Ecclesia ingressi sunt, quibus contrahentes penitus ignoti erant. Affer canonem Conc. Trid. quo praecipitur sub poena nullitatis, contrahentes et testes debere invicem cognitos esse. Sed pudet haec referre.

Concludam igitur 1. non constare de nullitate matrimonii in casu ex capite raptus 2. neque constare, saltem certe, ex defectu domicilii, 3. neque ex defectu consensus.

VOTUM CANONISTAE. Praedictum matrimonium post annos triginta orator impugnare nititur triplici ex capite, ait consultor : nempe ex deficientia consensus, domicilii, et raptus, plurima adducens documenta ex codice austriaco deprompta, quae ad rem haud quaquam faciunt. Quibus praenotatis, ex factis matrimonium in casu praecedentibus, concomitantibus, et subsequentibus, de eiusdem validitate inquisivit consultor. Et primo quidem ex actis processualibus constat oratorem amicitiam iniisse cum Latina Pettenati in hyemé anni 1859. Die 28 Maii cum ipsa in Italiam venit, quam etiam Ferrariam duxit, ex qua civitate, post paucos dies, Latina discedens, ad suum amasium Appel Taurini morantem perve-

nit circa medietatem mensis Iunii; qui eam in domum excepit, et cum ipsa habitavit.

Orator statim de matrimonio tractatum habet cum paparocho S. Francisci de Paula, theologo Centa; qui acceptis ab eodem" oratore documentis, die 22 Iunii 1860 petiit a Curia episcopali facultatem ineundi exoptatum matrimonium.

Ex actibus ergo qui matrimonium praecesserunt ostenditur libera oratoris voluntas matrimonium contrahendi cum Latina Pettenati.

Aliud non minus efficax subsequitur argumentum, etsi primo intuitu tale non videatur, quinimo orator ipso abuti conetur, ut demonstret suum matrimonium sub impulsu politico initum fuisse, et Curiam taurinensem non libere egisse in concedendis dispensationibus a proclamationibus, et licentiam matrimonium celebrandi.

Nam orator, nemine cogente, sed plene sponte sua, ad comitem de Cavour recurrisse; et id ut facilius quod exoptabat obtineret, seu clarius, ut Curia taurinensis, ipso ministro mediante, certior facta de qualitatibus coniugandorum ipsis matrimonium contrahendi licentiam tribueret, et dispensationem a proclamationibus impertiret. Ex dictis ergo ostenditur oratorem libere parochum Centa adiisse ipsique suam voluntatem matrimonium contrahendi demonstrasse, relativa documenta eidem tradidisse, supplicem libellum Curiae, per parochum libere porrexisse, ad subalpinum ministrum liberrime recurrisse, ut facilius, quod erat in votis obtineret, ac denique quod, praedicto ministro mediante, obtinuerat, liberrime acceptasset.

De concomitantibus idem matrimonium nunc agendum est, ait consultor. Et illico magni ponderis documentum nobis exhibetur, actus nempe matrimonialis, rite exaratus a Parocho Centa sub die 31 octobris 1891. Authenticum parochi documentum quod in actis adest vere praetiosum, et ineluctabile esse neminem latet. Ex ipso enim plures, ac efficaces deducuntur illationes, quae matrimonii validitatem

invictissime demonstrant. 1. Scilicet coniugum domicilium in civitate Taurini, 2. parochum Centa et ecclesiam S. Francisci de Paula ad coniugandos pertinere, seu esse proprium parochum, propriamque paroeciam, 3. matrimonium in casu celebratum fuisse cum licentia Curiae taurinensis ac dispensatione eiusdem á proclamationibus, 4. dictum matrimonium initum fuisse cum interventu duorum testium. Quae omnia canonicis sanctionibus apprime respondent, et praecipue ad ea quae Synodus Tridentina statuit *Sess. 24 c. 1, Be reformat, matrimonii* his verbis: « Qui aliter quam praesente parocho, vel alio sacerdote, de illius parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos s. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos, et nullos esse declarat. »

Restat nunc ut ex consequentibus aliqua breviter promamus. Et illico ex processu eruitur quod contra matrimonium rite celebratum anno 1860 insurgit orator post annos triginta ab ipsius celebratione. In quo tam longo temporis spatio, non solum diuturna coniugum cohabitatio, sed et pacifica conversatio inter ipsos fuisse videtur. Numerosa quoque prolis procreatio id ipsum confirmat. Etenim ex eorum contubernio quinque nati filii sunt, quorum prima adhuc vivit, et Fortunato coniugata est.

His omnibus merito sequentia addenda videntur nempe. 1. Ex tot documentis ab oratore exhibitis ad impugnandum suum matrimonium ne unum quidem reperitur, ex quo appareat inter coniuges fuisse dissensiones, iurgia, odia, ceteraque alia, quae suspicionem etiam remotam ingerere possent ipsos non esse veros coniuges. 2. Si orator a celebratione sui matrimonii, conscius erat de nullitate eiusdem ob defectum consensus, quare per annos triginta de illa penitus siluit? Quare per tribunalia saltem civilia, maxime in hac temporum licentia, illud infirmare non curavit ? 3. Denique inverosimile videtur oratorem nullam habere, vel habere posse notitiam, ut asserit, de sua coniuge Latina, ut

ipsa quoque, ut iuris est, rite audiatur ut veritas eo magis splendeat, et iustitia unicuique suum incunctanter tribuat.

Ut veritas eo magis elucescat dicimus, raptus prout est impedimentum dirimens matrimonii definitur < violenta abductio mulieris, matrimonii ineundi causa.» Dicitur violenta; etenim si desit vis, vel si adsit consensus mulieris cessat crimen raptus. Dicitur abductio, idest traductio de loco in locum. Quapropter in praesenti casu non solum defuit quaelibet violenta, seu physica mulieris abductio, sed etiam moralis, seu dolus, deceptio, metus gravis.

Constat ex actis processus Latinam Pettenati non fuisse bonae famae, sed liberam vitam egisse, et non solum sui iuris, et a patria potestate emancipatam, utpote viginti quinque annorum, sed a patre suo separatam vixisse, quinimo ab eodem derelictam. Breviter, deducitur quod ipsa suis illecebris oratorem allexit, cum ipso malam vitam duxit, prolem ab eo suscepit, in Italiam, ac deinde Taurinum libentissime venit, et matrimonium contraxit. Quae omnia cuiuscumque nominis raptum absolute excludunt.

Perpendendum est etiam ultimum argumentum, quo orator nullitatem sui matrimonii demonstrare praesumit, scilicet deficientiam domicilii, vel quasi domicilii. Huic assertioni patenter opponitur actus matrimonialis, in quo coniuges dicuntur « *Domiciliati in Torino ;* > contradicit pariter factum, ex quo orator Taurinum uti centrum suarum escursionum constituerat, relicto re et facto, quocumque alio domicilio, quodque factum quinque mensium spatio continuatum, orator Taurinum venit die 31 Maii 1860, et matrimonium initum fuit die 31 Octobris eiusdem anni, iure saltem quasi domicilium demonstraret, cum ad hoc ex Benedicto XIV spatium etiam unius mensis sufficeret. < Necessarium fore censemus, ait nonnihil adiungere, ut in propatulo sit quidnam requiratur ad quasi domicilium adipiscendum. Verum hac in re non alio facto responderi potest, nisi quod antequam matrimonium contrahatur, spatio saltem unius mensis ille qui contrahit habitaverit in loco ubi matrimonium cele-

bratur apud Fagnanum *C. Significasti de parochis.* > Cum autem verum, vel quasi domicilium non solum facto, sed etiam animo contrahi debeat, et oratoris animus hac in re nos lateat, hinc dicimus, dato, et non concesso quod orator non habuerit verum, vel quasi domicilium Taurini, quid inde sequeretur? procul dubio sequeretur quod ipse uti vagus seu vagabundus considerandus sit. « Vagus siquidem, seu vagabundus ille dicitur, qui nullibi certam stabilem sedem, aut verum, vel quasi domicilium habitationis habet; sed hinc inde vagantur, vel priori vero, aut quasi domicilio relicto, aliud quaerunt; sive dein iam determinaverit quis ubinam sedem, seu domicilium sit collocaturus, sive non; quivis enim adhuc revera est, et dicitur vagus, donec re, et facto aliunde domicilium obtineat: vid. Reiffenst. *L 4 t. 3 par. 2 n. 86.* Ratio est quia cum talis prius domicilium ut supponitur, vere iam deseruerit, aliud autem actu necdum habeat, pro illo tempore revera sine domicilio, consequenter vagus est. Nec refert quod in mente iam résolvent ubinam domicilium figere vellet, quia domicilium non sola animi destinatione, sed re, et facto constituitur. *L. Domicilium ff. ad municipalem.* - Hinc infertur eum qui a domicilio originis vel habitationis vere discedit animo alibi domicilium constituendi, primo die quo discedit iam esse verum vagum, quantumvis certo sciatur ubi natus sit, item ubi eius parentes etiamnum existant. > Sánchez *De matrim. I. 3* disput. 6 n. 8.* Reiffenstuel. *loc. cit.* Relatam hucusque doctrinam ad unguem verificari in praesenti casu, acta omnia processualia perlegenti evidentissime apparet. Ideoque brevitatis gratia, videamus quis sit vagorum parochus. Qua in re prompta, et praecisa est communis Canonistarum sententia sequentibus expressa verbis: « Parochus proprius vagorum in ordine ad matrimonium est quivis parochus illius loci ubi vagi actu versantur. » Reiffenstuel. *I. 3 Decret, tit. 3 n. 88,* ubi prae ceteris citantur Sánchez, Guttierez, Pontius, Pirrhing. Bosco, cum communi aliorum. « Ratio est quia et hi debent habere aliquem pastorem proprium; sed alius magis congrue astrui

nequit, quam parochus in quo versantur, utpote a quo etiam alia sacramenta percipiunt; ergo. Accedunt plures declarationes Cardinalium de quibus Pontius *loco citato.* » Notanter autem dictum est *quivis* parochus idest quilibet parochus loci in quo versantur; idcirco vagi ad quemlibet parochum cuiusque paroeciae accedere possunt, ut suis matrimoniis assistant, de modo iuxta dispositionem Conc. Trid. *Sess. 24 De reform, matrim, c. 7* pro *liceitate* « prius de illis diligenter inquirant, et inquisitione faeta, rem ad Ordinarium deferant, ab eoque licentiam obtineant. Dixi pro *liceitate,* quia communis canonistarum sententia docet valere matrimonium vagorum, etsi parochus sine inquisitione facta, et licentia Ordinarii eidem assistat. Ratio est tum quia adsunt essentialia, et necessaria requisita ad matrimonium; tum quia Concilium legi suae non apposuit clausulam irritantem; coniugia autem contra simplicem legem non habentia clausulam irritantem subsistunt. » Reiffenstuel *L 4 tit. 3 n. 92.*

Merito tamen concors Theologorum, et Canonistarum sententia pariter docet, parochum, qui sine inquisitione facta et licentia ab ordinario obtenta, vagorum matrimonio assistit moraliter peccare; quia in re gravissima agit contra praeceptum ecclesiasticum. Evidens est ergo ex nuper dictis et ex praemissis validitas matrimonii in casu sive coniuges uti verum, vel quasi domicilium habentes, sive ut vagi considerentur. Etenim omnia a Tridentino requisita in eo reperiuntur, nempe parochus, testes et licentia Ordinarii. Ideoque ex omnibus hucusque dictis sub quocumque respectu consideretur impugnari nullimode potest.

Quibus omnibus perpensis, ad conclusionem deveniendo, dicendum esse videtur, quod asserta matrimonii nullitas in casu non constat, sed pro eiusdem validitate standum esse.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Matrimonium, quod, volvente anno 1860, die mensis Octobris 31, Ludo vicus Appel in aetate annorum 25 constitutus, cum Latina Pettenati, 24 annos nata, contraxit adeo firmum est, ut, post ea quae docte ac erudite disputant lectissimi consultores

theologus et canonista, piaculum existimem animadversionibus Brnos Patres morari.

Hisce aliisque animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An constet de matrimonii nullitate in casu.

RESOLUTIO. Sacra 0. Concilii, re discussa sub die 25 Iulii 1891 censuit respondere; *Negative.*

Ex QUIBUS COLLIGES I, Quasi domicilium relate ad parochum proprium, pro matrimonio ineundo, acquiri ab illo qui spatio unius mensis habitaverit in loco ubi matrimonium celebratur; si tamen animum habeat permanendi per maiorem anni partem.

IL Vagum dici illum, qui vere prius domicilium deseruit et, actu, aliud non habet; quamvis mente destinaverit ubinam domicilium figere debeat: quia domicilium non animo tantum, sed re et facto constituitur.

III. Vagorum proprium parochum esse quemlibet parochum illius loci ubi actu vagus versatur.

IV. Parochum, antequam deveniat ad coniungendos vagos, inquisitionem facere debere, rem ad Ordinarium deferre et licentiam ab? eo obtinere.

V. Valida tamen esse matrimonia vagorum, in quibus parochus non praemiserit inquisitionem , neque licentiam ab Ordinario obtinuerit: quia adsunt essentialia ad matrimonium et quia Tridentinum non apposuit legi suae clausulam irritantem.

VI. Raptum esse violentam abductionem mulieris, matrimonii ineundi causa; ideoque nisi mulier per vim, absque eius consensus, traducatur de loco in locum raptus non constituit impedimentum dirimens.

VII. In themate ergo neque raptum adfuisse constat, quo invalidum fieret matrimonium; huius sacramenti celebrationi adfuisse parochum proprium, quomodolibet censeantur contrahentes vel uti vagi, vel uti quasi domicilium habentes.

UTINEN.

DECIMARUM ET UNIONIS

Die 25 Iulii 1891.

Sess. 25 cap. 12 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Vici et pagi agrestes, quibus deinceps annorum lapsu utinensis civitas coalevit, olim ecclesiae s. Mariae de Castro, uti unicae illius regionis paroeciae subiiciebantur. Sed cum, post deletam Aquileiam, frequens in subiecta planitie augeretur populus, et vetus Ecclesia sita esset in loco non tuto, opportunum visum fuit curam animarum ad novam s. Odorici ecclesiam transferre. Hoc, habita venia Apostolica, praestiterunt aquileienses Patriarchae, qui de templi incremento, prope quod sedem fixerañt, solliciti, multimodis illius decori et insimul plebis bono consulere voluerunt.

Patriarcha Bertrandus, peculiari mentione dignus inter alios, suis uteris diei 24 Decembris 1334, Ecclesiae S. Mariae de Castro univit Ecclesiam S. Odorici cum Praepositura et omnibus iuribus et pertinentiis eius, eamque elevavit ad dignitatem Collegiatae.

Iussit autem quod Decanus eiusdem Ecclesiae Collegiatae curam animarum haberet, et caput esset Capituli. Vicarius generalis Patriarchae anno 1446 instituit ut cappellani trium cappellarum civitatis Utini, gererent curam populi, statim ac per decanum vel capitulum institutionem accepissent.

Evulgatis Sacrosanctae Tridentinae Synodi decretis, Patriarcha Grimanius, illorum curans executionem, civitatem in distinctas paroecias distribuere voluit atque de hoc cum. civili potestate tractatus instituit. At cum, quod exoptabat, ad exitum perducere non potuisset, illius successor Franciscus Barbaro uteris diei 20 Ianuarii 1575, quod ille cogitaverat perfecit.

Divisit enim civitatem universam in octo paroecias. Voluit autem ut curam animarum gerentes ne transirent terminos constitutos. Statuit quoque ut parochialia iura quibusque

parochiis, et earum singulis, decreto suo erectis , et parochis qui parochiales obtinent, seu in posterum obtinebunt, omnia integra, illibata et salva essent, nec ullo aut superiorum temporum abusu, licentia vel praetextu imminui et violari possent. Hoc decretum a cancellario patriarchali coram decano et canonicis utinensibus promulgatum, sequitur scheda, in qua uniuscuiusque paroeciae limites assignatur.

Post haec die 7 Iulii 1597 utinense capitulum coram eodem Patriarcha Barbaro conquerebatur quod post praefatum decretum, nonnulli ex parochis seu capellanis « non curant, ut fuit consuetum, ab eo capitulo, in ves ti turas recipere. » Oui die 14 Octobris insequentis respondens Barbarus, « iuxta petita sentiens esse prompte concedenda, decrevit curatos praefatae civitatis ad idem capitulum remittendos esse pro investitura accipienda. Sed ait esse contra ius et factum, a capitulo dari licentiam exercendi curam animarum ; quod unice spectat ad Patriarcham ».

Interim vacante ecclesia paroeciali S. Petri de Burgo Aquileiae, Capitulum curam animarum exercendam cuidam capellano demandabat, donec de curato idoneo provideretur. Tum eiusdem Patriarchae Barbari nomine intimatur Capitulo ut provideat dictam ecclesiam de idoneo parocho infra decem dies, utpote quis recipiat a fundis eiusdem Ecclesiae decimas seu quartesia.

Dehinc aliquo tractu temporis res pacifice intercessisse et Capitulum iure parochos investiendi usum fuisse videtur, usque ad annum 1680.

His adnotandum est nonnullas post annum 1684 reperiri paroeciarum provisiones, in quibus canonica institutio electis absque capituli interventu tradita apparet, quaeque insuper pleno iure, ad Patriarcham spectare in collationis Bullis dicebatur. Sed anno 1728 Capitulum coram Patriarcha Delphino sua iura repetebat ; qui respondebat standum esse decreto Patriarchae Barbaro quoad provisionem Ecclesiarum parochialium huius civitatis faciendam a Capitulo utinensi.

Non longo tamen temporis spatio a controversiis temperatimi est. Parochi enim nullam reclamandi occasionem praetermiserunt, ut saltem ex parte decimae sibi adiudicarentur, quod praesertim eruitur ex petitionibus et quaerelis annis 1796 et 1843, sive civili sive ecclesiasticae auctoritati, licet incassum, porrectis. Capitulum autem, quod interim, Aquileiensi patriarchatu suppresso, anno 1753 archiepiscopalis ecclesiae honoribus auctum fuerat, semel et iterum parochis obstitit, atque assertis quoad collationem et decimas iuribus hactenus potitus est.

Demum saeculares contentiones paucis abhinc annis iterum excitatae sunt, cum parochi in ius coram Archiepiscopali Curia canonicos condixerant, petentes ut vi parochialitatis sibi concederetur ius exigendi quartesium in proprio quisque territorio, aut sin minus no valia. Reconventionem tunc opposuit Capitulum in contestatione litis postulavitque, ut tribunal per sententiam constituat, urbanas paroecias unitas mensae capituli metropolitam, esse distinctas, minime vero dismembratae a matrice.

Archiepiscopus, ad terminum producto processu per constitutos iudices edidit sententiam ; declarando absolutos canonicos procuratores Capituli utinensis a petitione facta per procuratores, nomine proprio, et aliorum parochorum ; et paroecias Utinensis civitatis, unitas esse mensae Capituli metropolitani; a qua sententia Parochi appellationem interposuerunt apud S. C. Concilii.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO PAROCHORUM. Patronus, qui defensionem parochorum suscepit in primis sermonem instituit de unione, et recolit unionem a Capitulo obiectam, nec ratione iurisdictioctionis, nec ratione matricitatis vel subiectionis admitti posse. Etenim si quid eiusmodi antiquitus extitisse admittatur, cum per Apostolicam constitutionem « *Suprema dispositione* » Benedicti XIV diei 19 Ianuarii 1753, collegiata S. Mariae ad

dignitatem maioris ecclesiae seu cathedralis fuerit evecta « cum omnibus iuribus, praeeminentiis ac privilegiis, » status mutatio contigit, novus ordo cum novis iuribus enatus est, et antiqua privilegia, si quae extiterant, evanuerunt, ut expresse tradit Rota *Dec. 313 n. 4 et seqq. par. 4 tot. Rec.* « Est enim monstruosum quod unum corpus debeat habere duo capita... » Et Pitonius *disc. eccl. 9 n. 38*- ibi - « Per suppressionem primi status tollitur penitus omnis reliquia praetensae subiectionis, perinde ac si numquam ecclesia subdita fuisset, iuxta auctoritates etc., cum de iure repugnet quod id quod de novo creatur quidquam commune habeat cum eo, quod extinguitur et annihilatur : Gonzalez etc. »

At, inquiunt canonici, in limine fundationis ecclesiarum non semel reservatam fuisse facultatem instituendi ac destituendi, quod prope ad iurisdictionem pertinet. Quibus patronus respondet in primis cum Sabellio *v. Reservatio n. 3,* ac Rota *decis. 411 n, 17 par. 13 Rec. et in Ravennaten, haereditatis sup. bono iure 21 Ian. 1771 § ult. cor. de Veri.* « Praeservatio haec creditum non probat, et tamdiu vacua manet, quamdiu praeservatum ius ex certis et perspicuis monumentis non constet, x

Insuper post huiusmodi fundationes ecclesia S. Mariae anno 1334 ab Antistite Bertrando ad collegiatae decus fuit erecta patriarchali decreto, in quo legitur : « Ne autem curam populi... negligere videamur... unus perpetuus existat vicarius, qui per nos et successores nostros instituatur et destituatur... Alii vero presbyteri titulares sive filiarum ecclesiarum dictarum plebis et ecclesiis in suis prioribus remaneant iuribus, quorum etiam institutionem et destitutionem, nobis et eisdem successoribus nostris reservamus. » Et iure merito: nam, iuxta doctrinam superius relatam, cum ecclesia collegiatae honorem adipiscatur, minorem dignitatem etiam matricitatis amittit ; et mutato statu iura mutantur et effectus; S. Rota *dec. 1445 nn. 3 et 7 cor. Seraphino.*

Verum heic adversarii ipsam paroeciarum dismembrationem negant, quarum cura, aiunt, semper capituli nomine

gesta est: in patriarchae decreto nil aliud vident quam earum simplicem distinctionem, absque eo quod antiqua unio labefactaretur.

At misso etiam quod haec paroeciarum dictinctio a Patriarcha facta est, ea lege, ut parochi perpetui ac titulares essent ; ut ii omnes parem potestatem haberent, ut iis omnia iura competerent quae ad omnes parochos pertinent (quae omnia propriam ac luculentissimam separationem ostendunt) patronus notat, ipsam causam et significationem decreti dismembrationem patefacere. Causa quidem : quia gravia oriebantur mala ex eo quod vicarii sacerdotes absque iurisdictione integrae pene provinciae curam gererent. Hinc primum Patriarcha tribus sacerdotibus parochialia munia commisit « ne tanta populi multitudo curaque illius negligatur. » At deinceps malo adhuc ingravescente, Patriarcha Grimanius totidem paroecias definire constituit, urgente praesertim recentissimo Tridentini decreto; quod tamen Aquileiensis Patriarcha Barbarus per suum decretum in executionem demandavit, octo erigens paroecias, universam civitatem in octo partes, id est in octo paroecias dividens ; ita ut quisque suis limitatis finibus contineatur, neque terminos parochiae, excepto casu necessitatis, transilire et confundere audeat. Parochialia vero iura quibusque parochis, et eorum singulis, integra et salva esse voluit.

Quae cum ita sint, patet in praefato decreto agi de vera et propria dismembratione et non de simplici distinctione inter paroecias, quae antea non existebant, et nonnisi per dismembrationem ab unica antiqua erectae.

Ad haec obiicitur, Patriarcham, formam a iure praescriptam neglexisse: quia gravis ad dismembrationem causa erat legitime probanda, et audiendi erant antiquae ecclesiae rector et cathedralis ecclesiae capitulum. Quibus post trium saeculorum lapsum in medium prolatis, patronus in primis respondet cum Barbosa *De paroc. par. 3 cap. 28 § 2 n. 16 :* « Licet solemnitas extrinseca, qualis est interventio iustae

et necessariae causae ex se non praesumatur, diuturnitate tamen temporis interveniente, necessario praesumitur.

Post haec orator gradum facit ad refellendam alteram adversae contentionis partem, scilicet ius quod sibi vindicat •capitulum, episcopalis iurisdictionis provinciam in vadens, instituendi ad omnes paroecias ; quam praetensionem iam ab anno 1597 decreto diei 14 Octobris reiectam fuisse contendit, cum in solatium et testimonium matricitatis concessum fuit tantummodo ius simplicis investiturae. Et merito: nam. institutio authorizabilis, de qua heic agitur, consistit « in licentia quam, praevio examine, dant Episcopi ad administranda sacramenta personis subiectis. » Rota *dec. 158 cor. Motines.* Atqui haec nemini competere potest, nisi iurisdictione quasi episcopali polleat, vel peculiari apostolico privilegio.

Neque unio, quam capitulum sibi vindicat, etiamsi perspicua esset, ipsi prodesset : Schmalzgrueber *lib. 3 tit. 7 § 41.* Nec canonici magis iuvantur eo miod edicunt, in limine nempe fundationis ecclesiarum adiecta fuit conditio quod institutio pertineret ad capitulum. Quandoquidem, etiamsi id verum esset, patronus respondet cum eodem Schmalzgrueber *loc. cit. § 45* « in tali beneficio episcopum adhuc sibi vindicare posse institutionem authorizabilem ; et consequenter conditio illa in fundatione adiecta habebitur pro non adiecta. Ratio est quia fundator, utpote privatus, non potest sacrorum canonum dispositionem mutare, et illis contrarium aliquid statuere. »

Neque demum meliori omine capitulum confugit ad consuetudinem et praescriptionem. Etenim quidquid sit ante Concilium Tridentinum, certum est, post hanc sacram Synodum exitiales, iuxta patronum, huiusmodi consuetudines etiam immemorabiles deletas prorsus fuisse ; De Angelis *Praelect. iur. canon. lib. 3 tit. 7 §. 4.*

Quoad ius decimandi, ait patronus, certum est, Patriarcham Barbaro in memorato dismembrationis decreto omnia parochorum iura « integra, illibata et salva esse »

voluisse. Iamvero obvia est iurisprudentia, parochum habere praesumptionem fundatam in iure percipiendi praediales decimas intra limites suae paroeciae, uti tradit Van-Espen *Ius eccl. univ. part. 2 sect. 4 tit. 2 n. 9.* Eoque magis si de decimis sacramentalibus sermo sit, scilicet de iis quae ratione ac titulo curae debentur; tralatitium enim est eas omnino pertinere ad parochum ecclesiae in qua sacramenta percipiuntur. Rota *dec, 27 n. 3 part. 14 et dec. 124 n. 7 par. 5 t. 1 Rec.* Et hoc etiamsi paroeciae a matrice ecclesia fuerint disiectae ; nam semper « fundatam habent intentionem super decimis, etiam contra ecclesiam matricem, cui prius decimae debebantur, >> ad tradita per Rotam in *dec. 682 par, 3 Rec. n. 1,* et clarius in *dec. 178 par. 1 Rec. n. 5.*

Perperam vero obiiciunt canonici in divisionis decreto certos fines constitutos non fuisse ; quandoquidem hoc a veritate alienum esse tenet patronus; cum non modo Antistes aquileiensis in decreto notulam adiecerit « polizza dei confini di parrocchia » sed ipsum capituli decanum praefatum decretum servari mandavit « cum Dominatio sua Illma parochias in hac civitate Utini cum suis limitibus erexerit et posuerit respective. »

Verum adversarii insistunt aiendo, ex iure communi in dismembratione integram territorii decimam matrici ecclesiae reservatam praesumi, nisi aliter placuisse constet. Quibus patronus respondet distinguens inter decimas usitatas et novales, quae peculiari titulo parochis curam in loco esercentibus debeantur. Nam, ait Alexander IX si *cap. 2 § fin. De decimis in 6.* « licet perceptio decimarum in aliqua parochia ab antiquo pertineat ad capitulum vel monasterium, nullum tamen ius competat ad novalia. » Item Van-Espen *loc. cit. n. 45 et seq.* Rota *dec. 178 part. 1 Rec. n. 2.* Imo etiam si capitulum amplissimo gauderet privilegio decimas ubique colligendi, concessio ad novalia se extendere numquam posset, teste Schmalzgrueber *lib. 3 tit. 30% 48.*

Haec de novalibus. Ad ceteras vero decimas seu quarte-

sia quod spectat, quidquid, scriptores sentiant, praeterquam, notat patronus, ipsa recta ratio et aequitas suadet ut, diviso cum ceteris onere, etiam merces pro labore partiatur, insuper in iure receptum esse ait, quod cum ecclesia matrix in dismembratione consentiat censetur tacite admittere etiam decimarum diversionem, quemadmodum Rebbuflus, Moneta et R. Rota tradunt apud Barbosam *De off. parochi par. 3 cap. 28 § 2 n. 7* - ibi - « nova parochia, posito consensu matricis, habebit decimas quae alias competiissent antiquae, etiamsi hoc nova erectione minime caveretur. »

Canonicos autem litinenses novis paroeciis erigendis assensum praebuisse et quidem absque ulla conditione, patet ex eo quod Capituli decanus iusserit servare decretum erectionis.

Quaestio haec est potius facti quam iuris et ideo, investigando mentem Patriarchae, conspicimus hunc praecepisse ut « dentur ecclesiae temporalia, ut recipiantur ministeria spiritualia. >

Perperam autem, pergit patronus, capitulum trium saeculorum praescriptionem in sui favorem invocat. Siquidem praescriptio nihil potest absque possessione legitima, constanti et non interrupta ; De Angelis *praelect. iur. can. lib. 2 tit. 26.* Et insuper ubi agatur de decimis ad praescriptionem consuetudo immemorabilis requiritur vel quadragenaria cum titulo et bona fide, uti eruitur ex *cap. 1 Depraescript. in 6.* Quae omnia favore capituli minime militare, ostendit patronus ; siquidem praedicti temporis lapsus non pacifice, sed in perpetua contentione transegit.

Quod si ab anno .1732 usque ad annum 1795 nihil prorsus parochi egerunt, id factum esse, ait patronus, quia saecularis potestas suo imperio et sub poenarum comminatione parochis quamlibet actionem interdixit. Proinde neque hoc tempus ad praescriptionem in capituli favorem decurrit, iuxta notum principium in *I. 1 fin. De annal, excepi.* « Dormit praescriptio contra impeditum et non valentem agere. » Sane ut primum parochis obloquendi copia facta est, ipsi anno 1795 libellum Duci Venetiarum obtulerunt exponentes : « re-

sto sino al presente pensile il destino d'una tal questione » et hinc novum instauratum est iudicium, cuius exitus ignoratur.

Nihilominus, hoc saeculo ineunte, parochos in possessione decimarum fuisse patronus tenet. Nam cum anno 1834 Capitulum nova molimina tentaret, parochus ecclesiae S. Mariae gratiarum mordicus restitit ; et quatuordecim tunc testes deposuerunt sese quotannis libenter solvisse quarterium parocho praesenti eiusque antecessori.

Sed hisce omnibus missis, et dato etiam quod Patriarcha non intenderit assignare novis ecclesiis competentem portionem ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus, iuxta Tridentini legem *cap. 4 sess. 21 De ref or.* quam ipse exequi profitebatur, tamen quod ille non fecit hodie faciendum esse contendit patronus, quia res incidit in aliud eiusdem Trid. Concilii decretum, in quo loquens de paroeciis iam constitutis, praescribit parochis congruam sustentationem non habentibus, hanc illis adscribi, praesertim « decimarum assignatione > *cap. 13 sess. 24 De ref.* Et heic orator pluribus arctam ac aerumnosam parochorum conditionem pingit, qui gravi plurium millium animarum cura gravati, in vastissimo territorio, saepe per agros aut per montes extenso, omnibus prorsus subsidiis destituuntur.

CAPITULI DEFENSIO. Capituli patronus inversa dispositione procedens argumentationem suam primum quoad quartesii seu decimarum perceptionem instituit. Recolit autem ecclesiam B. M. Maioris a Bertrando sub anno 1334 accepisse universum quartesium veteris paroeciae S. Mariae Maioris de Castro, et eiusdem perceptione usam fuisse etiam post parochiarum distributionem a Patriarcha Barbaro factam usque ad praesens tempus.

Obstare igitur parochis autumat, praescriptionis exceptionem, quae procedit etiam contra habentes intentionem fundatam, iuxta plures S. R. R. decisiones in materia *Decis, in comp, redactae : Decimae quoad praescriptionem.*

Quam haud interruptam fuisse censet a iudicio coram Ducali Venetiarum auctoritate acto; sive quia iudicium ipsum inchoatum, post ferme centum et viginti annorum spatio ab erectione parochiarum, postremo decisum fuit favore Capituli, et lis, in qua possessor vicit, praescriptionem non interrumpit, De Luca *De decim. disc. 6 num. 23:* sive etiam quia praescriptio non cessat ob acta coram iudice incompetenti : *Dec. recent. Dec. 99 n. 18 : p. 8* iudex autem laicus est incompetens in iudicando super decimis *Dec. recen, dec. 297 n. 6 et 8 part. 14 et decis. 284 n. 10 part, 10.*

Praeterea animadvertit ex constanti iurisprudentia, decimas praesumi reservatas ecclesiae matrici ; ecclesiam vero filialem erectam intra fines matricis, in separatione, non privare matricem iure percipiendi decimas, nec gaudendi iuribus parochialibus, nisi hoc sancitum fuerit ab habente facultatem, neque teneri ecclesiam matricem probare, decimas ad se pertinere, quum absque alia probatione habeat fundatam intentionem, ut patet evidentissime apud De Luca *De decimis disc. 12;* quod etiam pluries tenuit S. R. R. *Decis, recent, decis. 315 n. 2, p. 12 - 577 n. 2 p. 5 tom. 2 - 607 n. 4 p. tom. I,* et Sacra Congregatio C. sub anno 1617.

Quare iuxta patronum, est res potius facti quam iuris totaque quaestio in eo est, ut cognoscatur quid a Patriarcha Barbaro circa quartesium decretum fuerit. Iamvero ut sententia Curiae utinensis adnotabat, decretum Patriarchae non solum nihil super quartesium statuit, sed contra, quum territorium externum decimabile inter adiutrices ecclesias minime dividat, sic impliciter capituli iura confirmat.

Ceterum constare dicit, capitulum etiam post decretum Barbaro et usque ad praesens, quartesium semper exegisse, et hanc saecularem observantiam, quae ultra centenaria permanet etiam si ad annum 1798 referatur, vim habere non solum praescripti vam sed etiam interpretativam. Insuper ipse idem Patriarcha alio suojdecreto diei 28 Novembris 1597 quartesia a capitulo exigi affirmabat.

Iustam vero causam deficere existimat, qua Patriarcha

vellet et posset decimas a matrice distrahere, cum filiales ecclesiae sufficienti assignatione instructae essent, nec vera novarum paroeciarum erectio cum extinctione unicae tunc existentis paroeciae, ut adversarii contendunt, facta fuerit.

Ad instantiam reconventionalem capituli sustinendam deveniens, probare nititur ecclesias parochiales cum quibus est controversia unitas esse mensae capituli, et ideo non proprie filiales, sed adiutrices et membra ipsius metropolitanae ecclesiae, et earum rectores non vere parochos, sed vicarios tantummodo. Memorat unicum argumentum quo vicarii curati fulciuntur esse interpretationem decreti Patriarchae Barbaro anni 1595, quod tamen, attentis circumstantiis, quae illud praecesserunt, vel comitatae, vel demum secutae sunt, interpretari debet.

Hoc pacificum esse inter partes adnotat, et ex irrefragabili documentorum fide evinci, multos annos ante decretum Patriarchae Barbari extitisse easdem ecclesias coadiutrices, quae in decreto ipso numerantur, et in his omnia parochialia munera nullo territorii discrimine habito, promiscue administrata fuisse. Cum igitur antiqua paroecia numquam defuerit et non interrupto temporis spatio a primaeva fundatione ad praesens permanserit, consequitur, iuxta patronum, capitulum in aliis ecclesiis coadiutricibus, ut suae mensae capitulari unitis, ius adhuc et potestatem habere.

Neque melius adversarii ad dismembrationem astruendam confugiunt. Siquidem primo decretum diei 20 Ianuarii 1595 potius quam ad *cap. 4 sess. 21* SS. Tridentinae Synodi, referendum esse dicit ad *cap. 13 sess. 21.* scilicet non ad novas erigendas paroecias, sed ad.parochiarum fines distinguendos. In parte enim narrativa non quaeritur quod cives ob locorum distantiam sive difficultatem sine magno incomodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possint, sed quod parochiales ecclesiae certos non habeant fines, nec earum rectores proprium populum, sed promiscue petentibus sacramenta ministrent. In parte vero dispositiva non decernit novas esse paroecias erigendas, sed

parochiarum distributionem et divisionem esse faciendam, et parochis, curatis et cuiusvis gradus sacerdotibus curam animarum exercentibus praecipit, ut se suis finibus limitati contineant. Unde etiam schedula decreto addita hoc tantum titulum praefert < *Polizza dei confini delle Parrocchie.* > Iuxta Oratorem igitur, nullum dismembrationis, aut novae erectionis verbum reperitur, quod et mentem Patriarchae declarat, et solemnitatis defectum constituit.

Sed praeterea recolit dismembrationem sapere speciem verae alienationis, ideoquo requiri copulativum concursum solemnitatis ac iustae causae iuxta De Luca *De benef. disc. 25 n. 6.* Iustae autem causae ad dismembrationem ecclesiae parochialis sunt necessitas et evidens utilitas, quae desumitur ex distantia locorum, quae talis esse debet, ut incommodum reddat accessum parochianis *Dec. Recent, dec. 224 n. 6 et 8 part. 10; 578 n. 2, 8 part. 19 d. 2; 204 n.* **i** *part. 17 , 484 n. 3 p. 1* neque permittitur dismembratio, quoties aliter indemnitati parochianorum aeque consulitur, puta quando per deputationem alicuius presbyteri possunt sacramenta in aliqua ecclesia commode ministrari ; Tonduto *quaest, et resolut, eccl, V. 1 cap. 56 n. 7e 8 ;* Ricci in *praxi rer. for. eccl. decis. 544 n. 6 ; Mevoch. consil. 477 n. 9 ; Cost. de subsid. remed. 75 n. 20 : Decis, recent, decis. 578 n. 5 et 8.*

Iamvero ex praemissa facti narratione constare censet, in casu haud extitisse iustam dismembrationis causam propter necessitatem aut evidentem utilitatem, quum notum sit multas adfuisse ecclesias coadiutrices, in quibus sacramenta ministrari et divina officia peragi solebant.

Ulterius ait, consensum rectoris gravissimum iustae causae argumentum esse quoad dismembrationem paroeciae, ita ut ipso deficiente, dismembratio corruat, et in casu vacationis ab Episcopo defensor ecclesiae sit deputandus.

Verum putat in themate consensum a Capitulo fuisse praestitum non ad dismembrationem paroeciae, sed ad distinctionem et designationem finium, addita conditione « Quod

per supradictam distinctionem nullum capitulo praeiudicium unquam generetur, tam quoad collationes, quam ad alias eius praerogativas quas ab immemorabili tempore semper obtinuit ac obtinet. »

Hisce robur accedere orator existimat ob ipsam adversae partis confessionem. Profert enim monumenta, ex quibus eruitur vicarios curatos in synodali scrutinio anno 1660 suas ecclesias Capitulo subditas affirmasse, et anno 1683 in quodam compromisso super funerum iuribus, subiectionem suam passim recognovisse.

Tandem ecclesiarum adiutrieium subiectionem probare contendit ex saeculari observantia, quae a decreto anni 1595 usque ad nos haud interrupta perseveravit.

Hisce animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sententia Curiae archiepiscopalis utinensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re disceptata sub die 25 Iulii 1891, censuit respondere; *Sententiam esse confirmandam et ad mentem. Mens est, ut, attenta obligatione capituli pendendi rectoribus Ecclesiarum congruam pro honesta sustentatione, Archiepiscopus referat de statu activo et passivo qùartesii et novalium.* (1)

(1) Quartese est quaedam decima minor. Novale est ager de novo ad culturam redactus; de quo non extat memoria quod aliquando cultus fuisset. -Eecole Vol. I, 619, Vol. VII, 387, Vol. IX, 388, Vol. X, 542, Vol. XVII, 31. 243.

OXOMEN.

DISTRIBUTIONUM ET SUBSTITUTIONE

Die 25 Iulii 1891.

Sess. 2l cap. 2i De reform,

COMPENDIUM FACTI. In Cathedrali Ecclesia Oxoniensi canonici *de officio* nuncupati, quibus incumbit etiam onus clericos edocendi in Seminario dioecesano, ut choro praesentes mane vel vespere haberi solebant ad effectum lucrandi quotidianas distributiones, prout ante vel post meridiem scientias traderent. Haec tamen praxis, quae haud bene constat a quo tempore viguerit, Capitulo iuris fundamento destitui visa est ; atque idcirco auctorante Episcopo abolita est in comitiis diei 26 Ianuarii 1886, cum decretum fuit ut praefati canonici choro non interessentes distributiones amitterent, siquidem hora distincta a canonicis lectionem haberent.

Id non placuit Isidoro Soto Ramos qui ibi doctoralem praebendam iam a septem annis obtinebat, quique proinde ad S. C. C. confugit, et hanc nactus occasionem alterius etiam quaestionis resolutionem expostulavit. Exposuit namque eodem tempore sibi haud sustinenda videri, utpote iuri contraria, obligatio in edicto concursus ad doctoralem praebendam expressa, qua electus etiam si infirmitatis causa aliquando a schola abesse deberet, ad aliquem proprio sumptu sibi subrogandum adigeretur. Quare duo simul in illius precibus quaerebantur :

« Utrum ius habeat ad praesentiam in choro eodem modo quo antea, seu prioribus annis. 2. Utrum, cum ex causa infirmitatis non possit per se ipsum lectionem habere, substitutum teneatur suis impensis apponere. »

Rogatus de more Episcopus ut, audito capitulo, super oratoris iure referret, votum suum illi omnino contrarium emisit simul rationes adiiciens quibus ad suam tuendam sententiam m o veretur.

Disceptatio Syiioptica.

QUAE FAVERE VIDENTUR CANONICO DOCTORALI. In primis quoad distinctionem canonicatuum in Hispania, conventio seu concordatum anni 1851 haec habet art. 13; « Unumquodque Cathedralium Ecclesiarum capitulum constabit decano, qui semper primam sedem post pontificalem obtinebit, quatuor dignitatibus, nempe archipresbyteri, archidiaconi, cantoris et scholae praefecti nec non alterae thesaurarii in metropolitanis ; insuper quatuor canonicis qui de officio nuncupantur, scilicet magistrali, doctorali, lectorali ac poenitentiario, ac demum eo numero canonicorum de gratia, quem art. 17 praefinit. » Et quoad eorum praebendas art. 32 statuit : « Dignitates et canonici de officio in singulis metropolitam^ annuo reditu fruentur 16,000 regalium, in suffraganeis 14,000 et canonici de officio in Collegiatis 8,000. Canonici reliqui 14,000 in ecclesiis metropolitanis, 12,000 in suffraganeis et 6,600 in Collegiatis obtinebunt. »

Officium vero praecipuum canonici doctoralis et magistralis ita expositum est in Concilio provinciali Salamanticae longe ante Concordatum habito *Act. 2 decr. 35 :* « Qui doctrinali praebenda potitur teneatur in omnibus negotiis ad cathedrales pertinentibus, sententiam suam verbo aut scripto, prout requisitus fuerit afferre, atque in eisdem patrocinan. Ad idem teneatur in causis, quae ad dignitatem episcopalem spectant, dummodo inter capitulum et episcopum non controvertantur; tunc enim suo capitulo adesse honestius erit. Erit etiam sui muneris, cum ab episcopo vel capitulo fuerit requisitus, iudicem civitatis episcopalis adire, de negotiis episcopi vel capituli verbo aut scripto, cum opus fuerit instruere, omni excusatione remota - quod tamen urgenti necessitate iniungi debet, - atque haec quidem omnia gratuito. At qui magistralem obtinuerit tenebitur omnibus iis diebus sermonem habere ad populum, qui vel statutis ecclesiae vel antiqua consuetudine sunt praescripti, et quando ab Episcopo ob rationabilem causam occurrentem in ecclesia

cathedrali seu in alia eiusdem civitatis ipsi fuerit peculiariter iniunctum. »

Insuper huic primario muneri et aliud ab Episcopo addi potest nempe docendi in Seminario dioecesano, vi decreti regii 1852.

Nulla expressa adest iuris dispositio quae huiusmodi canonicos de officio quoad praesentis controversiae punctum respiciat. Tridentina Synodus, praeter canonicum penitentiarium et parochum, probabiliter nec docentes S. Scripturam tamquam praesentes in choro habet ad effectum lucrandi quotidianas distributiones. Hoc autem beneficium tantum serius ad canonicum theologum extensum est, ut patet ex pluribus S. C. C. resolutionibus alia vice relatis. Iamvero non levia militare favore canonicorum ex officio congruentiae argumenta sive ex paritate conditionis, sive ex aequitate deducta. Oomuniter enim receptum est, ut quando agatur de 'onere inseparabiliter praebendae adnexo, quodque sine peculiari mercede exercetur, tamquam pars choralis officii spectari soleat. In cuius s ententiae confirmationem forsan non omnino absonum videretur recentem S. C C . decisionem adducere in *Carthaginen. 11 Aprilis* nuper elapsi, (1) in qua canonico theologo magisterii munus in Seminario exercenti vetitum fuit chorales distributiones percipere diebus quibus docet, cum ad hoc distincta pensione rependeretur. Quod clarius etiam eruitur ex *Piacentina 17 Iunii 1882,* in qua proposito dubio: » *An canonicus magistralis, pro munere quod in Seminario exercet, ius habeat percipiendi emolumentum, vel potius distributiones quotidianas tantum lucrari debeat in casu,* » responsum datum fuit *« Negative ad primam p>artem, affirmative ad secundam.* » (2)

Nec in themate regerere valet quod orator « hora distincta a canonicis lectionem habeat. » Nam omisso quod hoc est quid temporaneum, quod decursu temporis mutari potest, adnotandum est canonico doctorali, lectionibus et servitio

(1) Adest hoc volumine pag. 72.

(2) Eecole Vol. XV, 208.

chorali necéssariisque itineribus magnam diei partem insumenti, difficulter tempus et vires suppetere posse ad rectam adhibendam praeparationem. Unde si iuris rigor urgeretur, timendum esset ne ex hoc discipuli detrimenti aliquid caperent.

Quoad vero maiores praebendae reditus quibus canonicus doctoralis fruitur, quosque Episcopus forsan memorat uti causam ad gratiam denegandam, siquidem distributionum amissionem compensarent, observari posset ex illis argumentis videri quae nimis probant. Cum enim iidem prorsus fructus sint theologo et poenitentiario, sequeretur eamdem rationem ad distributiones ipsis adimendas invocari posse. Ceterum cum pinguior praebenda canonicis de officio constituta fuerit art. 32, Concordati 1851 et munus docendi impositum sit postea, scilicet regio decreto anni 1852, evidens est concludens ratio inde haud posse desumi.

Relate vero ad obligationem sibi substituendi aliquem suis sumptibus in magisterii exercitio, quoties infirmitate detineatur, recolit orator contrariam esse ipsi rubricam *tit. 12 lib. 3* « ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur. » Ergo cum Episcopus conditionem quae a iure exorbitat in edictalibus tabulis addiderit, atque ea quae contra ius fiunt debeant pro infectis haberi, consequeretur canonicum doctoralem ad gravis et vitiatae conditionis adimplementum nullimode adstringi.

QUAE ADVERSARI VIDENTUR CANONICO DOCTORALI. Attamen ex adverso perpendendum est clarissima esse Tridentini verba *sess. 21 cap. 12 De reform.* « Distributiones vero qui statis horis interfuerint recipiant : reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa his careant, iuxta Bonifacii VIII decretum quod incipit : *Constituendum ;* quod S. Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis aut consuetudinibus. » Unde nisi expresse a iure casus habeatur exceptus, in praesenti materia procedi nequit argumentis ex analogia deductis vel ex aequitate depromptis. Quod tenuisse videtur S. C. C. dum semper rigidam se praebuit in quotidianis distributionibus absentibus concedendis.

In casu vero nullam sibi favorabilem exceptionem canonicus doctoralis invocare potest. Quin imo contrarium prorsus ex Uteris Apostolici Hispaniarum Nuntii eruitur: relate ad adsistentiam in choro, ex iure nulla competit exemptio canonico magistrali, ex munere docendi; fiat hoc gratis, aut aliqua mediante retributione, quae verba benignam oratori interpretationem respuere videntur. Quod si ex indulto Sanctae Sedis vel indulgentia Episcopi et Capituli vel ex peculiari Capitularium Constitutionum lege in aliqua dioecesi contrarium obtinet, id ad consequentiam nequaquam trahi potest. Quod pariter dici forsan debet de resolutione in *Piacentina 17 Iunii 1882,* eo quod in illius Cathedralis statutis legi-' tur de magistrali et doctorali habebuntur ceu praesentes in choro iisdem terminis ac canonicus lectoralis.

His nonnulla accedunt in praecedenti causae propositione relata, quibus Episcopus mentem suam a concessione alienam ostendebat. « Nec arguat, aiebat Praesul, sibi non suppetere spatium, ut operi se accingat, quandoquidem non eamdem disciplinam omnibus annis tradit. Porro historiam ecclesiasticam exponere tribus abhinc annis illis commissum est, quam iam antea docuerat, et aliis canonicis qui sumptibus Seminarii docent, tempus suppetit, etiamsi aliquando eamdem disciplinam non tradant, ut lectioni se accingant. Nec longum est tempus quod plerumque choro insumitur ; et adde quod horas canonicas domi recitare tenetur, si choro non adsit. Sed utcumque sit, laboret aliquid amplius, si aliter fieri nequit. >

Demum omnia, tum relate ad chori praesentiam, cum etiam quoad substituti retributionem, canonicus Ramos perpendere debuisset antequam ad concursum accederet et propositas obligationes assumeret. Modo enim saltem quoad secundum cogi posset ratione pacti ex *cap. Antigonus tit. 35 Be pactis:* < Inita pacta suam obtineant firmitatem » et *cap. Qualiter ibidem :* « Studiose agendum est, ut ea quae promittuntur, opere compleantur. » Episcopum vero in edicto promulgando in iuris leges non impegisse defendi posset,

tum quia idem in similibus casibus alias statutum fuit, cum etiam quia relicta eius arbitrio, ex decreto regio a Nuntio ratihabito, impositione muneris docendi canonico doctorali, iam per hoc compos effectus videretur ad ea omnia disponenda, quibus melius res sibi commissa executioni mandari posset.

Hisce, aliusque notatis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An, et quousque, canonicus doctoralis dum in Seminario magisterii munere fungitur, praesens in choro habendus sit in casu.*

II. *An, cum ex causa infirmitatis non possit per seipsum lectionem habere, teneatur aliquem suis sumptibus sibi in magisterii munere subrogare in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii,re discussa sub die 25 Iulii 1891 censuit respondere: Ad *X Negative, salvo oratoris iure recurrendi pro gratia.* Ad II *Negative.*

EX QUIBUS COLLIGES. I. Ex iure nullam competere canonico doctorali exemptionem a choro, dum fungitur munere magisterii in Seminario gratis aut cum retributione.

II. Non teneri subrogan per alium, suis sumptibus, in munere magisterii, quatenus per seipsum non possit, causa infirmitatis, lectionem habere.

MEDIOLANEN.

IURIUM

Die 27 Iunii 1891.

Sess. 24 cap. 1 De ref.

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos Iacobus Biotti triginta circiter abhinc annis, adolescentulas, praesertim illas quae in opificiis civitatis Busto Arsizio frequentes operam impendunt, colligere diebus festis, incepit,. ut ab .instantibus iuventuti periculis illarum fidem et mores prohiberet. Pium opus, quod,

ex humili initio in bonam excrevit frugem ac brevi valde conspicuum institutum evasit, ab institutoris officio Theologi Oratorium nuncupatum fuit, ut ab aliis congregationibus distingueretur.

Anno 1863 cum quidam pius vir Candiani sedem propriam, supellectilem scholasticam aliaque ad usum necessaria liberaliter in pium institutum contulisset, rerum ratio melius ibi composita est ac sacellum erectum, in quo etiam SS. Eucaristiae Sacramentum diebus festis asservari concessum fuit. Sed vertente anno 1871 ob quamdam animorum dissociationem inter adulescentulas primatus cupiditate exortam, sacerdos Biotti ab instituti sede una cum pluribus exulavit, dum praepositus parochus puellarum, quae in aedibus Candiani remanserant, curam suscipiebat.

Tunc sacerdos Biotti institutum suum in quibusdam aedibus prope Ecclesiam S. Crucis collocavit, atque iis paulo post ruina misere eversis, in locum nuncupatum « la Stinaga » iterum migrare coactus fuit. Hoc in loco usque ad annum 1883 continuo permansit, cum collato ut plurimum aere superficiem satis amplam apud templum B. M. V. *in Prato* coemit et duplex aedificium a fundamentis erigendum -curavit, ubi etiam modo pium opus aptissimo loco consistit. Superficies tamen ubi aedes instituti constructa? fuerunt, in publicis tabulis non uni sacerdoti Biotti mancipata apparet, sed et duobus aliis presbyteris Pio Chieppi et Leopoldo Crespi Porro, qui num reapse condomini sint vel tantum fiduciarie scripti disputatur.

Paulo post cum theologus Biotti et sacerdotes Chieppi et Crespi Porro opinionum dissimilitudine sensim segregarentur, die 26 Februarii 1885 theologus declaravit, se scholarum festivarum onus suscepturum, et sibi maxime cordi esse, ut quilibet alius sacerdos, praesertim vero qui aedificii condomini scripti sunt, adiutrices manus praestarent. At praeterea idem. sacerdos Biotti XIV Kalendas Octobris 1886 omnia sua iura in pium opus atque omnem supellectilem scholasticam praeposito parocho Iosepho Tettamafiti cessit, et

illum hortatus est, ut duos alios condominos ad sui muneris satisfactionem induceret. Ex hac die, controversia inter illum et sacerdotem Chieppi, et Crespi Porro acriter, et non sine populi admiratione percrebuit ; in qua tamen parochus numero superatus coram Archiepiscopali Curia Mediolanensi adversarios vocavit. Iamvero Curiae Archiepiscopalis iudices, rationibus utriusque partis ad trutinam vocatis, excussisque testibus et omnibus peractis, die 21 Decembris 1889, dederunt sententiam haec inter alia decernentes : 1. Institutum Biotti nequaquam Oratorium, sed scholam esse festivam pro puellis fundatam. 2. Tam Sac. Iosepho Tettamanti quam Sac. Pio Chieppi et Sac. Leopoldo Crespi Porro paria iura et officia, tum quoad fiduciariam Instituti proprietatem, tum quoad ipsius gestionem et praelationem competere.

Haec sententia praeposito Testaménti haud arrisit, qui propterea tempore ab iure statuto ad S. C. appellationem interposuit.

Disceptatio Synoptica

IURA PAROCHI. In primis animadvertit, quod etiamsi contra omnem veritatem admittatur theologum Biotti nihil aliud instituisse quam scholam, nihilominus parochus iure communi ceteris omnibus in ea praestare deberet. Pia enim mater Ecclesia semper sollicita fuit ut fideles a prima eorum aetate religionis praeceptis imbuerentur atque ideo iussit, ut in scholis quibuscumque sacra cathecheseos doctrina ministraretur. Ita docet Textus in *cap. 3 De vit. et honest, der.* « Quisque presbyter qui plebem regit clericum habeat qui secum cantet epistolam et lectionem legat, et qui scholas possit tenere, et monere suos parochianos ut filios suos ad fidem discendam mittant ad ecclesiam, quos ipse cum omni castitate erudiat. > Ita tradit Van-Espen *Ius eccl. univ. par. 2 sect. 1 tit. 11 cap. 5 ;* ita pressius Synodus prov. 2 *Mechliniensis cap. 5* apud eumdem auctorem, praecipit « ut scholas dominicales frequentantes, non tantum doceantur legere et scribere, verum etiam et quidem praecipue instituan-

tur in rudimentis fidei... » Iam vero Ecclesiae cura et leges in irritum cederent si in privatis gymnasiis ac scholis liceret religiosam institutionem impune praetermitti, docente docte ac fuse Benedicto XIV in *Insta. 9* ludimagistros quoscumque sicut et parochos teneri ad edocendum pueros rudesque scholares doctrinam christianam.

Idipsum confirmari a nonnullis Insubriae Synodis quae, praeterquam quod decernant, quod dominicis festis diebus pueros nullo alio doctrinae genere instrui liceat, parochis insuper mandant, ut observent magistrorum quorumcumque suis in paroeciis degentium vitae et morum rationem, et puerorum institutionem respicientia munera ; ac si quid in ipsis non ferendum viderint, ad nos referant. »

Quo posito, sponte sua fluit id quod in Curiae sententia disponitur. Posita enim ex iure parochi, prae ceteris, auctoritate, absurdum esset ipsum parem cum aliis haberi.

Ad sententiam vero propius accedens orator adiicit, eam insuper nullitate laborare ex eo quod in ea ferenda definiendi rationes iudex praetermisit. Huiusmodi autem rationes et motiva in sententia exprimi hodie in praxi esse omnino necessarium , tradit De Angelis in *Praelect. iur. can. tom. ult. par. 2 pag. 239.* « Verumtamen hodie in praxi pro tribunalibus ordinariis, et praesertim pro iudicibus ordinariis, huiusmodi rationes et motiva in sententia addi necesse est, ut partes sententiam cognoscentes cum istis motivis et rationibus, deliberare possint utrum expediat remedium appellationis invocare. »

Verum praeter ius commune non desunt alia argumenta ad ostendendam parochi iurisdictionem in oratorio Biotti. Institutor enim Biotti in praepositum parochum omnia %sua iura per cessionem contulit. Porro nemo inficiare potest, ait orator, theologum Biotti his iuribus potiri. Primo enim ipsum pro puellis operariis instituendis oratorium condidisse, patet ex agendi ratione mulieris Candiani, quae legatum Sac. Biotti favore ipsius Oratorii reliquit. Ita pariter complures donatrices et operariae, necnon septem supra viginti in pio

opere adiutrices loquuntur de institutione praefata theologi Biotti; scilicet de oratorio et schola festiva ab ipso fundata.

Neque ab incepto unquam destitit pius sacerdos, quinimo ad uberiores pietatis et religionis fructus obtinendos, omnes ingenii ac substantiae vires ad illud perficiendum* intendit ; adeo ut anno 1868 ab archiepiscopali curia Mediolanensi obtinuerit oratorium solemniter lustrari in eoque SS. Eucharistiae sacramentum ad decennium asservari.

Denuo demum 1882 oratorio stabilem sedem dare curavit, et pecunia partim propria, partim ex piis donationibus collecta, terrae superficie empta, aedificium construxit cuius integri sumptus aestimantur in summa 40,000 fere libellarum.

Ex facto autem fundationis consequi autumat patronus regiminis potestatem : absonum enim esset quemquam in operis gubernio contra fundatorem praevalere. Et reapse theologum Biotti ab ipso exordio oratorii regimen sibi assumpsisse testantur adiutrices et aperte confirmant magistrae Gallazzi, Vannetti et Pozzi.

Hisce positis, nescit orator quo iure, quibus praesidiis adversa sententia censuerit adversarios et parochum pares esse.

Neque refert quod Sacerdos Chieppi, summam lib. 2500 contulisse asserat. Hoc enim etsi contra rei veritatem admittatur, nihil suffragantur, quandoquidem ad legitima fundatoris iura per participationem adquirenda non quaelibet dotatio satis est, sed dotatio saltem aequalis antecedenti esset probanda. Ita docet Gagliardi *De iurepatr. t. 1 pag. 86 et 77.* Quia, ait S. Rota in *decis. 29 n. 30 part. 7 recent.* « augmentum dotis non est dotatio, qui enim auget dotem dicitur benefactor, non donator. »

Nec quoad regiminis iura magis iuvantur iis quae ex adverso iactitantur, cum ex Theologi depositione, necnon ex Patriarchae Alexandrini testimonio liqueat Sacerdotes Chieppi et Crespi coadiutores tantum fuisse.

Post haec ad expendendam pii operis, naturam et qualitatem pergens patronus animadvertit, ipsam positam revera esse praecipue in religiosa puellarum institutione, ac proinde

opus Biotti esse verum oratorium, facta et monumenta probare' edicit orator. Praeter enim quam quod hoc pium opus inveterata consuetudine, spatio triginta annorum, semper oratorii nomen obtinuit et adversarius ipse, qui hanc qualitatem impugnai, centies in suis scriptis hoc nomine appellat ; ab ipso fundationis exordio theologus Biotti nihil antiquius habuit, quam ut puellae ad sacra peragenda in proximam ecclesiam convenirent: dein, sacello domi constituto, sacrosanctum Eucharistiae sacramentum diebus festis exponi assequutus est: et cum anno 1882 novam domum aedificavisset, architecto mandavit etiam ut typum sacelli satis ampli exstruendi delinearet ; quod factum est et typus in actis prostat. Demum quum theologus egit cum religiosa familia ut ei oratorii aedificium et regimen cederet conditionem apposuit de oratorii qualitate servanda. Nec satis ; ipsa subsellia et scamna ad puellarum usum in schola inustam praeseferunt litteram *O,* ut appareat non tam oratorium ad scholam, quam potius scholam ad oratorium pertinere.

His accedunt praeclarissimi testes antistites Ballerini et Archiepiscopus Mediolanensis, qui paucis abhinc annis in theologi Biotti opera nihil aliud agnoverunt quam oratorium, veluti scripta documenta ostendunt.

Testes vero contra adducti, vel nihil probant, vel oratorii qualitatem potius confirmant ; quandoquidem omnes utcumque adversarii addicti oratorii qualitatem ac denominationem ab ipsa sua institutione disertis verbis agnoscunt. Quod si postremis hisce annis totum immutatum est et oratorii consuetudines penitus deletae, id ab adversariis in fraudem parochi consulto factum est, prout ipsemet sacerdos Chieppi in suis litteris aperte profitetur.

Ex quibus omnibus colligi, in cunctis actibus et consuetudinibus theologi Biotti circa opus a se institutum semper religionis studium patefieri. Atqui talis praesumitur lex et anima fundationis, qualem fundator ad actum perduxit. Pitonius *Be controv. patr. all. 42 n. 16.* Rota *decis. 144 n. 14 part. 79 Rec.* et in *Hispalen. visitationis 30 Aprilis*

1700 § Praeterea cor. Motines. Nam ut docet idem Piton. *op. cit. all. 33 n. 16* et *Rota in Mediolanen. Capellaniae 22 Ian. 1716 cor. Althan:* in operis qualitate et natura exquirenda, omnium optima ac fidissima interpretatio est quae dérivât ex facto ipso fundatoris.

Ceterum, concludit orator, etiamsi tingatur theologum nihil aliud instituisse ab initio quam simplicem scholam, certissimum est in iure, fundatorem posse etiam tractu temporis aliquam conditionem et qualitatem suae institutioni adiicere et maxime opus suum perficere. Piton, *op. cit. all. 95 n. 23* Card. De Luca *De iur. patr. disc. 15 et 16 n. 5* et *De fideicom. disc. 170 n. 10,* Vivian. *De iurepatr. 1 cap. 8 n. 10,* Rota in *Ilcinen. Beneficii 2 Iun. 1706 cor. Kannitz.*

Iamvero theologum Biotti novissimis praesertim temporibus usque ad obitum constanter, ut oratorii qualitas et instituta servarentur contendisse, nemo inficiare potest; quinimo in hoc praecise dissidiorum caput. Pluribus enim missis , hoc ostendit declaratio , quam post sententiam Curiae Mediolanensis theologus emisit. In ea siquidem rotundis verbis asserit, se verum oratorium cum schola instituere voluisse.

IURA SAC. CHIEPPI ET CRESPI PORRO. Verumtamen ex adverso plura pro sententiae confirmatione prolata sunt. Ac primo quoad formam, animadversum est inepte prorsus nullitatem invocari eo quia definiendi rationes in ea praetermissae fuerint. Sane in *cap. Sicut nobis tit. XXVII de sent. et re iudic,* textus aperte docet : « Cum autem in plerisque locis, in quibus copia prudentum habetur, id moris existat, quod omnia, quae iudicem movent non exprimantur in sententiis proferendis, vobis taliter respondemus quod.,, praesumi debet omnia legitime processisse. > Et Reiffenstuel *Tit. XVII Lib. 2, n. 99* tradit : « quamvis enim iudex possit apponere causam quae ipsum movit ad hoc sententiandum : ad hoc tamen regulariter non tenetur. » Et paulo ante : « Sententia regulariter loquendo non necessario debet, continere causam quae iudicem movit ad absolvendum et condemnan-

dum... Quin imo ut post Innocentium notat Io. Andreas *cit. cap. Sicut nobis et* Abbas *ibid. hoc tit. n. 11* et Engel. *cod. num. 26* non solum non tenetur iudex ad exprimendam causam, sed etiam fatuum est eam exprimere ; quia facile posset mala causa exprimi et bona supprimi ; et sic non valeret sententia. > In casu vero cum sententia lata sit post exhibita documenta et testes excussos, nulla profecto aderat necessitas definiendi rationem exprimere, cum ex ipsius sententiae verbis desumi possit. Ceterum haec causa non ex iis apparet in quibus, iuxta De Angelis *Praelect. iur. can. tom. uti. p. 2,* iudex debeat exponere rationes quibus motus fuit ad sic et non aliter iudicandum.

At nedum formam sed etiam substantiam mediolanensis sententiae iuri cohaerere Sacerdotes Chieppi et Crespi Porro asserunt ; ac idcirco plura afferunt ad naturam scholae festivae evincendam. Quod praecipue patere defendunt ex eo, quod ab initio ad haec usque tempora magistras in instituto Biotti extitisse omnes et vel ipsi adversarii fateantur. Hoc sane palam scribebat sacerdos Biotti ad Alexandrinum Patriarcham antequam iurium suorum praeposito cessionem faceret. Quod si his recentiora verba et scripta theologi haud cohaerent, utpote dicta aut exarata tempore suspecto, scilicet cum iam senex a praeposito circumventus fuit, repudianda esse proclamant.

Ipse vero parochus Tettamanti antequam sua iura parochialia in institutum Biotti exercere praesumpsisset, videtur illi eam naturam denegasse quam nunc vellet tribuere. Etenim cuidam mediolanensi ephemeridi, ut ipse non inficiatur, anno 1873. post eversionem domus ad S. Crucis, scribebat Biotti institutum Oratorii naturam haud praeseferre, sed esse « una scoletta di famiglia etc. » Quibus addi possent ea quae coram ecclesiastica curia retulit sacerdos Eduardus Gallazzi, cui praepositus non semel iniunxisset in processionibus SS. Corporis Christi praecedentiam instituto Biotti prae aliis non assignare quia « non era oratorio. »

Verum et plures alii afferuntur testes qui scholae insti-

tutionem affirmant et uno veluti ore proclamant theologum non oratorium sed scholam tantum constituisse. Testis insuper adest prorsus insuspecta a tribunali ecclesiastico ex officio advocata Adeles Giannetii praeses sororum S. Vincentii a.Paulo provinciae Vercellensis, quibus olim pii instituti regimen demandare ipse sacerdos Biotti volebat. Porro praeses a iudicibus sciscitata de huiusmodi instituti natura, respondit, praefatos Sacerdotes non oratorium sed scholam sororibus regendam tradidisse ; et a propriis constitutionibus vetitum esse oratorii regimen suscipere.

Praeterea eadem Adeles Griannetti nonnullas literas a sacerdote Biotti praesidi sororum conscriptas Curiae Mediolanensi exhibuit, ex quibus liquet ipsum non oratorium, sed scholam a laica iurisdictione independentem instituere voluisse. Quae vero ab adversa parte allegantur, in quibus[4] de oratorio sermo est, post cessionem praeposito factam theologus Biotti sororibus scripsit.

Praeter haec observant, ad hoc ut instituto Biotti religiosa indoles seu ut aiunt oratorii natura adstrui posset, necessario requiri in pia domo sacelli existentia ad sacras functiones peragendas. Iamvero, eo tempore excepto, quo theologus in aedibus Candiani puellas coegit, ab anno 1871, quo apud S. Crucis migravit usque adhuc neque Ecclesiae usum, neque privatam aediculam usquam habuit. Nec regerere valet illius erectionem animo volutasse; nam dato etiam quod id perficere quandoque voluisset theologus, res pene incredibilis videretur quod praecipuum esset negligere, et tantum scholarum institutioni sedulo incumbere.

Sedulo afferunt scholarum normas vulgo *oravi,* tesseras clavium, librorum frontes, scenicae actionis schedulas aliaque, in quibus vel ipse sacerdos Biotti propria manu scripsit « scuola festiva > vel tempore non suspecto eadem verba exarari iussit. Nec desiderantur quorumdam declarationes, qui scripto asserunt se scholae et non oratorio stipem conferre voluisse.

His vero incassum opponi edicunt, quod puellarum sub-

sellia et lignea scamna inustam praeseferant literam O. Etenim stigma illud, fatente praeposito, 25 abhinc annis adhiberi coepit, cum scilicet sacerdos Biotti in domo Candiani consisteret, quo tempore ante puellarum divisionem ibi forsan oratorium extitisse nemo infìciatur. Ad hoc etiam referri debet inolita appellatio « oratorio del teologo » qua pluries ipse sacerdos Chieppi vulgo usus fuit. Quae tamen nihil prorsus efficere memorant, cum rei alicuius natura, praesertim cum plura obstent documenta, nequaquam ex nomine desumi debeat.

Neque validius argumentum deduci existimant ex verbis Mediolanensis Archipraesulis et Patriarchae Alexandrini. Siquidem primus in sua epistola ad sacerdotem Biotti probans sororum charitatis adventum, vocat institutum « scuola éd oratorio festivo » seque ostendit de religiosa puellarum institutione sollicitum, quae de vero oratorio dici nullatenus potuissent. Alter vero Antistes dum in loco Busto Arsizio brevi moram faceret, cum hospes in praepositi domo diversaretur quod ab eo acceperat de instituti natura probabiliter epistolae consignavit.

In vado posita scholae natura, ad secundam partem mediolanensis sententiae sustinendam progredientes, evincere satagunt sibi eadem prorsus iura ac praeposito Tettamanzi in themate esse adiudicanda. Hic igitur tuentur ad se condominium aedium spectare nec non scholarum moderationem ex pluribus monumentis demonstrari. Et primo adest publici tabulam instrumentum diei 24 Aprilis 1882, quo emptio facta fuit. Adsunt testes qui haec confirmant, neque desunt documenta ex quibus eruatur emptionem a Chieppio praecipue ad exitum fuisse perductam. Quod si ex adverso theologus aliique, fiduciario tantum nomine inscriptos proclamant, haec est assertio quae scripta monumenta labefactare non potest *I. 1. Cod. de testibus.* « Contra scriptum testimonium non scriptum non profertur » et *I. 31. Cod. De donationibus* » « Superfluum est privatum testimonium, cum publica monumenta sufficiant. »

Insuper plurimas acceptilationum syngraphas exhibent, in quibus innuitur nonnullas pecuniae summas vel ex propria crumena vel ex piorum oblationibus acceptas, in pium opus impendisse. Addunt a theologo usque ad annum 1886 se uti vere condominos et regiminis participes fuisse habitos, atque ad hoc evincendum facta aliqua et testium dicta memorant, ex quibus colligi datur, tres presbyteros simul Vercellas perrexisse et cum sororibus S. Vincentii a Paulo fuisse collocutos ac si eadem prorsus iura illis inessent.

Ceterum dato etiam et non concesso, sacerdotes Chieppi et Crespi Porro nihil in piam institutionem contulisse, non exinde sequeretur ipsi uti theologi Biotti successori iura potiora fuisse devoluta. Ageretur enim de donatione inter vivos' quae profecto ex sola auctoris poenitentia revocari non posset. Iamvero ex *I. 24 ff. De reg iuris ant.* « Nemo plus iuris ad alium transferre potest, quam ipse haberet > et ex Regula *79 in VI* « Nemo potest plus iuris transferre in alium quam sibi competere dignoscatur. » Cum igitur anno 1886 theologus Biotti tertia dumtaxat proprietatis parte potiretur, evidens est eamdem portionem praeposito devenisse.

Deinde fere innumera contra testes a praeposito indigitatos in medium proferuntur. De pluribus innuitur quod in attestatione ferenda non veritatem sed alias causas animo obvolverint, ac eorum dicta repudiantur invocato effato iuris « testibus fides adhibenda non est, « quibus imperari potest ut testes fiant. »

Postremo in puncto iuris observatum fuit, quod sive oratorium sive schola sit pia institutio de qua controvertitur, nihilominus parochi primatui et tutelae nullimode obnoxia videtur. Sane exploratum est parochos in foro externo nullam proprie dictam iurisdictionem habere sed simplex regimen paternum. Quare si auctores evolvantur qui fusius de eorum iuribus disserunt, in accurata enumeratione, nec vola nec verbum reperitur de auctoritate quam sibi in themate praepositus vindicat. Schmalzgrueber *Part, III tit. 29 § 2,*

De Luca *De parochis disc. 24 n. 8,* Bouix *de Parocho,* Monacelli *form. leg. pract. t. 1 for. 18 n. 4,* Barbosa *De off. et potest, parochi* etc. Quin imo ex Decreto Urbis et Orbis SS. RR. C. anni 1703, eruitur pias congregationes in oratoriis ab Ecclesiis parochialibus seiunctis existentes nullam habere a parocho dependentiam nec quoad functiones sacras non paroeciales, sed tantum subiici auctoritati Episcopi, a quo, ad iuris tramites pia opera dioecesis immediate dependent.

Nec validiori argumento probari potest scholas festivas parochis subesse. Nam *cap. 3 De vita et hon. cler.* iuxta Glossam de schola cantus intelligi debet, et reliquae auctoritates nonnisi legum particularium dispositiones exhibent. Ipsa Synodus Mediolanensis ab adversa parte prolata praescribit ut huiusmodi scholae ab Episcopis dependeant. Parochis autem dumtaxat vigilantia quoad vitam et privatos magistrorum et adolescentium mores reservatur. His demum adstipulatur Constitutio pro pontificia ditione fel. rec. Leonis XII < Quod divina sapientia » ubi inter cetera haec leguntur: « his publicis scholis episcopus praeerit, sive per se, sive per virum ecclesiasticum a se deligendum. Episcopus, vel ab eo deputatus vir advigilabit super omnibus, quae ad doctrinam moresque pertinent, itemque dabit operam ut praeceptores doceant suos discipulos rudimenta fidei et dogmata religionis. »

Hisce disceptatis, propositum fuit enodandum sequens

Dubium

An sententia curiae ecclesiasticae Mediolanensis diei 21 Decembris 1889 sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa sub die 27 Iunii 1891, censuit respondere : *Sententiam esse infirmandum et ad mentem.*

EX QUIBUS COLLIGES. 1. Parochos vel eorum loco Clericos teneri praeter legere, et scribere, rudimenta fidei scho-

las dominicales frequentantes docere ; vel magistrorum quorumcumque in suis paroeciis degentium vitae et morum rationem vigilare, et puerorum institutionem respicientia munera observare,

II. Pro tribunalibus ordinarii et praecipue pro iudicibus ordinariis rationes et motiva edita ad non aliter iudicandum in sententia exprimi oportere, ut partes deliberare possint utrum expediat appellationis remedium invocare.

III. Ad legitima fundatoris iura per participationem acquirenda quamlibet dotationem satis haud esse, sed dotationem antecedenti saltem aequalem requiri, quia augmentum dotis non est dotatio, et qui auget dotem dicitur benefactor non donator.

IV. Legem fundationis talem praesumi, qualem fundator ad actum perduxit.

V. Hinc in operis qualitate et natura exquirenda, omnium optimam ac fìdissimam esse interpretationem, quae ex facto ipso fundatoris dérivât.

VI. Fundatorem posse etiam tractu temporis aliquam conditionem et qualitatem suae institutioni adiicere et maxime suum opus perficere.

ROMANA

INTERPRETATIONIS RESCRIPTI

Die 25 Iulii 1891.

Per Summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Nuperrime S. Congregationi C. porrectae fuerunt literae, huius tenoris: S. Poenitentiaria, in facultatibus concessis Ordinariis locorum ad ineundas compositiones cum iis, qui cum emerint bona immobilia, census, iura Ecclesiae, etc. expetant reconciliari cum ipsa, praescribit eisdem Ordinariis quod de consensu eorum qui respectivas causas pias repraesentant aliorumque interesse .haben-

tium admittere ad compositionem, quae considerato eorumdem fundorum, seu iurium valore reali, praetio emptionis, actuali oratorum statu et eo, in quo ipsi oratores cum damno ecclesiae ditiores facti sint, ratione praecipue habita onerum piorum, si qua adsint, aliisque omnibus perpensis adiunctis, aequa videantur. »

Emi atque Revmi Ordinarii romanae Regionis, quum convenerint pro annuis de more consiliis, ad examen revocatis dictis facultatibus, constituerunt exposcere a S. C; C. solutionem dubii sequentis.

Ad compositionem exposcentes qui bona mensae episcopalis emerint, Ordinarius dictis facultatibus praeditus excipere valeat eandem compositionem, inconsulto capitulo Cathedralis, vel obtinere debeat consensum, aut saltem eius exquirere consilium.

Disceptatio Synoptica.

Ex officio animadversum fuit, praeter casus de quibus expresse ius cavet, Episcopos debere de consensu capituli agere « in omnibus negotiis, in quibus ecclesiae et successoribus notabile praeiudicium generari potest. » Schmalzgrueber *p. 1 tit. 10 n. 8.* In huiusmodi vero compositionibus posse aliquando et damnum ecclesiae et successoribus inferri nemo est qui ambigat. Attamen Reiffenstuel *h. Ut,* § i *n. 12* in hoc aliquatenus differt, scribens: < generatim requiritur consensus capituli in omnibus illis casibus seu negotiis in quibus vertitur ecclesiae aut ipsius capituli interesse sive praeiudicium, > quae verba interpretationem libertati Episcoporum favorabilem admittere possent.

Praeterea exploratum in iure est, capituli consensum inter solemnitates adnumerari debere, quae ad alienationem sunt necessariae. Cum autem in themate ecclesia venditiones, a gubernio per iniuriam factas, ratas habeat et aliqua summa accepta quodammodo confirmet, iam videri posset de vera alienatione agi, quae inaudito capitulo fieri nequeat.

Sed, praeterquam quod agitur plerumque de parvis pecuniae summis et multa dici possent de huiusmodi alienationis natura, perpendendum est adfuisse iam beneplacitum apostolicum, de cuius effectibus ita egregie disserit Card. De Luca *De Aliénât, dic. 1 n, 4.* « Cumque inter solemnitates a iure communi praescriptas, praecipua sit illa consensus capituli, crediderunt aliqui istam solemnitatem a dicto beneplacito apostolico non suppleri, sed necessariam esse. Verius tamen est contrarium, quamvis dictum beneplacitum contineat clausulam vocatis vocandis vel servatis servandis, nisi idem Capitulum interessatum sit, ideoque eius consensus intervenire debeat pro interesse, non autem pro solemnitate. Solumque ex deductis apud Barbosa *alleg. 95 n. 70,* videtur hanc solemnitatem consensus capituli requiri ubi agatur de alienatione bonorum mensae episcopalis ex auctoritate Rotae apud Seraph, *decis. 443 n. 4.* Quod tamen minus verum videtur, ut etiam receptus usus docet, dictaque decisio potius contrarium innuit quoties agatur de bonis mensae episcopi vel praelati, atque bene verificetur causa utilitatis. > Quibus relatis nihil aliud addendum videtur, cum tota quaestio in interpretatione verborum « aliorumque interesse habentium » perstringi videatur.

Num autem in themate canonici, saltem lato sensu, interesse habentes dici possint, et si eorum consensus non requiratur, num saltem consilium, ut in rebus maioris momenti peti debeat, iudicio EE. Patrum remissum fuit.

Quibus praenotatis, quaesitum est quid esset respondendum Ordinariorum dubio.

RESOLUTIO. Sacra O. C. re cognita sub die 23 Iulii 1891 censuit respondere : *Ordinarium teneri obtinere consensum Capituli.*

Litterae Apostolicae quibus Hierarchia Episcopalis in Iaponia constituitur.

Non maius Nobis neque optabilius solatium esse potest, in hoc turbulento et aerumnoso rerum' humanarum cursu, quam ut catholicae religionis lumen apud dissitos populos ignarosque veritatis late propagari , iisque cum Christi doctrina et libertate, veram prosperitatem et salutem feliciter afferri videamus. In hoc praecipui momenti opus gratissimum est Nobis curas omnes et studia conferre, omnique ope adniti, ut praesto sint omnibus gentibus ad catholicam pietatem praesidia, ad christianae vitae disciplinam ministeria, eaque recte constituta suam vim et virtutem expromant, unde illud Nos assequi gaudemus, ut divinae serviamus gloriae, ac pro munere Nostro adiutores divinae erga homines bonitatis simus.

Hoc animo comparati magno sane cum gaudio conspicimus in Iaponico Imperio christiana instituta et sacra hoc tempore, divini Numinis ope reviviscere, atque in hac extrema et illustri orientis solis regione liberum patere campum Evangelicae veritatis praeconibus ad fidem catholicam serendam et propagandam, quam apostolici viri saeculo XVI. ad omnia discrimina impavidi, in eas oras intulere, suisque sudoribus et sanguine irrigarunt.

Quo enim tempore schismatum et haeresum labes, plures Europae urbes infecerat, strenui catholicae veritatis ministri, ignotas et inexploratas terras, quas paulo ante, versis in altum proris, fortes et expedentes navitae patefecerant, adire non dubitarunt, non aliud operae pretium petentes, quam ut Christi nomine adlato, ad Ipsum in quo est vita, salus et resurrectio nostra, nescias mentes et devia corda converterent. Hisce veritatis nuntiis faustus aditus in Iaponicam regionem patuit anno supra sesquimillesimum quadragesimo secundo, cum Lusitani, quorum ingens animus et praestans virtus in maritimis expeditionibus merita ad posteros gloria fulget, ad eas oras multis perfuncti periculis appulissent; anno deinde eiusdem saeculi nono et quadragesimo ad faustitatem Iaponiae gentis contigit, ut S. Franciscus Xaverius Apostolorum veterum virtutis heres, opere et sermone potens Iaponiorum insulas, ad monstrandum gentibus rectum salutis iter ingrederetur. Quo pollebat Dei spiritu magnus hic sospitator orientis, nullis parcens laboribus, innumerabilem hominum vim Christo lucrifecit ; eiusque vestigia illustres sodales eius deinde sequuti, in plures Imperii magni

provincias successere, ea felicitate curarum, ut brevi tempore centena plura hominum millia baptismate sancto abluerint, qui ab inanium deorum cultu, ad laeta Domini pascua caulasque transierunt. Horum porro aemulatores praeclari viri e Franciscali e Dominiciana familia et Augustiniani sodales ex ordine Eremitarum extitere, qui in patentes Iaponiae partes effusi, magno ubique ministerii sui fructu, Christi regnum amplificarunt.

Auspicatissimis hisce rei christianae incrementis permotus S. Pius V. decessor Noster anno MDLXVI. cum Patriarcha Aethiopiae egit, ut in Iaponiam ad catholici ministerii opera adiuvanda migrarci, ac deinde Episcopalem Sedem, (quod Lusitaniae Regi Fidelissimo in votis erat) apostolica auctoritate constituit, eiusque procurationi Iaponicas insulas, quas hac occasione a dioecesi Macaonensi in cuius ditione erant seiunxit, addictas omnes creditasque voluit. Novo sacrorum Antistiti sedes in civitate de Funay attributa fuit, collatis eidem facultatibus et iuribus omnibus, quae ad rem christianam bene gerendam usui esse posse viderentur. Haud quaquam tenues aut ignobiles et obscuri fuere fructus, qui ex providis S. Pii V. curis manarunt, ut successores eius latere possent: viderunt enim verae fidei lucem in Iaponia ab infimis primum hominibus, mox Deo incrementum afferente a nobilioribus receptam, tandem ad Principes, ad Dynastas, ad Reges ipsos pervenisse. Splendidum huius rei argumentum praebuere anno MDLXXXV. tres nobilissimi Principes, Rex scilicet Bungi, Rex Arimanorum et Princeps Omuranorum, qui ad Pontificem Maximum Gregorium XIII. (is enim S. Pio V. in Romana Sede successerat) lectissimorum virorum legationem, ad obsequium, fidem, pietatem suam erga Apostolicam Sedem declarandam mittere non dubitarunt, quae legatio ex ultima Orientis regione profecta, nullis ante saeculis visa, genere suo amplissima, magnam in hac urbe apud omnes ordines admirationem habuit, celebritatem, gratulationem. Clarissimos viros summo loco natos Pontifex Maximus in amplissimo S. E. R. Cardinalium conventu, in magna Principum Antistitumque frequentia, summo omnium ordinum studio et celeberrimo comitatu, praecipua cum significatione benevolentiae et existimationis accepit, omni quo par erat officio prosecutus est: eosdemque Sixtus V. cui Pontificatus Maximus post Gregorium delatus est, summo in honore habuit, et in patriciam Urbis nobilitatem, qua erant fidei et generis claritate, cooptatos voluit.

Sed tantam hanc rei christianae in Iaponia prosperitatem, gravis admodum excepit insequutis temporibus et foeda tempestas, Taicosama aliisque deinceps Principibus imperantibus catholicae religioni infensis,

et ab ea humanitate longe abhorrentibus, ex qua non exigua hoc aevo, Iaponico Imperio gloria redundat.

Eius enim acerbitate temporis non in externos solum sacerdotes et religiosos viros, sed in ipsos Iaponios cives catholicae fidei excindendae causa, usque adeo saevitum est, ut fideles turmatim carnificibus obiicerentur: at cruciatus, caedes, terrores non ad labefactandam eorum constantiam, sed ad illustrandam martyrii palma ipsorum virtutem valuere. Tandem fidelibus qui cladi superfuerant tum civibus, tum exteris e Iaponia eiectis exturbatis, publicoque edicto proposito ne cui catholicam religionem exercere ius fasque esset, quantum christiani nominis in ea regione erat, deletum penitus et extinctum visum est.

Verumtamen cum plures post annos adversorum temporum flamma remisisset, nihil antiquius fuit Decessoribus Nostris, quam pro suo munere operam dare collapsis in Iaponia religionis rebus restituendis, et evangelicis operariis excitandis ad capessendum apostolicum munus, et Christi militum qui mactati fuerant copias redintegrandas. In hac re enituit in primis Urbani VIII. magnitudo animi; is enim npn modo quae a decessoribus suis Gregorio XIII. Clemente VIII. et Paullo V. constituta fuerant in usum revocavit, sed providentiae suae curas latius etiam manare voluit. Studio eius obsecutum sacrum Consilium fidei propagandae, a primoribus coepti sui ministerii annis, reparandis in Iaponia religionis detrimentis suam opem conferendam censuit, atque ex Apostolica auctoritate decreta edidit, quae ad perfectam voluntatum et animorum concordiam inter sacrarum expeditionum viros, statuendam tuendamque, ad Seminarium Iaponiorum in Urbe Manila situm, in suo statu et vestigio conservandum, ad novum Episcopum Iaponiae fidelibus praeficiendum, pertinebant. Nec porro insequentibus temporibus destitit Vicariis Apostolicis et sacrorum administris finitimarum Iaponiae regionum, ad ministerium inter Iaponios aggrediendum stimulos admovere: sed conantibus ab incoepto absistere necesse fuit, iis impedimentis et difficultatibus oblatis, quae nullum eorum operae locum potestatemque relinquerent. Interea obsepta licet Christi religioni omnis via esset, effusus tamen a veteribus christianis sanguis effecerat, ut plurium christianorum vigeret in Iaponia seges, quippe fides catholica olim publice consita, deinde exagitata et eiecta, pluribus in familiis quae eam studiose fovebant, privatim diuque latuit occulta. Non semel enim, non superiore modo, sed hoc ipso ineunte saeculo ad divinae providentiae gloriam compertum fuit, non exiguum fidelium numerum in Iaponiae vicis praesertim et oppidis versari, qui traditam

a veteribus Evangelii praeconibus fidei doctrinam religiose apud se retinerent, et vero Deo cultum ex catholica disciplina persolverent.

Novissimis autem hisce temporibus divinae clementiae placuit fauste illud et feliciter evenire, ut Catholicis ex Europa advenis veterum Iaponiae fidelium ex insperato occurreret obvia progenies, et religio Catholica in pristinas sedes aperta semita remearet Expeditiones quippe quas Gallicum Imperium nostrorum memoria temporum in Iaponiam destinavit, laetam opportunitatem et facultatem praebuere Evangelii nunciis, ut in Legatorum qui, ad publicas pactiones ineundas missi fuerant clientela et fide, regionem ipsam veterum sodalium vestigiis impressam attingerent. Rerum quidem initia ipsis plena negotiis et aspera difficultatibus extitere, sed haec tanti non fuerunt apud decessorem Nostrum Gregorium XVI., ut eum a Vicariatu Apostolico ex sententia sacri Consilii fidei propagandae, apud Iaponios constituendo déterrèrent. Haec vicaria procuratio, simulque Episcopalis dignitas Augustino Forcade Sacerdoti e Seminario Parisiensi ab exteris expeditionibus anno MDCCCXLVI. demandata fuit, eique munus datum, ut una cum adiutoribus suis non modo in Iaponia insulisque conterminis, sed etiam in Liou-Kou (id insulae nomen) rem christianam administraret. Plures obstitere causae quominus ipse delato munere fungi posset, sed collegae eius Seminarii Parisiensis sacerdotes, propositam suae virtuti occasionem alacriter arripuere, atque in hac, uti in aliis expeditionibus ita plures annos versati sunt, ut praeclara prorsus ediderint suae pietatis et constantiae magnis in laboribus argumenta. Praecipue vero divinae benignitatis gratia effulsit in illustri alumno Seminarii Parisiensis presbytero Girard, qui stabili sede inter Iaponios posita, iis ad Christum adiungendis superiorum omnium primus feliciter adlaborare potuit, cuius rei causa ab Apostolica hac Sede provicarii nomen et potestatem accepit. Faustis ille quidem, tum sibi tum Iaponiae genti, Iaponicum solum attigit auspiciis ; namque ut olim S. Franciscus Xaverius die receptae in caelum Deiparae sacro, sic ipse Iaponem ingressus est anno huius saeculi quarto et quinquagesimo, quo immaculati Deiparae conceptus gloria supremo magisterio decessoris Nostri Pii IX. consecrata et catholico orbi promulgata, universi christiani populi animos in unius fidei pietate et obsequio coniunxit. Nec longe ab eo tempore quo ipse in Iaponia constitit, ritus et sacra catholicae religionis in sedibus legationis Gallicae obire publice coepit : deinde in urbe Yokoama primum Deo vero templum, quod Iaponicae pietati gratissimum accidit, dedicatum est, tribus poene saeculis elapsis ex quo catholica religio e Iaponia exulare iussa fuerat, nec multo post

alterum in civitate Nagasaki honori sex et viginti Martyrum Iaponensium excitatum est, quibus decessor Noster Pius IX. sanctorum caelitum honores decreverat. Qua sunt Iaponii naturae indole ad honestatem et humanitatem in primis propensa, nequaquam inertes et segnes ad Christi religionem suscipiendam se praebuere, et confestim e fertili campo uberrima messis emicuit cathecumenorum ad decem millia, qui sese instituendos in catholica doctrina obtulere, ut deinde salutari lavacro expiarentur. Quamquam autem hoc ipso tempore antiquus humani generis hostis novas irarum faces in catholicum nomen incendere aggressus esset, et gravia pericula viderentur imminere, brevi tamen propitia divini numinis ope, hostilis resedit furor, ac tranquillitate reddita, fidei germina quae diu in Iaponia latuerant, Evangelii ministris illic versantibus, palam se prodiderunt. Veterum enim fidelium posteris fidenter in lucem publicam prodeuntibus, plus decem millia hominum reperta sunt, in quos catholicae fidei hereditas a patribus integra et incorrupta manaverat. Scilicet divina Providentia servaverat prisca renascenti in Iaponia Ecclesiae fundamenta, super quae ipsa iterum aedificata consurgeret, servaverat.decus, ut novi fideles non veluti hospites et advenae, sed cives et domestici veterum Iaponiae Martyrum, in unam cum ipsis compagem coalescerent.

Cum haec ita se haberent de sententia Consilii Nostri fidei propagandae anno huius saeculi sexagesimo sexto, novus Iaponiae Vicarius Bernardus Petitjean, idemque Episcopus titularis Myriophytensis auctoritate Apostolica renunciatus est, qui magna cum sollicitudine rei «christianae ordinandae animum et vires intendit. Decem exinde post annos vicaria procuratio bifariam divisa et distributa fuit, Iaponia scilicet septentrionali ab australi seiuncta, ac in utriusque regionis partes Apostolicis viris confluentibus plurima ubique magisteria ad catholicam institutionem tradendam, confestim Iaponiorum utilitati patuerunt. Tres autem ante annos novis praesidiis rei sacrae administrationem Nos instrui oportere intelligentes, novum Vicariatum in ipso Imperii gremio, centralem appellantes constituimus; hoc autem anno Vicariatum alterum excitavimus in ea Iaponis plaga, quae propius septentriones spectat.

Cum vero. postremis hisce temporibus humanitate et aequitate Iaponia Imperii erga catholicae veritatis magistros, satis prospero res christiana cursu frueretur, haudquaquam praetermittendum duximus , quin litteris Nostris Supremo Imperanti grati animi sensus ederemus, significatione adiecta, quantum propensae Eiusdem in Christifideles voluntati et constantiae confidamus. His litteris datis plenum humani-

tatis et officii responsum a Maiestate Eius accepimus, per virum spectatissimum legationis nomine in Urbem ad Nos missum, cum solemnia anni quinquagesimi a sacerdotali Nostra consecratione ageremus.

Nunc itaque religionis in Iaponico Imperio rationibus uberiores Nostrae providentiae curas feliciter postulantibus, iustisque causis animum Nostrum ad optimam spem erigentibus, maturum tempus adesse arbitramur, quo hierarchicam rei sacrae administrationem ad canonicarum legum praescripta in eodem Imperio constituamus, eaque constituenda efficiamus, ut praesidia omnia et beneficia e catholica religione promanantia, abunde et opportune a Iaponiis fidelibus, uti cuique opus et studium fuerit, percipiantur.

Quamobrem rogatis uti par erat VV. FF. Nostrorum S. E. R. Cardinalium e sacro Consilio Fidei propagandae sententiis, fusis ad Omnipotentem Deum precibus, implorataque ope Deiparae Virginis sanctorum Apostolorum Petri et Paulli et Francisci Xaverii, qui ministerium veritatis et salutis in Iaponia gessit, nec non et inclitorum Martyrum, quorum olim triumphali sanguine Iaponicum solum perfusum est, motu proprio certa scientia et matura deliberatione Nostra, de Apostolicae potestatis plenitudine ad maiorem divinae Maiestatis gloriam fideique catholicae incrementum, his litteris Nostris Episcopalem Hierarchiam in Iaponico Imperio excitamus et constituimus, atque illustrem Urbem Tokio quae Imperii caput et Serenissimi Imperatoris sedes est, ad Metropolitanae seu Archiepiscopalis Sedis dignitatem evehimus, ditioni eius attribuentes, ad septentriones totum eum tractum qui Provinciarum Itchigo Iwatshiro Iwaki fines australes attingit , ad austrum totam plagam quae integras Provincias Jetchidjen Mino et Owari complectens, usque ad lacum Biwa patet, ad ortum et occasum regionem totam utrimque patentem, usque ad oras quae mari alluuntur.

Huic autem Metropolitanae Ecclesiae tres Episcopales seu suffraganeas Sedes adiicimus, quarum alteram in urbe Nagasaki Iaponensium Martyrum nobilitata trophaeis, alteram in civitate Osaka, tertiam in urbe Hakodate erigimus et constituimus. Nagasakiensis sedes Iaponiae regionem quae magis in Austrum vergit complectetur, insulas scilicet Kiou-Chiou Hirado Goto Tsuchima Lioukou, nec non minores alias, quas circumfusas pelagus ambit.

Osakensis sedes centralem Iaponiae partem obtinebit, nempe totum eum tractum, qui a lacu Biwa et a finibus Provinciarum Imperii letchidyen Mino et Owari, ad occidentales usque oras magnae Insulae de Nippon pertinet, adiecta insula Chicocou, aliisque obiacentibus,

quae sub potestate Magistratuum Provinciarum quas supra diximus, continentur.

Hakodatensis tandem Dioecesis regionem totam habebit, quae propius septentriones subit, scilicet ad B.oream totum territorium Jezo et insulas Kouriles complectetur, et ad austrum integras Provincias Itchigo Iwatshiro Iwaki, quas supra memoravimus.

Quo vero Sedibus quas constituimus de idoneis Pastoribus provideamus, Vicarios Apostolicos qui antehac suas curas Catholicae Religioni in Iaponia provehendae sedulo contulere, his Nostris litteris Ordinariorum Episcoporum iure ac nomine insignimus, scilicet Venerabiles Fratres Petrum Osouf ab titulari Ecclesia Arsinoite ad Metropolitanam Sedem Tokiensem, Iulium Alfonsum Cousin a titulari Ecclesia Acmoniensi ad Sedem Episcopalem Nagasakiensem, Felicem Midon a titulari Ecclesia Caesaropolitana ad Episcopalem Sedem Osakensem, demum Alexandrum Berlioz a titulari Ecclesia Calyndensi ad Episcopalem Sedem Hacodatensem transierimus et promovemus.

Archiepiscopi autem et Episcoporum munus erit, coniunctis animis et studiis rite ordinandis Ecclesiae rebus, et Christi Domini regno amplificando operam navare, itemque rectae rerum sacrarum administrationi accurate consulere. Nobis autem nihil unquam antiquius futurum, quam auctoritate, consilio, ope Nostra iisdem praesto esse in omnibus , quae ad divini nominis gloriam et animarum salutem pertinere intellexerimus.

Cum porro Iaponici Imperii studium luculenter eniteat in iis peragendis, quae ad utilitatem, prosperitatem, decus Iaponici nominis potissimum spectant, nihil dubitamus auctoritate publica cautum fore, ut novis Pastoribus plena ea libertas ministerii constet, cuius ope non modo christiana sapientia, sed verae etiam humanitatis laus in populos propagetur. Annuat dives in misericordia Deus, qui facit mirabilia magna solus, ut suae bonitatis divitiis in unius fidei confessione, et in catholicae Ecclesiae gremio, Iaponiae cives universi late perficiantur.

Decernimus tandem has Nostras litteras nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis vitio sive intentionis Nostrae, alioque quovis defectu notari vel impugnari posse, et semper validas ac firmas fore, suosque effectus in omnibus obtinere, ac inviolabiliter observari debere.

Non obstantibus apostolicis atque in synodalibus provincialibus et universalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus sanctionibus, nec non veterum Sedium existentium olim in Iapone, et Missionum ac Vicariatuum Apostolicorum ibi constitutorum, et quarumcumque Ecclesiarum ac piorum locorum iuribus aut privilegiis, iuramento etiam

confirmatione Apostolica, aut alia quacumque firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. His enim omnibus tametsi pro illorum derogatione specialis mentio facienda esset, aut alia quantumvis exquisita forma servanda, quatenus supradictis obstant expresse derogamus. Irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter aut ignoranter contigerit attentari. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, manuque publici Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum suo sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi, ipso hoc diplomate ostenso, haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XV. Iunii anno MDCCCXCI. Pontificatus Nostri XIV.

M. CARD. LEDÓCHOWSKI

LITTERAE APOSTOLICAE Sanctissimi D. N. Leonis Papae XIII, quibus Collegium clericis Maroniticis instituendis in urbe constituitur.

Sapienter olim et feliciter mens provida Decessoris Nostri Gregorii XIII illustris Maronitarum Nationis ¡bono consuluit, qui probe perspiciens quantum solidae doctrinae excultaeque virtutis laus non ad privatam modo, sed ad publicam utilitatem conferat, Maronitarum Collegium in hac alma urbe constituit, in quo iuvenes Clerici eiusdem Nationis ad optima studia et ecclesiasticam disciplinam rite excolerentur. Tantum Pontifex ille providentissimus operae pretium se facturum in eo Collegio excitando existimavit, ut eius causa hospitalem domum peregrinis Maronitis excipiendis, ad S. Iohannis de Ficoria in regionario vico ad lacum Virginis antea in urbe a se fundatam, in sedem memorati Collegii converterit, ac per Apostolicas litteras anno MDLXXXIV datas, pristinum hospitalis domus institutum, ad iusti et legitimi Collegii ius et conditionem evexerit. Huiusmodi Collegii sedes duo amplius saecula incolumis mansit, ac divina adspirante gratia ex eius disciplina illustrium virorum seges laetissima prodiit, qui uti eorum temporum memoria docet, et egregie de Ecclesia meruerunt, et Maroniticum nomen sua eruditione ac laboribus illustrarunt. In hac praestantium alumno-

rum copia iuvat memorare Assemanos, ac Iosephum Simonium praecipue celebri fama virum, cui orientales litterae et Vaticana Nostra Bibliotheca plures veteris eruditionis et doctrinae thesauros debent, Abrahamum item Ecchellensi, doctorum virorum laudibus commendatum, quibus praeclarissimi ahi ex alumnorum numero viri accensendi sunt ad Patriarchalem vel Episcopalem dignitatem evecti, quorum et doctrinae praestantia, et virtus in reducendis ad catholicam unitatem deviis hominibus splendide effulsit. Ob tantum huius Instituti fructum et gloriam, non potuit non molesta graviter et acerba accidere Maroniticae genti, adversa ea quae contigit initio huius saeculi eidem Collegio fortuna, namque propter perturbationes temporum, cum plura ecclesiastica bona in urbe venirent, alumnorum etiam suorum Collegium ea calamitate perculsum vidit, eiusque aedes in aliorum possessionem potestatemque translatas. In his tamen adversorum temporum fluctibus, curae fuit Decessoribus Nostris, quae pauca superfuerant de Collegii bonis, veluti naufragii reliquias, colligere ac tueri, eorumque reditus instituendis in Collegio Urbaniano aliquot Nationis Maroniticae clericis attribuere, ut quorum bona erant, ipsi eorum beneficio salutariter fruerentur.

Haec cum Nobis omnia perspecta et cognita essent, aegerrime semper tulimus Maronitas Libani incolas pluribus nominibus illustres pristina apud hanc Apostolicam Sedem ecclesiasticae institutionis domo carere, ac diu eam cogitationem aluimus auctoritate operaque Nostra efficiendi, ut eorum Collegium in hac urbe olim fundatum ab interitu revocaretur. Id enim a Nobis expetere putabamus paternum studium, quo in omnes orientis catholicos affecti sumus, et suo quodam iure Maronitas promereri qui avitae fidei cultores, firmam semper praetulere in ea retinenda et conservanda constantiam, et latius etiam proferenda virtutem. Huc etiam accessit quod non iteratis solum votis Patriarcha aliique Maronitarum Antistites, Collegii Nationis suae restitutionem a Nobis postulaverint, sed subsidia etiam huius rei causa comparare atque conferre studuerint, quae licet paria necessitati non sint, firma tamen spes adest fore, ut et Maronitarum et aliorum fidelium liberalitate suffragante, iusto Collegii patrimonio plene tandem consuli possit. Nos autem ipsis gratifican pro viribus cupientes, et nobilissimum opus ope Nostra iuvare, sedem in hac urbe designabimus Collegii Maroni-

tici usibus opportunam, quam eidem Collegio pleno iure in perpetuum attribuemus.

Nunc itaque votis Patriarchae et Antistitum Maroniticae gentis libenter annuentes, et quod propositum Nobis diu fuit, optatum ad exitum adducentes, his litteris auctoritate Nostra Apostolica ad maiorem Dei gloriam, ad incrementum catholicae apud orientis populos religionis, ad decus utilitatem que Maroniticae Nationis Collegium in hac alma urbe Clericis Maroniticis instituendis instauramus, restituimus ac denuo excitamus, ad leges quae infra dicuntur, idemque Collegium eodem iure esse volumus, quo quae optimo et legitimo iure Pontificia clericorum Collegia in urbe sunt.

Cum porro maxime optemur ut hoc Maronitarum Collegium ad veterem dignitatem et decus assurgat. confidimus studiosae Nostrae in ipsum voluntati, uberes alumnorum in virtute et doctrina progressus vicissim responsuros.

Collegium itaque ipsum in ditione et potestate Consilii Nostri fidei propagandae, orientalis ritus negotiis praepositi, perpetuo sit, ac iisdem regiminis et disciplinae legibus utatur, quae in Urbaniano collegio fidei propagandae vigent.

Cardinalis qui sacri Consilii fidei propagandae generalis Praefectus est, quique in posterum futurus sit, Patroni seu Protectoris Maronitarum, in urbe Collegii, munus in perpetuum gerat.

Cum vero maxime intersit ad rectum Collegii regimen eiusque prosperitatem, Rectorem caeterosque Moderatores constitui, qui magis idonei ac utiles bono eiusdem videantur, Cardinali Patrono tribuimus, ut quaesita etiam sententia Consilii Cardinalium, de quo supra diximus, rectorem aliosque Collegii moderatores designet, deque iis ad Pontificem Maximum referat, ut qui designati fuerint, eorum eligendorum Pontifex Maximus auctor fiat.

Sacerdos Maroniticae Nationis a Patrono deligatur qui sedem in Collegio habeat, quique sedulam det operam alumnis excolendis et exercendis in iis quae ad sacram Liturgiam, atque ad sacrorum ritus, Maronitarum proprios pertinent.

Patroni autem auctoritas et potestas ea erit, cui omnes qui regendi et administrandi munus in Collegio habent, nedum alumni, obsequi et parere debeant.

Cum de gravioribus agatur Collegii negotiis, de iis Patro-

nus ad Pontificem Maximum referat, ac in singulos annos eidem Pontifici Maximo, descriptionem totius Collegii status litteris mandatam exhibeat.

Quo vero facilius et expeditius Cardinalis Patronus suo munere fungi possit, adiutorem ei adiicimus Antistitem Urbanum, administrum ab actis Nostri Consilii negotiis ritus Orientalis praepositi, qui nomine et auctoritate Praesidis Maronitici collegii, in omnibus quae ministerio eius demandentur, Collegii Patrono operam navet.

Omnia demum quae his litteris Nostris statuimus ac declaravimus rata ac firma uti sunt, ita in posterum esse volumus ac iubemus, irritum ac inane futurum decernentes si quid super his a quoquam contigerit attentari; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die xxx Novembris an. MDGGGXCI, Pontificatus Nostri decimoquarto.

LEO PP. XIII.

———¥ W ¥———

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

NICIEN.

PII RELICTI

Die 25 Iulii 1891.

Sess. 23 cap. 18, De reform.

COMPENDIUM FACTI. Ut pauperibus adolescentibus niciensis Dioecesis qui in sortem Domini vocantur ad sacerdotii honorem via facilior pateret, piae sorores Iosepha et Maria Ignatia De la Fuente pensiones aliquas seu, ut ibi aiunt *bourses* instituere iam ab anno 1869 cogitaverunt. Ad hoc igitur annuum reditum bis mille libellarum initio assignaverant, quo postea usque ad sex millia aucto, sufficiens dos pro quindecim clericis alendis perpetuo constitui posset.

Huius consilii executionem cuidam P. Vigon ordinis minorum S. Francisci demandatam tunc fuisse referunt ; qui idcirco cum Episcopo de pia fundatione quibusdam appositis «conditionibus agere debuisset. Sed cum Praesul qui eo temporis ad Concilium Vaticanum convenerat Romae degeret, P. Vigon satius duxit Canonicum Episcopi a secretis de ea re certiorem facere, qui tamen acceptum munus forsitan oblivione neglexit.

Interim sorores De la Fuente de perficienda pia institutione cum Cathedralis Ecclesiae Capitulo, seu cum illius procuratore tractatus inceperunt, qui post aliquod tempus, traditione canonicis facta 120,000 libellarum, absoluti videntur. Tunc norma vulgo « Regolamento » pro pensionum administratione et erogatione scripta fuit, quae sine partium subscriptionibus et absque die apposita a capitulo producitur, et in qua, praeter cetera, haec leguntur : Capitulum consolidabo hanc pecuniae vim nomine proprio et dividet in quindecim partes quotam centum libellarum ; sibi reservans unam ex istis partibus titulo administrationis, et beneficientiae. Attamen hanc normam, si P. Vigon audiamus, piae institutrices haud ratam habuerunt, quin imo cum ab eo cognovissent haud esse earum nienti consonam contra illam statim pro testatae sunt.

Capitulum in conventu diei 3 Maii 1870 statuit certiorem facere de hac donatione Episcopum, qui tunc Romae morabatur causa Concilii Vaticani, quique, iuxta duas eiusdem Praesulis epistolas a capitulo allegatas, quae gesta erant approbasse videtur. Verum haud multo post difficultates et quaestiones oriri coeperunt, ex quibus praesens prodiit controversia. Nam sorores De la Fuente contendentes Capitulum contra mentem suam agere, praesertim quia unius pensionis fructibus potiebatur, et quoad aliarum administrationem praecipuam partem Episcopo non tribuisset, vehementer •conquestae sunt, ac anno 1877 eo devenerunt, ut ab apostolica Auctoritate vocandi coram laico tribunali canonicos veniam peterent, quae tamen venia in actis non extat. Nihi-

lominus ad populi admirationem et scandalum vitandum et ne pia institutio iacturam faceret, a iudiciali processu desistere maluerunt.

Post haec, scilicet labente anno 1879, spes affulsit ut res pacifice componi posset. Siquidem ab Episcopo qui paulo ante niciensem Ecclesiam regendam susceperat, transactio quaedam proposita fuit, quae in pluribus accepto habita, tandem ad exitum, partibus haud convenientibus, perduci non potuit. Neque ad concordiam restituendam, magis profecisse videntur conventiones reliquae, et tractatus qui a viris peritis utrinque advocatis propositi sunt.

Etenim die 27 Martii 1883 canonicus theologus, cui pecunia bursarum iam tradita fuerat, ut Niciensis Capituli procurator ad S. C. C. libellum quoad plures quaestiones agitandas porrigens, doluit quod Episcopus iterum evocaverit quaestionem de pensionibus, quas Capitulum ab anno 1870 pacate confert vi acti secreti fundationis cum approbatione Ordinarii Sola. Ait etiam procurator Capituli quod rogatus ab eodem Episcopo de amicabili transactione, respondit negative: et Episcopus adiecit velle de hoc agere cum Apostolica Sede.

Cohaerenter ad haec, rem Supremo Principi Praesul detulit, atque S. C. Episcoporum et Regularium preces Sororum De la Fuente die 7 Aprilis exaratas remittebat, in quibus de pluribus querebantur quoad administrationem Capituli.

Pleniori deinde habita ab Episcopo informatione, sequens precibus data fuit responsio : « Haec S. C. Episcoporum et Regularium, ad examen revocatis documentis omnibus, quae respiciunt piam institutionem factam a sororibus La Fuente, decrevit electionem eorum, quibus concedendae sint portiones redituum, vulgo *bourses,* spectare ad coetum administratorum, cui praesit Episcopus pro tempore istius Dioecesis. Atque id quidem sperandum est, ut satis sit ad finiendas omnes controversias, quae a pluribus annis hac de re agitantur. »

Sed cum hic haud expresse significaretur quibus viris administratorum coetus constare debuisset, nec verbum esset de pensione, cuius fruebatur Capitulum, hinc iterum sorores De la Fuente, ope Episcopi, penes illam S. *Q.* insteterunt ut denuo in themate sententiam suam ediceret. Tunc plura iterum deducta fuerunt, quae postremo ad S. C. C. utpote iam, uti asserebatur, praeventam, remissa sunt.

Disceptatio synoptica

IURA FUNDATORUM. Ea quae modo petunt a S. C. C. sorores De la Fuente ita Episcopus refert: quod Episcopus Nicien. gerat primam partem in administratione et distributione 15 pensionum: quod capitulum alteram sibi non tribuat pensionem ; quia hoc est contra institutorum mentem.

Minime obscurum est, fundatorum voluntatem, etiam in piis causis, ut supremam legem semper habendam esse, ita ut pleno iuris favore gaudere soleat. Quae autem fuerit viventis voluntas non est argumentationibus et indiciis quaerenda, sed ab ipso fundatore declaranda uti tradit Card. De Luca *De fideic. disc. 33 n. 22** quia iuxta Rotam *decis. 417 n. 5, part, 19, tom. 1, inter recent,* voluntas ab alio melius declarari non potest, quam ad ipso disponente. Quid autem mente volutaverint in ipso pii operis exordio sorores De la Fuente non potest melius quam ex ipsorum declaratione erui.

Neque dici potest prius aliter pias sorores res disposuisse quoad pensiones seu *bourses,* et proinde non posse progressu temporis iam statuta mutare. Etenim ea quae deducuntur, quidquid canonici dicant, nulla subscriptione aut ratihabitione approbata fuerunt, sed ab uno Capitulo peracta apparent. Ceterum quae earum voluntas in fundationis limine extiterit, ex iis quae retulit P. Vigon consiliorum omnium particeps, cui primitus reditus bis mille libellarum Episcopo tradendi crediti fuerant evidentissime liquet. Quod si postea pii operis executionem Capitulo demandarunt, id accidit quia a Canonico Theologo circumventae sunt, ut idem religiosus

vir asseritur. Quibus in facto existentibus, dato etiam quod voluntas alia fuisset ab initio solemniter expressa, nihil Capitulo id proficeret, cum intrare videatur regula, quod errantis nulla est voluntas ad *text. I. nihil commune ff. de reg, iur.*

At praeterea inofficiosum saltem videretur libertatem fundatoribus denegare perficiendi, progressu temporis, ea quae in institutione decreverunt, ut docere videtur Pitonius *De contr. patr. all. 95* n. 23** ubi allegat etiam auctoritates Vivian. Caod. De Luca et Monacelli. Idque praesertim dicendum est si rationum momenta non desint, quae ad voluntatem fundatoris vel in melius mutandam, vel declarandam impellant. In casu vero huiusmodi rationes haud deficere ex iis quae deducuntur forsan colligi posset.

Ad hoc recolunt sorores De la Fuente quod Episcopus melius quam Capitulum cognoscere potest aspirantes ad sacerdotium, et distinguere illos qui maiores habent titulos, maiorique premantur egestate. Eo vel magis cum piis sororibus videatur Capitulum in erogatione et administratione pensionum prae oculis minime eas normas habuisse, quae in limine fundationis desideratae fuerunt. Multa deducunt ad id evincendum.

Insuper aliqua addunt quibus innuere videntur nec in administratione pii operis Capitulum sive illius procuratorem se recte prorsus gessisse.

Hisce omnibus igitur autumat Praesul, iam a S. C. Episcoporum et Regularium iuxta votum suum et preces sororum De la Fuente negotium fuisse definitum, ut ex ore Emi Praefecti illius S. C. didicisse affirmat, licet id ex superius allato rescripto diei 8 Octobris 1883 erui minime queat.

CAPITULI DEFENSIO. Orator qui partes Capituli tuetur restrictum cum summario distribuit. In facti enarratione dum commendat munificentiam sororum De la Fuente arbitratur aliorum consilio fuisse deceptas, ut contra perfectam inter vivos donationem venirent, et Capitulo negarent quod antea

sive propter indemnitatem sive beneficientiae gratia tradiderat. Quam donationem productis litteris Episcopi Sola praedecessoris, Capitulo et praesertim Can. Theologo ita concreditam fuisse affirmat, ut non modo Antistiti ea grata fuerit, sed etiam Canonici in comitiis capitularibus 22 Ianuarii 1872 sponte commissionem e gremio Capituli cum praesidentia Episcopi deputandam esse decreverint.

Atque idipsum subdit orator, largius consensisse Capitulum in comitiis diei 3 Februarii 1879 quoad substantiam annuentes petitioni et articulis ab Episcopo exhibitis, veluti ex actis late comperitur.

Quam concordiam reiecisse sorores De la Fuente testatur Episcopus, et plurimis literis ferme viginti annorum querimonias instaurarunt, affirmantes se in institutione pii *bursarum* operis fuisse deceptas a Capitulo et praeter necessarias expensas nihil eidem Capitulo remunerationis gratia contulisse contradicentes peculiari articulo, quo ipsae decernebat alteram ex istis partibus reservatam esse dicto Capitulo, sive titulo indemnitatis, aut beneficientiae, favore eiusdem Capituli, cui omnem contulerant fiduciam et gestionem concrediderant.

Omnem vero concordiam respuerunt propter adiunctam in articulis conditionem renunciandi molestiis et actioni promotae penes tribunal civile contra Canonicos Decanum et Thesaurarium ipsius Capituli quod tribunal civile de facili eorum petitioni satisfecisset, quia solemnitates requirit, quae si deficiant fiduciales fundationes corruunt, et solum in conscientia et privilegio causae piae sustinentur si quomodocumque de voluntate testatorum constiterit. Nec valuisse affirmat iudicium arbitri ab ipsis sororibus De la Fuente electi, qui favore Capituli sive quoad validitatem, sive quoad exactam administrationem se pronunciavit. Unde omnis prorsus controversia finem habere debuisset.

Hisce reassumptis, Capituli patronus in iure sustinet non modo validam esse fundationem operis pii, quae concredita fuit Capitulo Ecclesiae Cathedralis, sed etiam adeo perfectam

esse donationem portionis relictae favore Capituli ut revocari nequeat. Enimvero praemisso quod nihil absurdi reperitur si Episcopus non se ingerat in administratione peculiarium fundationum, sicuti in erogatione quae spectant ad confraternitates, iuxta ea quae tradit Bassus *de sodalitiis Quaest. VII* n. 17** sartam tectamque manere auctoritatem Ordinarii dicit sanctione *Cap. 9* sess, XXII* Conc. Trid.* ubi administratores tenentur reddere rationem administrationis. « Quod si ex consuetudine aut ex constitutione aliqua loci aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius etc. » Reproducit vero praecipuos articulos fundationis pro subsidiis clericorum, et Capituli remuneratione largienda.

Hanc dispositionem adeo claris et perspicuis verbis scriptam fuisse affirmat, ut nullam interpretationem verborum aut voluntatis requirat, a scripto enim non est recedendum iuxta *leg. 3 ff. de seq.* « Cum in verbis nulla est ambiguitas non est admittenda voluntatis quaestio, prouti late docet Averanius *Interpret. Iur. lib. III* cap. 18* n. 4.* Nec ullum dubium super validitate et licitudine eiusdem fundationis exoriri posse adurget orator, maxime cum ad piam causam nullo iure cogente sit facta collatio seu datio, nam sorores De la Fuente iampridem absque suggestione Capituli donationem favore ecclesiasticae iuvenum vocationis facere statuerant. Huic fundationi adamussim concurrere ostendit, omnes qualitates quae penes iuris civilis et canonici auctores requiruntur, inter quos Scmalzgrueber *De donation, tit. XXIV* n. 2;* videlicet 1. ut donans habuerit potestatem donandi, seu alienandi rem suam. 2. Ut voluerit donare seu dominium eius irrevocabiliter transferre in donatarium ; 3.- ut voluntatem istam signo aliquo externo manifestaverit donatario. Quae requisita et conditiones adamussim confirmari putat in themate, cum sorores De la Fuente libera fruantur potestate disponendi de rebus suis, cum non sint filiae familiae, nec sub tutela aut sub potestate mariti constitutae, et cum iam a viginti annis fundatio acceptata fuerit et tra-

ditione completa. Unde res transiit in dominium alterius nec locus poenitentiae datur.

Nec pergit, potuisse locum esse revocationi donationis propter abusum et ingratitudinem donatario Capitulum enim non se ingratum, sed eorum placitis obtemperare sollicitum fuisse, panonicus Fabre affirmat.

Nec valeret, inspecto iure canonico, praesidium exquirere a civili tribunali et de facile sperare nullitatem fundationis propter defectum solemnitatis et non voluntatis. Praeterquamquod id honestatem et religionem offenderet, pias causas semper sustineri, quomodocumque constet de voluntate testatoris, aut dantis, re vincere satagit auctoritate De Luca *De testamentis num. 2 Disc. XV.* « Duo testes in *cap. Relatum* stant demonstrative non autem taxative pro demonstratione scilicet simplicis probationis naturalis, qua solum disposita ad pias causas contentantur, reiecta quacumque solemnitate iuris positivi, cui pia causa non subiacet, proinde quaecumque alia species probationis naturalis valet. » Quod ante Gonzalez in *cit. cap. Relatum n. 13* concluserat. « Ideo legata pietatis causa relicta sustinentur et praestari debent, quae attento iure scripto non defenderentur. > Ac missis ceteris, S. C. Congregationem etiam declarata nullitate testamenti sustinuisse validitatem causae piae, revincit resolutionibus editis in Ripana *Nullitatis 11 Martii 1858** et in Firmana *eiusdem tit. 30 Iulii¿* ubi propositis dubiis *An constet de nullitate testamenti Annae Garulli in casu* etc. et quatenus affirmative, *An sit locus derogationi testamenti in casu:* responsum prodiit: Ad I *affirmative* firmo remanente pio legato.* Ad II *Provisum in primo.*

Idque vehementius, prosequitur, est retinendum cum traditione peracta, ius in re Capitulo fuerit acquisitum, nec idcirco, cum res non sit amplius integra, praeiudicium tertio contra interesse et honorem inferri possit, nec illud adagium valeat id esse faciendum quod tibi non nocet, et alteri prodest, iuxta doctrinam auctoris Costa in *Tractatu de re integra et non integra Lib. I praelud. 5 n. 3.* « Per

solutionem pretii vel per traditionem res desinit esse integra > Re enim vera etiam poenitentia non admittitur quando concurrit favor causae piae.

Demum non praetereundum esse censet defensor quod Capitulum et Canonicus Fabre procurator, iam ab anno 1880 controversiam terminatam fuisse putabant per arbitrum àb ipsis sororibus De La Fuente delectum scilicet « il noto ed onesto banchiere Colombo, » qui testatur non modo de recta Capituli gestione, sed etiam de plena earumdem satisfactione. Quomodo hoc arbitrium compromissarium enatum fuerit enarrat, et quaestionem hanc de iure terminare debuisse ostendit Codic. Iustinian. *I. 1 Cap. II 56.* « Ex sententia arbitri ex compromisso appellari non posse saepe rescriptum est. » Atque idipsum retinent Schmalzgrueber *lib. 1. Tit. 43.* Reiffenstuel *lib. 2. cod. tit. n. 17* etc. Idque < etiamsi periti extraiudicialiter a partibus electi sint, sunt enim loco arbitrorum. 3 Rota *Dec. 462 n. 1 part. 18 rec.* etc.

Hisce aliisque notatis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

L *An, et quae pars competat Episcopo niciensi in administratione pii legati « De la Fuente » in casu.*

II. *An*et quomodo approbanda sit divisio bursarum seu redituum a capitulo peracta in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii re discussa sub die 25 Iulii 1891, censuit respondere: *Ad I Affirmative; constituta iuxta voluntatem utriusque piae fundatricis, administratione quatuor membrorum ; quorum duo eligantur ab Episcopo, duo a Capitulo, sub praesidentia eiusdem Episcopi et amplius.* Ad II *Negative in omnibus et amplius.*

Ex QUIBUS COLLIGES. L In piis causis voluntatem fundatorum habendam esse uti supremam legem.

II. Ipsum disponentem melius quocumque alio posse declarare suam propriam voluntatem ; ita ut si disponens adhuc

in vivis agat, nullo indicio aut argumentatione opus sit ad. eiusdem declarandam voluntatem.

III. Quid disponentes in themate voluerint patere usque ab exordio piae institutionis; quam sub tutela et directione Ordinarii omnino ponere studuerunt.

VRHBOSNEN.

IURIUM.

Die 29 Auguti 1891.

Sess. 24 cap. 12 de reform..

COMPENDIUM FACTI. A remoto tempore in civitate Seraievensi in Bosnia una tantum recensetur paroecia, quae prius a fratribus minoribus s. Francisci administrata, modo ab anno 1882 facta est collationis Ordinarii et a saeculari presbytero regitur. Huic paroeciae erat olim propria ecclesia continens que domus pro parochi habitatione: sed, his misere incendio consumptis anno 1879, necesse fuit ut deinde parochus in privatis aedibus sua munera expleret.

Verum cum, erecta in ea regione a sacratissimo Principe ecclesiastica hierarchia, Archiepiscopus Vrhbosnensis sedem suam initio anni 1882 Seraievi fixisset, opportunum visum fuit, ut in parva ecclesia, S. Antonio dicata, quae unica erat civitatis, parochus una simul cum metropolitano capitulo ad sacra ministeria obeunda conveniret. Omnibus tunc erat persuasum neutrum ibi manentem sedem obtinuisse, ac proinde, cum res animis consentientibus componerentur, quaevis aberat iurium capitularium et paroecialium collisio. Interim anno 1884 novae ecclesiae SS. Cordis Iesus fundamenta locata sunt, quae Deo opitulante quinquennali opere extructa, solemniter consecrata est die 14 Septembris 1889. Tunc parva Ecclesia s. Antonii, iuxta civilis auctoritatis placitum a clero saeculari derelicta, iterum franciscali sodalitio tradita fuit.

De natura huius novae Ecclesiae non convenit inter capitulum et parochum. Hinc bonum videtur aliquid de eiusdem historia innuere. Ex eleemosynis undique collatis, collectae primo fuerunt 240,000 libellae; quae servabantur Viennae apud ministerium Bosniae. Tunc neotericus Archiepiscopus rogavit ut cathedralis Ecclesia aedificaretur. Minister Kallay annuit et decrevit ut gubernium Bosnense daret circiter 70,000 flor, quoniam collecta pecunia haud satis erat. Archiepiscopus putavit, istam pecuniam a gubernio dari pro aedificanda Cathedrali, prout alia pecunia collecta fuerat in hunc finem.

Ast decursu quinquennii, quo 1884-1889 Ecclesia nostra aedificabatur, gubernium saepe enuntiavit, se aedificare non Ecclesiam cathedralem, sed parochialem. Quae enuntiatio nobis omnibus erat valde inamoena, praesertim quum ipsa exterior fabrica a gubernio dirigeretur. Sciens, gubernium non posse finem illius prioris pecuniae collectae pro erectione Ecclesiae cathedralis immutare, noluit Antistes cum illo decertare, quippe speravit futurum esse ut desineret insistere praeconceptae ideae. Ast quando Ecclesia finiebatur, et Archiepiscopus Viennae voluit obtinere, ut pristina Ecclesia s. Antonii, quae hucusque qua cathedralis et parochialis inserviebat, in posterum inserviret Ecclesia parochialis, nova autem ut cathedralis consideraretur, noluit minister Kallay» consentire, sed dixit, se velle, ut nova Eccclesia qua parochialis inserviat quum animo haberet aliam magnam Ecclesiam cathedralem exaedificare. Licet ego hanc promissionem minime seriam habuerim, ait Antistes, tamen seria erat voluntas, ut Ecclesia nova qua parochialis inserviret. Perrexi ad Nuntium Apostolicum Excell. D. Galimberti et oretenus ei omnia exposui. Ipse dixit, non esse contradicendum ministro,, quum eadem Ecclesia optime inservire possit qua Ecclesia cathedralis et parochialis. Ex hoc tempore statim coepi, cogitare, quomodo parochialis domus prope novam Ecclesiam exaedificaretur. Et successit. Nova parochialis domus, consentiente capitulo Vrhbosnensi exaedificata est prope novam Ecclesiam, pro qua domo gubernium quoque, qua

subsidium dedit 2,000 flor.; totius domus pretium est 14,000 flor.... Notum est, gubernium pro interna decoratione nostrae Ecclesiae quoque multa contribuisse, licet maiori ex parte nostra cura interna decoratio facta sit. Insuper advertendum est gubernium nihil contrarii facturum esse, quomodocumque inter capitulum Vrhbosnense et parochum Seraievensem causa pendens componatur, dummodo nova Ecclesia ut parochialis quoque consideretur; in contrario casu se opponeret.

Igitur tum capitulum Vrhbosnense, cum parochus Seraievensis in novam ecclesiam labente anno 1889 venerunt, atque hic unusquisque sacras functiones peragere coepit. Attamen cum capitulum, templum SS. Cordis Iesu unice uti cathedralem ac parochum tamquam temporarium hospitem haberet, et e contra parochus sustineret ecclesiam insimul esse cathedralem et paroecialem, statim contentiones quoad mutui iuris limites enatae sunt. « Rebus ita stantibus, prosequitur Praesul, debui determinare, qua ratione in eadem ecclesia functiones capitulares et parochiales possent obiri, quin confusio oriretur. Semel ac iterum capitulum Vrhbosnense vocavi in sessionem, ut amico modo quae in praedictum finem necessaria essent determinarentur. Ideo Archiepiscopus sequentem normam proposuit ad iura utriusque partis determinanda.

« *Caput I.* - Iura Capituli Vrhbosnensis.

« *Titulus L* - Administratio ecclesiae cathedralis Ss. Cordis Iesu Seraievi pertinet ad capitulum Vrhbosnense, salvis iuribus Archiepiscopi Vrhbosnensis.

« *Titulus II.* - Reditus ecclesiae cathedralis administrat capitulum Vrhbosnense.

€ *Titulus III.* - Ad reditus ecclesiae cathedralis pertinent: *1)* donationes factae intuitu ecclesiae cathedralis: *2)* eleemosynae omnes, quae sub sacrificio missae conventualis aliarumque missarum celebrandarum variis horis diebus dominicis et festis colliguntur, exceptis sub missa paroeciali; *3)* eleemosynae omnes, quae a fidelibus in loculis ponuntur;

4) pecuniae factae ex trium maiorum campanarum sonatione.

« *Titulus IV.* - Ex praedictis redditibus suppeditantur sumptus ad procurandam supellectilem aliaque ecclesiae cathedrali necessaria.

< *Titulus V.* - Quod superest pecuniae conservatur pro sartis tectis, retenta tertia parte ex campanarum reditibus pro novarum campanarum emptione. Renuente gubernio pro sartis tectis necessaria contribuere atque deficiente necessaria pecunia, conferre cogentur in istam finem omnes, qui secundum ius canonicum conferre tenentur : Archiepiscopus Vrhbosnensis, capitulum Vrhbosnense, parochi omnes totius archidioeceseos etc.

« *Titulus VI.* - Capitulum Vrhbosnense dicit quotidie missam conventualem et officium divinum aliasque functiones per annum in ecclesia cathedrali obit, quascumque in ecclesia catholica quodlibet capitulum iuxta canones obire solet. Unde

« 1. Cantabit missam conventualem diebus dominicis, solemnem autem diebus festivis, quibus Archiepiscopus solemniter non celebrat;

« 2. solemnioribus diebus cantabit quoque Matutinum cum Laudibus et Vesperas divini officii, quando in choro clerici aderunt ;

« 3. diebus *2* Februarii, Cinerum et Palmarum, tribus diebus hebdomadae maioris, festo S. Marci et diebus Rogationum, die omnium defunctorum et nocte Nativitatis Domini N. I. Christi obibit solitas functiones. Istis diebus parochus in cathedrali ecclesia istas functiones non obibit, sed populum admonebit, ut capitulo easdem obeunti se adiungat.

« *Titulus VII.* - Conventualis missa celebratur semper hora 9 ; officium vero divinum in choro recitatur vel cantatur hora 9 *%* ante meridiem, post meridiem vero hora 3 mensibus Novembris, Decembris, Ianuarii, Februarii; hora 4 mensibus Martii, Aprilis, Septembris, Octobris; hora 6 mensibus Maii,

Iunii, Iulii, Augusti. - Quum per integrum annum diebus dominicis et festivis hora 4 post meridiem Litaniae Lauretanae et benedictio cum sanctissimo a parocho habeantur/ ideo istis diebus mensibus Martii, Aprilis, Septembris, Octobris divinum officium recitabitur hora 4

« *Titulus VIII.* - Capitulum Vrhbosnense habet propriam suppelectilem sacram cum proprio armario in sacristia, quam cum parocho communicat.

« *Titulus IX.* - Capituli Vrhbosnensis est curare, ut ecclesia cathedralis sit in statu, quem decet sanctitudo loci et ut omnibus necessariis instructa sit >.

< *Caput II.* - Iura Parochi Seraievensis.

« *Titulus I.* - Parochia principalis urbis Seraievi in perpetuum coniungitur cum cathedrali Ecclesia SS. Cordis Iesu.

« *Titulus II,* - Parochus omnes parochiales functiones in ecclesia cathedrali obit, quin functiones capituli Vrhbosnensis aut Archiepiscopi impediat.

« *Titulus III.* - Parochialis missa est semper hora 10 post conventualem missam.

< *Titulus IV.* - Parochus utitur iisdem altaribus atque eadem sacristia, quibus vel qua utitur capitulum Vrhbosnense. Licet parocho propriis lignis alere ignem fornacis in sacristia.

« *Titulus V.* - In sacristia habet parochus proprium spatium pro armario, in quo sacram supellectilem parochialem ponit.

« *Titulus VI.* - Vestes sacras, sacra vasa, totam suppellectilem sacram, qua tam inter, quam extra ecclesiam, ut in mortuorum sepultura, utitur, parochus sibi procurat; *I) ex* eleemosyna collecta sub parochiali missa; *2)* ex taxa pro trium minorum campanarum sonatione; *3)* ex donationibus factis intuitu parochialibus.

« *Titulus VII.* - Pecuniae factae ex eleemosyna collecta sub missa parochiali ex taxa pro trium minorum campanarum sonatione atque ex donationibus datis intuitu functio-

num parochialium constituunt reditus, quos parochus administrat.

< *Titulus VIII.* - Tres minores campanae sunt parochiales, prouti tres maiores sunt cathedrales. Tertia pars pecuniae factae ex trium minorum campanarum pulsatione pertinet ad fundum pro emptione novarum campanarum.

« *Titulus IX.* - Quod superest pecuniae per annum ex reditibus usui parochi destinatis ad Ordinariatum in fine anni trasmittitur, ut in fundo pro erectione novae ecclesiae et domus parochialis Seraievi cum tempore erigendae ponatur.

€ *Titulus X.* - Pro functionibus parochialibus necessaria utensilia prout vinum et candelas parochus sibi aut ipse solus procurabit, aut capitulo Vrhbosnênsi aliquam taxam pro istis rebus solvet.

« *Titulus XI.* - Parochus ius habet in ecclesia cathedrali habendi servum proprium sive sacristanum, qui pulset campanas parochiales, qui parochum comitetur, quando ss.Viaticum ad aegrotos portat, qui in sepultura mortuorum vas cum aqua deferat, qui in parochialis sacristiae parte omnia pro missa parochiali paret.

« *Titulus XII.* - Parochus Seraievensis de suis expensis rationem reddet in fine anni Ordinariatui prouti et ceteri parochi in arcidioecesi Vrhbosnensi. Decanus tamen Vrhbosnensis habet quidem ius domum parochialem, campanas parochiales, baptisterium, armarium parochiale cum supellectili parochiali, minime vero ecclesiam cathedralem visitandi.

« *Titulus XIII.* - Parochus nullum ius habet reparandi sive quod ex altaribus, sive quidquam ex aliis rebus, sive ecclesiam ipsam.

« *Titulus XIV.* - Mortuum pauperem, cuius cognati pro pulsatione campanarum nullam taxam dare possunt, plangit gratis media ex tribus parochialibus campanis, secus solvitur taxa pro minima ex campanis 1 flor., pro media 1 flor. 50 xr. pro tertia maiori 2 fior. 50 xr.

< *Titulus XV.* - Pro pulsatione minimae ex tribus ma-

ioribus cathedralis campanis solvitur taxa 8 flor., pro pulsatione mediae 12 flor., pro pulsatione maximae 25 flor. »

Huiusmodi normam acceptam habuit parochus Seraievensis, minime vero capitulum ; quam quoad plura reformandam autumans ad S. O. C. provocavit, expostulans :

« I. An in regimine et administratione ecclesiae cathedralis Ssmi Cordis Iesu Seraievi, in casu exposito, praeter Archiepiscopum et capitulum, parochus quoque partes habeat, an non.

« II. An ius percipiendi eleemosynas a fidelibus sub missa parochiali, uti superius expositum, oblatas, ad parochum vel capitulum spectet.

« III. Eleemosyna ob pulsationem campanarum oblata, an ex toto et integro a capitulo percipienda, adeoque administranda.

« IV. An cura circa ordinem et nitorem in ecclesia servandum, unice ad capitulum pertineat.

« V. Cura in specie de lumine aeterno, an ad parochum vel ad capitulum spectet.

« VI. An fune!iones solemnes in genere, et in particulari: benedictio aquae in vigilia Epiphaniae, benedictio Cinerum, functiones feriae VI, et Sabbati S. in hebdomada maiori ; item benedictio fontis ante diem Paschatis et in vigilia Pentecostes, pertineat ad capitulum.

« VII. An posset benedictio candelarum in festo Purificationis B. V. M. et benedictio palmarum ad parochum remitti.

« VIII. An quoad missam parochialem et vesperas i. e. Litanias Lauretanas et benedictionem cum Sanctissimo, diebus dominicis et festivis, standum consuetudini.

« IX. An processiones in festo S. Marci et diebus Rogationum a parocho ducendae. »

Disceptatio Synoptica

Praemonitum ex officio fuit nonnullas ex propositis dubitandi formulis supervacáneas videri, cum in aliquibus quae-

stionibus quae illa respiciunt, Archiepiscopus et capitulum, ut ex eorum litteris eruitur, inter se plene cohaereant. Unde primi, quarti, et sexti dubii rationem haud habendam esse censetur; octavum vero pariter omittitur, cum de inibi asserta consuetudine, siquidem tale mereri potest nomen, nil amplius dicat capitulum, et omnino in responsione ad S. C. sileat Antistes. Versa vice ex iis quae capitulum et praesertim Archiepiscopus scribit, duplex controversiae punctum, adhuc dirimendum apparet. Primum, quod huius causae caput est, in definienda novae ecclesiae SS. Cordis Iesu natura versatur; alterum vero obligationem celebrandi festis diebus missam cum cantu et solemnioribus etiam matutinum canendi spectat, quam ex titulo 6 capitis I expungendam esse capitulum censet.

DEDUCTIONES CAPITULI. Capitulum itaque praemittit ecclesiam recenter extructam exclusive uti cathedralem habendam esse, idque ex eorum voluntate qui primum pecuniam suppeditarunt evincere satagit. Ut enim ipse Praesul affirmat, in eum finem primitus aes collectum fuit ut cathedralis Vrhbosnensis non vero parochialis ecclesia aedificaretur. Ius vero tum canonicum, cum caesareum certam et determinatam legem voluntati praescribere abhorrent, atque ipsi in omnibus famulantur, ut ait S. R. Auditorium *decis. 339 n. 8 p. 17 inter recent.* Nec valeret regerere etiam gubernium plura in novam ecclesiam impendisse, ac proinde illius etiam voluntatem prae oculis habendam esse. Siquidem minor fuit pecuniae summa quam illud contribuit, atque idcirco relate ad illas prius oblatas ut quid accessorium censeri debet, quod naturam et pristinam destinationem induat necesse est ad *I. Cod. fin. De non num. pecun. I. etiam cod. De iur. dot.* nec non *Reg. XLII Iuris in VI.*

Praeterea paroeciale beneficium numquam in nova ecclesia fuit erectum, neque ex veteri huc canonice translatum est. Unde, iis, quae Sacri Canones requirunt in themate deficientibus, SS. Cordis Iesu templum nulla ratione paroecialis dici potest. Quod forsan, et ipsi Praesuli persuasum

antea erat, cum in pluribus suae curiae actis, ac praesertim in epistola pastorali diei 10 Augusti 1889 pro templi consecratione, paroecialem qualitatem novae ecclesiae nullimode agnoverit.

His positis, cum hospes ibi parochus iuxta capitulum sit, haud aequum videtur illi aliquid ex reditibus ecclesiae cathedralis propriis attribuere. Ideo praecipue eos titulos normae seu statuti archiepiscopalis delendos esse opinatur, qui parocho eleemosynas in missa parochiali collectas assignant. Ultro concedit parocho cedere debere, quae obveniunt « ex donationibus factis intuitu parochiae sive necessariorum pro functionibus parochialibus; > at quidquid in ecclesia colligitur ad ipsam ecclesiam pertinere autumat. Et re quidem vera, tum collectarum administratio eleemosynarum ad iuris tramites ad canonicos pertinere videtur, aiente card. De Luca *De praeeminen. disc. 11. n. 17 :* « oblationes quae fiunt in ecclesia ad ipsam eiusque rectorem pertinent ex deductis apud Merlin, *decis. 257 alias dec. 37p. 5 recent.* > Atque hoc etiam ad exclusionem parochi, ceu respondit -S. C. O. in decreto Urbis et Orbis *diei 12 Ianuarii 1704 ad dubium* 28.

Quibus et, consuetudo adstipulari videtur. Scribit enim capitulum : « relate ad .exceptionem eleemosynae, quae sub missa parochiali colligitur, animadverteremus in tota Bosnia non esse usum, ut parochus quidquam percipiat ex collectis eleemosynis; sed omnia oblata quae sive in altaribus ponuntur sive per ecclesiam eundo colliguntur, fabricae et aliis ecclesiae usibus impenduntur. Quum autem de omnibus quae ad nitorem ecclesiae pertinent, capitulo sit cura, haec exclusio eleemosynae, quae uti et aliae sub aliis missis eumdem in finem offertur, iuridice fundata non esse videtur. » Neque dicatur parocho media praesto esse debere ad sacras supellectiles aliasque res necessarias sibi comparandas iuxta tit. 6 capitis II relati decreti: nam subdunt canonici: « sumptus pro servitio universo in cathedrali praestando, capitulum quoque ex iisdem reditibus sustineret; cuius erit, ut

parocho et eius capellanis hoc ex obtutu quoad omnes functiones, quae utcumque cum munere parochiali connectuntur, plene satisfiat. >

Idem fere repetunt canonici de emolumentis obvenientibus ex trium minorum campanarum pulsatione parocho ab Archiepiscopo assignatis. Etenim campanae sicut organa, ornamenta, ceteraque omnia honorifico Dei cultui necessaria sub fabricae nomine comprehenduntur, eiusque pars censentur. De Albertis *De sacris utens. dec. LXXXII n. 3.* Amostazo *De causis piis lib. 4 cap. 1 n. 25.* Unde cum ecclesia SSmi Cordis Iesu 'sit cathedralis, illiusque regimen et administratio, ut ipse Antistes in tit. 1 capitis I decernit, apud capitulum consistere debeat, invecta distinctio campanarum quovis iuridico fundamento carere videtur. Sex igitur campanae, concludunt canonici, sunt « omnes cathedrales et parochiales esse non possunt neque ex intentione benefactorum, neque ex loco ubi appensae sunt, neque ex fine cui inserviunt. »

Praeterea erogationem pecuniae, quae a fidelibus offertur pro campanarum pulsatione, ab Archiepiscopo propositam in titulo 5. capitis primi nec non in titulo 8. capitis secundi, omnino improbandam capitulum existimat. Cum enim, uti superius dictum est, campanae ad ecclesiae fabricam pertineant, si illarum aliqua detrimentum acciperet vel si etiam novis sacra turris instruenda esset, sane iii id ipsa ecclesiae fabrica sumptus conferre deberet. Quod si Antistes animo volutaret tertiam partem horum reddituum in emptionem campanarum pro novo quopiam templo extruendo impendere, id sacris canonibus minime cohaerere proclamant. Atque hanc nacti occasionem etiam, titulum IX. capitis secundi irritandum edicunt, quo decernitur : < Quod superest pecuniae per annum ex redditibus usui parochi destinatis, ad Ordinariatum in fine anni transmittitur, ut in eundo pro erectione novae ecclesiae et domus parochialis Seraievi cum tempore erigendae ponatur. > Siquidem ratiocinatur: « stabilita determinatio Ullius partis proventuum ecclesiae pro erectione novae eccle-

siae et domus parochialis hisce locis, in iure canonico minime fundata esse videtur, quippe quod statuit, peculium ecclesiae impendi posse tantum in fines, in quos destinatum est; qui finis nostro in casu non alius est, nisi decor et conservatio ecclesiae cathedralis; neque haec ecclesia, qua mater, obligari posset ad contribuendum quidquam pro filia, quae non tantum non existit, sed nulla spes affulget, fore ut proximo tempore sit extitura. >

Ad functiones sacras devenientes canonici ultro admittunt earum celebrationem diebus solemnioribus, ut Archiepiscopus statuit, ad capitulum utpote ad ecclesiae cathedralis rectorem pertinere. Attamen subdunt: « quod duae e functionibus praedictis, benedictio scilicet Candelarum et illa palmarum, si ius per id non laederetur, ratione habita ad concursum populi, a parocho opportunius quam a capitulo peragerentur. > Quam rationem et pro processionibus in festo s. Marci et tribus diebus Rogationum valere putant.

Demum quoad eam partem decreti *tit. VI cap. 1*, ubi legitur: « 1. Cantabit, capitulum, missam conventualem diebus dominicis, solemnem autem diebus festivis, quibus Archiepiscopus non celebrat: 2. Solemnioribus diebus cantabit quoque Matutinum cum Laudibus et vesperas divini officii, quando in choro clerici aderunt, » haec animadvertunt: « Canonici Vrhbosnenses usque ad hodiernum diem quotidie omnes partes officii clara, alta voce, tono uniformi, per modum psalmodiae recitabant. Missam quoque conventualem quotidie : unam videlicet, vel duas, aut tres secundum praescriptiones ecclesiasticas, celebrant. Canonicis omnibus persuasum semper erat, aliquantulam hanc discrepantiam a normis generalibus licitam indubitanter esse : eo quod licentiae inniteretur, quae a Sancta Sede die 26 Aprilis anno 1883 num. $^{49}/_{c}$ (S. Congr. Sacr. Rituum) capitulo concessa fuit, ubi dicitur: a canonicis de more recitantur (vel cantantur) horae minores, cantaturque (vel legitur) missa conventualis. Licentiae huic in statutis a capi **TU** io postea conditis et ab illustrissimo Ordinario approbatis, locus datus est. Plu-

res fuere profecto rationes, quae capitulum adduxerunt, ut ratione obtinendae praedictae licentiae ad S. Sedem recurreret. Non dantur nimirum nisi quatuor canonici, non habentes ullum vicarium chori vel capellanum, ita ut choro semper soli assistant, imo saepe nonnisi tres, vel hinc inde duo solummodo adsunt, quod accidit, si unus vel alter infirmatur, vel aliis pro bono ecclesiae et animarum plus minusve necessariis negotiis choro assistere praepeditur. Nullam ergo pro officio solemni assistentiam haberent, nec cantus ab ecclesia praeceptus talis esset, qui ad aedificationem fidelium conferret. Insuper ob defectum pecuniae nullum habent dirigentem chori, qui organum pulsaret et chorum dirigeret, vel ad missam cantaret. Circumstantiae istae inde ab anno 1883 nullatenus immutatae sunt. »

His addi posset, ut etiam praxis docet, cantum in persolvendis divinis officiis haud de essentia choralis servitii videri, cum illius finis sit, « comunicandi astantibus in ecclesia divinas laudationes, quod obtinetur tam cantando quam altius recitando » ut considerat Navar. in *cap. Quando art. 6* Sánchez *Cons. mor. lib. 7 c. 2 dub. 8.* Quapropter tradit Scarfantonius *ad Ceccop. lib. II tit. VII* de hoc non reperiri « aliquod praeceptum nec de iure divino nec de iure positivo, » sed servandam esse locorum consuetudinem, quae forsan in themate Vrhbosnensi capitulo non omnino adversaretur.

DEDUCTIONES ARCHIEPISCOPI. Verum e contra Archiepiscopus rationem a se propositam in omnibus defendit, atque ipse rationes expendit, quas totidem verbis EE. PP. subiicere operae pretium esse creditur. Et primo relate ad naturam ecclesiae SS. Cordis Iesus, praeter ea quae superius in facti specie retuli, haec habet « Seraievum ultra 30,000 incolas habet. In parochia Seraievensi ultra 4,000 catholici numerantur, quorum 800 in pagis, alii in civitate habitant. Hoc numero milites non continentur. Ante octo annos catholicorum numerus Seraievi non attigit 700. Rapide ergo crevit, sed et crescit et adest spes certa, futurum esse, ut in

dies semper crescat numerus catholicorum. Unde post aliquot annos absque dubio necessaria erit erectio novae parochiae in ipsa urbe iam ob nimiam eiusdem extensionem; modo autem iam urget necessitas erigendae novae parochiae ruri, quum parochus Seraievensis obrutus variis negotiis, vix invisere ruricolas, nedum prout par esset instruere possit. Nova cathedralis ecclesia quasi in medio urbis sita est, ita ut iam ob positionem nisi aliae rationes urgerent, debeat inservire qua ecclesia parochialis quoque. Si ergo alia parochialis in urbe instituatur, prima coniuncta remaneat oportet cum cathedrali in perpetuum. Non potest autem administrari ab uno ex canonicis, quum tantum quatuor sint; ergo administretur oportet prout hucusque a parocho non pertinente ad canonicorum gremium. Cum nova Seraievensis ecclesia SS. Cordis'Iesu origine sit dimidia ex parte cathedralis, dimidia vero parochialis, ego quoque optimum duxi destinare ut inserviat tam qua cathedralis ecclesia, quam qua parochialis... Noto me quidem ad populum achidioeceseos ante consecrationem scripsisse futurum esse,ut die 14 Septembris ecclesia cathedralis consecretur quin mentionem fecerim de parochiali ecclesia, ast frustra exinde capitulum Vrhbosnense deducit, mea quoque persuasione praedictam ecclesiam cathedralem, quum ex una parte nova ecclesia qua parochialis ad integrum populum non pertineat, ex altera vero quum plus quam inconveniens esset, si ego quaestiones nondum compositas coram populo tractavissem. >

Relate ad eleemosynas et campanarum distinctionem ita Archipraesul ratiocinatur: « Capitulum Vrhbosnense istos duos titulos non approbat duabus ex rationibus: *a)* eo quod eleemosyna, quae sub parochiali massa colligitur, eximatur a potestate eiusdem capituli ; *b)* eo quod tres minores campanae parocho adiudicatae sint.

« Ad primum respondeo, hoc necessarium esse. Nam parochus praeter sacram suppellectilem propriam, necessario debet habere et solvere servum sive sacristanum, qui eum comitetur in funeribus, in portando Viatico ad aegrotantes et in ceteris functionibus parochialibus. Praeterea bonum pa-

cis hoc requirit. Etenim etiam capitulo consentiente, debet parochus habere propriam suppellectilem sacram. Si ipse habeat propriam eleemosynam, facile sibi decentia paramenta emet vel a parochianis deficientem necessariam pecunia colliget, quum sola eleemosyna minime sufficiat ad omnia necessaria comparanda. Deinde si parochus quoad sacram suppellectilem a capitulo dependeret, absque ullo dubio reciperet semper casulas usu a canonicis detritas, ita ut et rixae perpetuae orirentur et populus indignaretur videns quomodo parochus detritis sacris vestibus utatur licet a parochianis accipiat eleemosynam et collectas pro novarum emptione. Denique parochus, qui nullum ius haberet quoad eleemosynam parochialem, nec extra ecclesiam influeret in populum, ut aliquid contribuât pro sacerdotalium sacrarum vestium et vasorum et ceterorum pro funere et Requiem necessariorum emptione, quum nunquam persuasum habere posset, an pecunia sic data a capitulo revera emenda sint illa, quae parocho sunt necessaria.

« Quod ad secundum, id est ad tres minores campanas parochi usui adiudicatas attinet, praemitto, me suggerente et deprecante, omnes sex campanas a duobus praedecessoribus Labacensis Episcopi promissas, ab hodierno autem Episcopo Iacobo Missin cum populo emptas esse. Istae campanae donatae sunt nostrae Ecclesiae SS. Cordis Iesu, sed utique donatae sunt tali Ecclesiae qualis est. Atqui illa origine est cathedralis et parochialis. Praeterea suffecisset prius, ast et modo sufficeret, ut ego vel verbum dicam Labacensi Episcopo, ut taliter determinet, prout ego determinavi, et corde id faceret. Unde bene factum videtur, quod tres maiores campanae capituli usui, tres vero minores parochi usui adiudicatae sint. Capitulum pro campanis nihil contulit, quale ergo ius in eas habet? Donatione factae sunt nostrae Ecclesiae, in qua quum nondum determinatae sint relationes inter capitulum et parochum non videtur sibi posse aliquod ius in illas vindicare. Prudens autem mihi videtur determinatio, quod tertia pars taxarum reservetur pro novarum

campanarum emptione, quum nulla absit spes, futurum esse, ut iterum suo tempore donentur, utpote quae modo donatae sunt, eo quod nova hierarchia hic erecta sit et omnia necessaria desint. Omnes sex campanae appretiantur 18,000 francs. Necessarium est ergo aliquid reservare pro emptione novarum campanarum. Capitulum, ne unquam in necessitatem veniat, aliquid ex propriis conferre pro Ecclesia, ideo vellet sibi ius vindicare in integram taxam omnium campanarum, quod ex praecedentibus non videtur esse iustum, imo videtur esse iniustum, quum postea, quando hodiernae campanae cum tempore inutiles évadent, impossibile esset, alias emere, si modo nihil pecuniae pro isto fine reservaretur. >

Quo vero ad titulum 9. Capitis secundi observat: « Per se non posse eleemosynam in ecclesia collectam in alios quam in ecclesiae usus sumi, certum est ; ast certum quoque est, necessitate urgente non semel factum esse et quidem ne uno canonico contradicente, ut talis eleemosyna in fabricam domus parochialis converteretur. Ceterum nescio, an tota haec de eleemosyna quaestio mereatur tot verba, quum per integrum annum tota quanta vix 500 flor, numeretur.

« Praeter parochiam coniunctam cum Ecclesia cathedrali alias duas, alteram ruri, alteram in urbe Seraievi necessarias esse certum est. Qui scit quid factum sit hic decursu octo annorum, nescio, quomodo dicere audeat, non adesse spem, ut alia parochia quantocius erigatur. %

Ad tertium dubium gradum faciens Antistes, tuetur et benedictiones Candelarum et Palmarum nec non processiones in Litaniis maioribus et minoribus a capitulo potius quam a parocho esse peragendas. « Istis diebus alibi, ubi Ecclesia cathedralis solis canonicis inservit, solent canonici functiones in hoc puncto allatas obire; ideo ut quo solemnius obirentur, putavi necessarium esse, ut stabiliretur, a quonam obiri debeant, ne iurgia inter parochum et canonicos orirentur. Melius autem duxi, ut praedictae functiones fierent a

canonicis quam a parocho, quia alibi ita fit; quia quibusdam ex istis functionibus Archiepiscopus praesens sit oportet, et minime esse videtur decens, ut Archiepiscopo et omnibus canonicis assistentibus v. g. diebus Purificationis, Palmarum, S. Marci, Rogationum parochus functiones obeat; quia hoc nequaquam est contrarium concursui populi, quum v. g. diebus Rogationum processio semper fiat valde mane, quumque iste concursus nequaquam minuatur, quando Archiepiscopus diebus solemnioribus missam cantat non tempore missae parochialis, sed tempore missae conventualis; quia canonicis non videtur esse cura tam de populi concursu quam de hoc, ut liberarentur ab obligatione, ceu ex toto recursu ad S. Sedem apparere videtur. Etenim canonici ab aliis obligationibus se dispensatione (modo non fundata) liberaverunt alias obligationes ad parochum volunt devolvere, nulla vero se obligatione innodari permittunt, quam ob causam nunquam in propria ecclesia sive conventualem sive aliam missam cantant, nec concionantur, quod utrumque utique in aliis ecclesiis, ubi non obligantur, faciunt. »

Tandem quoad ultimum controversiae punctum haec refert : « initio Archiepiscopus, capitulum Vrhbosnense et parochus in quadam provisoria capella, in qua initio non aderat organum sed harmonium tantum, functiones suas obibant. Unde non est mirum, cur et ego proposuerim et Sacra Sedes annuerit, ut canonici Vrhbosnenses non adigerentur ad cantandam vel solemniter habendam missam conventualem in tali capella. Ast modo pulcherrima ecclesia SS. Cordis Iesu exaedificata est, in qua organum, quod ultra 20,000 francs constat, invenitur; non video, cur ad minus diebus dominicis canonici non habeant saltem missam cantatam, si non solemnem; non video, ad quid organum approbante etiam capitulo tam grandi summa emptum sit, si praevidebatur impossibilitas eo utendi. Dicunt se esse quatuor tantum. Ast nihil interest. Nam licet sint tantum quatuor, tamen unus canonicus ex istis quatuor qualibet dominica die per omnes annos, quod hic sumus, missam cantabat et modo cantat

in parva Ecclesia sororum S. Vincentii, solemnem vero cum assistentia (inter quos assistentes semper est diaconus alter canonicus) solemnioribus diebus, quibus diebus tertius canonicus in capella aliarum sororum Divini Amoris etiam solemnem missam cantat: unde merito me ego interrogavi: quomodo ex meis quatuor canonicis potest unus cantare missam penes sorores s. Vincentii qualibet die dominica, alter vero saltem solemnioribus diebus festivis potest cantare missam penes alias sorores: cur saltem diebus dominicis non posset unus canonicus cantare missam conventualem in ecclesia cathedrali, etiamsi nulla cantaretur penes sorores? Talis zelus non videtur esse ex Deo: in propria ecclesia cathedrali dicere missam conventualem sine cantu, et penes sorores eadem die cantare missam. Noto hoc quoque: ne semel intra spatium octo annorum cantatam fuisse missam conventualem in ecclesia provisoria^ licet etiam ibi parochus qualibet die dominica missam parochialem cantaverit organo comitante, quod postea etiam pro provisoria ecclesia emptum est; item modo a 14 Septembris 1889, quando nova ecclesia consecrata est, ne semel a canonicis in eadem cantatam fuisse missam conventualem, cui fere tam magna populi copia assistit quam missae parochiali, fuisse autem qualibet die dominica at) uno canonico cantatam in ecclesia S. Vincentii, fuisse autem solemnioribus diebus ab altero canonico cantatam in oratorio sororis Divini Amoris. Ast fors dicetur: non adesse, qui organum pulset. Cur parochus per integrum annum semper invenit, qui organum sub missa parochiali pulset, et canonici invenire non possunt? Non utique gratis invenit, at invenit, et invenire potest non unum, sed plures, qui parvo stipendio organum libenter pulsarent. Pariter videtur omnino decens, non nunc cum modo clerici non adsunt, sed post duos tres ve annos quando in choro etiam clerici aderunt, ut cantetur Matutinum cum Laudibus et Vesperas ad minus solemnioribus diebus per annum. »

Quibus id unum subiectam indubium esse, missas conventuales cum cantu a capitulis celebrandas esse, idque a

S.O. C fuisse praescriptum ***iiiTJrheYet***&*Jia,Praeeininentiarum supe?" dubiis. 5 Augusti 1737* apud Lucidi *part. 1 vol. 2 De postulatis n. 106.* De ceteris vero canonicis horis, plures Doctores tradunt opportunum esse, ut diebus festis decantentur et profestis alte legantur, et istiusmodi consuetudinem a SS. RR. G. fuisse commendatam scribit Barbosa in *Sum. Bull. V. consuetudo.*

Hisce tum in facto tum in iure delibatis proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An ecclesia SS. Cordis Iesu Seraievi uti exclusive •cathedralis* vel etiam tamquam paroecialis habenda sit in casu.*

II. *An eleemosynae in missa paroeciali collectae a parocho percipiendae et administrandae sint* vel a capitulo in casu.*

III. *An distinctio quoad campanas et erogationem reddituum* ex earum pulsatione obvenientium, ab Archiepiscopo proposita* approbanda sit in casu.*

IV. *An benedictio candelarum in festo Purificationis B. M. V. et benedictio palmarum* nec non processiones in festo S. Marci et Rogationum peragendae sint a capitulo* seu potius a parocho in casu.*

V. An capitulum teneatur missam conventualem diebus festis et matutinum* laudes et vesperas diebus solemnioribus canere* iuxta decretum Archiepiscopi in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re disceptata sub die 29 Augusti 1891 censuit respondere: *Ad I Esse habendam simul ut cathedralem et paroecialem. Ad II Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad III Reformato dubio - An sustineatur dispositio Archiepiscopi quoad* erogationem reddituum ex campanarum pulsatione obvenientium - *Affirmative. Ad IV Affirmative a capitulo. Ad V Affirmative.*

CORTONEN.

SOLUTIONIS ET REDINTEGRATIONIS

Die 25 Iulii 1891.

Sess. 25 cap. 12 De ref.

COMPENDIUM FACTI. Petrus Leopoldus dux magnus Hetruriae praedia et reliquas opes iam ad suppressam Abbatiam S. Mariae Virginis in coelum Assumptae loci Farneta pertinentes, circiter anno 1783, Capitulo Cathedralis cortonensis, quibusdam appositis conditionibus, assignabat. Quo iure id princeps egerit nescimus; nec ex iis quae in actis prostant quae praecise fuerit illius assignationis natura dignoscere possumus. Asseritur enim ab hodiernis canonicis eas facultates mensae suae concessas et devolutas fuisse, dum ab eorum adversario, qui in praesenti causa actor est, earum administratio tantum Capitulo demandata .dicitur.

Hoc tamen in dubium revocari minime potest, Capitulum redituum et expensarum rationem relate ad praedicta bona paulo post gubernio retulisse, ad hoc ut nonnulla onera ipsi imponerentur. Onera vero imposita haec fuerant ; scutata 110 praestanda quotannis Parroco farnetensi *pro tempore;* scuta 40 istius cappellano; qui parochum adiuvet in administratione sacramentorum in lata illa paroecia.

Deinde vero reliquae pecuniae summae constitutae fuerunt pro aliis parochis, nec non Ecclesiae Cathedralis vice parochis et Capellanis, ex praedictis bonis a Capitulo quotannis persolvendae.

Insuper die 1. Aprilis 1886 quaedam conventio relate ad praedictam congruam inter Capitulum et priorem parochum, loci Farneta, inita fuit. Per istam conventionem capitulum eidem parocho eiusque successoribus perpetuo concessit nonnullos parvos agros et rusticam domum ob partialem congruae solutionem. Ex quo factum est ut Capitulo superesset tantum solvenda quotannis residualis summa 77 scutatorum. Parochus vero spe maioris fructus, quem caperet ex dictis

agris, potiore ratione cultis, onus suscepit rependendi taxas praesentes et futuras domui et agris impositas aut imponendas. Onus vero servandi Ecclesiam et canonicam dictae paroeciae, et solvendi taxas quae domum et Ecclesiam respicerent etiam in futuro, permanet Capitulo.

Latis recentiori aevo pseudolegibus civilibus contra ecclesiastica bona, Capitulum cortonense omnia praedia iam ad Abbatiam S. Mariae de Farneta pertinentia, instituta lite, utpote parochialia a conversione immunia declarari obtinuit. Attamen tam super iisdem bonis quam super iis pecuniae summis, quae parochis a Capitulo persolvuntur, graviora in dies vectigalia imposita sunt. Id occasionem praebuit ut plures inter canonicos et parochum loci Farneta excitarentur controversiae, quarum pars coram S. C. C. tandem adduci oportuit.

Exposuit namque parochus congruam suam et mercedem capellano assignatam taxis plurimis onerari, adeo ut sibi pene ad victum necessaria desint et capellanum in vastae paroeciae cura adiutorem invenire impossibile sit. Quare petebat ut Capitulum adigeretur ad taxas vulgo « di ricchezza mobile e di mano morta » tam pro praeterito tempore quam in posterum sive parocho sive capellano refundendas pro ea summa quae ad formam relatae conventionis quotannis adhuc persolvere tenetur.

Disceptatio Synoptica.

IURA PAROCHI. Et primo contendit parochus bona suppressae Abbatiae ad paroeciam loci Farneta pertinere, et dumtaxat eorumdem administrationem cortonensi Capitulo fuisse demandatam. Hoc autem evincere autumat ex onere a magno Hetruriae duce anno 1732 canonicis imposito exhibendi gubernio rationes dati et accepti, nec non ex facto quod integri reditus tunc a Capitulo indicti inter parochos et capellanos distributi fuerunt. His addit ideo praedicta bona recenter a conversione exempta fuisse, quia ab ipso Capitulo

demonstratum fuit Abbatiae dotem congruam paroecialem evasisse, et qua talem proinde minime in lege comprehendi. Documenta vero ad rem plenius probandam sibi haud praesto esse dicit parochus, sed si Capitulum .ad ea omnia in luceni proferenda cogeretur quae in tabulario sollicite asservaf, extra dubitationis aleam asserta, iuxta ipsum, poneretur.

Iamvero cum modo reditus horum bonorum valde aucti sint putat parochus id a iustitia exigi ut augmentum, saltem ex parte, in favorem parochi et capellani cedat. Augmentum parochus probare curat aiendo, quod parvi agri quos sibi cessit Capitulum loco partialis congruae pro scutatis 23 nunc reddunt 50 circiter scutata. Ex hoc argui potest quale augmentum retulerit totus axis patrimonialis ex Abbatia farnetensi addictus Capitulo cortonensi. Censet igitur aliqua ratione sibi subveniendum esse, sin minus ita ut congrua assignata a principe in ea summa quam Sacri Canones exigunt salva permaneat.

Atque miseram conditionem parochi expendens affirmat : sese coactum esse plures rependere taxas; quibus subductis, Parocho miserabilis superest vis pecuniae in libellis 293,46. Neque his opponi posset, S. Pium V in Constitutione *Ad exequendam* tenuisse congruam parochis assignandam non minorem scutatorum quinquaginta ; nam ut tradit Reiffenstuel *Lib. III tit. 37 n. 23* « observandum nihilominus et attendendum omnino videtur, quod tempore quo edita fuit haec Bulla, videlicet 1567, omnia saltem in suis partibus fuerint in longe viliori pretio, adeo ut his temporibus respectu praecedentis illius temporis necessaria vitae vix duplici pretio acquirantur, consequenter ubi tempore illo quinquaginta vel centum scuta pro honesta sustentatione sufficiebant, hodie centum vel ducenta necessaria sint, adeoque etiam temporis ratio merito habenda sit, iuxta illud vulgare « concorda tempora et concordabis iura. > Quae verba si eo tempore quae scripta fuerunt veritati nitebantur, nemo est qui non videat eadem nostro aevo longe maius pondus habere. Quibus positis parochus ex iis quae superius disseruit obligationem ea-

pitulö inesse deducit, ut ea sibi ex bonis abbatialibus praestet, quae saltem ad honestam vitae sustentationem sufficere possit.

Tandem ad controversiae punctum propius accedens ius exigendi summas immunes a taxis vulgo <c di ricchezza mobile e di mano morta > parocho vindicat non modo ex obligatione quae canonicis incumbit augendi congruam, sed etiam ex ipsis instrumenti verbis quae superius relata sunt. Dicitur ibi namque priorem in se pondus suscepisse solvendi vectigalia agris et domui rusticae inhaerentia, non vero cetera de quibus illic nulla fit mentio. Quod si Capitulum congruam parocho et mercedem capellano solvere debet a praedictis oneribus immunes, iam evidens esset et summas hucusque pro taxis solutas esse actori refundendas.

IURA CAPITULI. Verum ex adverso Capitulum ea omnia quae parochus de sua paupertate retulit et quoad congruae augmentum ratiocinatur extra chorum dicta esse autumat. Licet enim parochi conditio locuples dici nequeat, nullimode tamen evincitur canonicos ad illam in melius mutandam astringi posse. Gratis siquidem iuxta illos asseritur bona iam ad Abbatiam loci Farneta pertinentia haud fuisse Capitulo concessa et devoluta, cum initio publici instrumenti anni 1786 eadem mensae capitulari unita fuisse dicantur. Neque vero meliori fundamento niti censet reliqua parochi verba. Etenim haec scripsit quoad documenta, quae penes illud asservata dicebantur et quorum productio efflagitabatur : Capitulum notum facit sese non habere alia rationum momenta, neque possidere alia documenta exhibenda aut mittenda ad S. C. Congregationem, praeter ea quae iam exhibuit. De reditibus demum et oneribus praediorum loci Farneta haec habet : si parochus rependit graves taxas, haud minores incumbere Capitulo: res enim eo venit, ut dictum patrimonium sit pene onerosum Capitulo, ex innumeris, quibus gravatur, tributis.

Observat praeterea taxas vulgo « di ricchezza mobile e di mano morta > reditibus a parocho perceptis a fisco impositas

fuisse, et idcirco his parochi congruam et minime praedialia bona praegravari. Unde si hae abnormes et iniustae sunt, non exinde sequitur eas esse parocho a capituló refundendas.

Hisce aliisque praenotatis, suppositum fuit dirimendum

Dubium

An, et a quo tempore, Capitulum Cathedralis cortonensis teneatur refundere parocho et capellano loci Farneta taxas vulgo « di ricchezza mobile e di mano morta, » *de quibus in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re cognita sub die 25 Iulii 1891 censuit respondere: *Negative et amplius.*

NUCERINA PAGANORUM

LEGATI QUOAD PARTICIPATIONEM

Die 29 Augusti 1891.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Postremo quo decessit elogio, iam ab anno 1858 sub die 21 Iulii, Iosephus D'Auria Nuceriae Paganorum Episcopus iussit ut ex reditibus ab eo capitulo assignatis subducerentur 72 *ducata,* diribenda, tribus ratis aequalibus, inter canonicos illos qui per integrum quadrimestre interfuerint divinis officiis in choro. Primum legatum quotuor mensium incipit a primo ianuarii usque ad diem 30 Aprilis; secundum a primo die maii ad diem 31 Augusti; tertium a die primo Septembris ad diem 30 Decembris. Legatum pro quolibet quadrimestre diribetur inter canonicos illos qui per totum quadrimestre choro ita interfuerint ut nulla notati fuerint punctatione. Quisquis autem abfuerit una tantum vice, vel chorum adeat inceptis divinis officiis, vel discedat antequam expleantur, qualibet ex causa, amittat ius ad legatum pro illo quadrimestri in quo defuerit, infirmi etiam aut quomodolibet impediti excludentur a legatis istis quae dividi de-

bent inter diligentiores, qui nullam in quadrimestre meruerint punctationem.

Huic tamen legi duplicem exceptionem apposuit, videlicet: ut qui, Ordinario approbante, in aliqua religiosa domo spiritualibus exercitiis vacaret, vel Episcopo extra cathedralem ecclesiam pontificalia exercenti inserviret, tamquam in choro praesens ad lucrandas legati distributiones haberetur.

Ad exitum vergente anno 1889, hodiernus Episcopus perpendens nonnisi maxima difficultate plerisque ex capitularibus fas esse fructus legati D'Auria suos facere, expostulavit, ut derogata fundatoris voluntate, ad praefatas distributiones percipiendas admitti possent etiam illi, qui in quatuor mensium lapsu ultra quinque fallentiae punctis multati haud evasissent. Sed cum ex una parte suprema defuncti Praesulis lex ad iuris tramites tuenda videretur, et ex alia legitimae derogationis causae minime enuclearentur, petitioni rescriptum fuit: « non expedire. > Verum nonnullis abhinc mensibus iterum penes S. C. C. Episcopus institit, atque primitus oblatas preces coarctans, rogavit ut legati fructus canonicis illis distribui possent, qui integro quadrimestri quartam punctationem non excederent, firma tamen manente quoad reliqua pii testatoris voluntate.

Disceptatio Synoptica

Exploratum in iure est supremas testatorum dispositiones instar legis haberi et religiosissime implendas esse */. ff. de verb. signi f.,* ita ut absque necessitatis aut evidentis utilitatis causa immutari aut destrui nullimode queant. Hic autem huiusmodi causas deficere dicendum esset, sive quia recens et clara est testatoris voluntas, sive quia petitum indultum in damnum Ecclesiae et choralis servitii vergere posset. Eo vel magis quod cum testator duas tantum exceptiones taxative proposuit, exclusa etiam infirmitatis causa, iam, praesumptio exurgit, illum petitae suae voluntatis derogationi omnino esse contrarium. Nec praetermittendum est iura diligentiorum canonicorum laedi posse,

cum ad legati participationem etiam alii minus diligentes admittuntur.

Verum aliunde, iuxta ea quae Episcopus scribit, perpendendum est : quod a Cathedrali distantiae causa, arduum fit iter, praecipue tempore hiemali. Durum vero esse canonicos qui toto quadrimestri diligentes fuerint, unius fallentiae causa ius omne amittant ad praemium quod meruerunt assidua interventione. Quando dispositio haec fiebat poene omnes capitulares iuvenes erant et docentes in seminario, Cathedrali adiacenti. Tandem ex hac duritia difficile fit etiam diligentioribus effugere aliquod fallentiae punctum.

Quas causas et capitulum probare videtur, dum votum ab omnibus canonicis subscriptum et petitioni Episcopi accedens S. C. C. transmisit. Unde omne periculum laesionis iurium abesse videretur, atque causae ob quas S. C. C. aliquando supremis testatorum legibus derogat in themate non exularent.

Quibus praenotatis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. C die 29 Augusti 1891 censuit dimittere preces sequenti responso: *Negative; et serventur dispositiones Episcopi cVAuria.*

FIRMANA

ONERUM ET PENSIONIS

Die 29 Augusti 189i

Sess. 24 cap. 18 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Labente mense Decembris 1889, paroecialis et abbatialis Ecclesia ss. Rufini et Vitalis loci Amandola, in firmana Diocesi, sacerdoti Dominico Artesi ab apostolica Dataria concessa fuit. Cum vero paroeciae reditus satis pingues perhiberentur atque simul expositum fuisset tres alios eiusdem oppidi parochos in misera conditione ver-

sari, in collationis uteris, novo abbati expeditis, pensiones aliquae impositae fuerunt. Sicque evenit ut paroeciale ss. Rufini et Vitalis beneficium, quod iam pensione annua libellarum 798 praesuli Terentio Carletti rependenda onerabatur, et tribus aliis pensionibus, nempe libellarum 800 favore parochi s. Donati, et libellarum 250 pro unoquoque parocho s. Mariae *delia Meta* et s. Petri *in castagna* gravatum evaserit.

Interim cum sacerdos Artesi ad sibi creditae paroeciae munus suscipiendum se accingeret, atque ad hoc ut reditibus-beneficii frui posset, pseudo-auctoritati civili Apostolicas Bullas ad obtinendum regium placitum exhibere coactus esset, Municipium loci Amandola mordicas restitit, asserens sibi patronatus iura in abbatiam paroecialem competere, ac proinde factam provisionem uti nullam habendam esse.

Ideo etiam factum est, ut Apostolicae literae effectum suum nancisci haud potuerint usque dum laica potestas rem totam sibi delatam cognosceret ; quod tandem evenit elapsis decem a peracta collatione mensibus. Supremum status consilium responsum quidem sacerdoti Artesi favorabile emisit, atque nullius roboris rationes a Municipio propositas diiudicavit; at sive pro hac obtinenda, sive pro negotio quam citius absolvendo, plures facere sumptus necesse fuit, quosque libellas 1500 attigisse hodiernus abbas parochus refert.

Post haec beneficii possessionem adeptus est sacerdos Artesi. Verum cum spatio 23 annorum praebenda fuisset vacans, atque tunc temporalis illius administratio suboeconomo, ut aiunt, beneficiorum vacantium gesta fuisset, ea res devenerant ut praedia abbatiae dotem constituentia foecunditatis imminutionem passa, quotidie in deteriòrem conditionem abierint. Praeterea tres ecclesiae, quarum cura parocho incumbit non modo omnibus ad sacrum cultum egentes inventae sunt; sed ex his una ad extremam ruinam proxima est, ceterae vero omnino reficiendae ut squalor et damnum a domo Dei arceatur. Quare cum sacerdos Artesi, praeter expensas factas pro vindicatione beneficii et alias

plures obire debuerit, ita ut pro taxa successionis, inventario conficiendo aliisque ad possessionem necessariis 4000 circiter libellas impender it, cumque reliquos beneficii reditus ad onera omnia impares agnosceret, preces Supremo Principi obtulit expostulans ut nuperrimi pensionarii concurrant, mensura ab Ordinario constituta, ad onera dicta substinenda, et beneficium redigendum ad statum a ss. canonibus volitum. Eodem vero tempore petiit ut pensio, concessa R. P. D. Oarletti, si vacet tempore quo beneficium orator possidet, mon conferatur donec expensae peractae reficiantur.

De more Antistes rogatus respondit: pensionarios non renuere solvere pro expensis tantum extraordinariis iam peractis in vindicando beneficio contra municipii praetensas.

Cum vero trium parochorum responsio haud plene arriserit sacerdoti Artesi, studuit ut tota quaestio cognoscentur a S. C C. Omissa igitur ea libelli parte, in qua de expensis pro vindicando contra municipales usurpationes beneficio sermo est, in quibus solvendis pensionarii conveniunt, reliquarum precum rationem habendam esse videtur.

Ante omnia animadvertendum est parochum Artesi statum activum et passivum sui beneficii obtulisse, quem cancellarius archiepiscopalis, exhibitis documentis cohaerere testatur. Ex eo deprehenditur fructus beneficii annuas libellas 7257,29 attingere, ex quibus si deducantur expensae ordinariae in libellis 5645,90, vix remanent libellae 1611,39. Monet vero, in annuis expensis rationem haud fuisse habitam, neque summae quam pro aedibus locatitiis, deficiente paroeciali domo, solvere debet, neque fructuum aeris alieni ob sumptus in vindicatione et possessione contracti. Hoc posito, adnotat etiam relatos beneficii reditus, nisi praedia ad meliorem cultum redigantur, ulteriori imminutioni quotannis subiici, atque id probare nititur locationis contractibus, quos ab anno 1883 ad haec usque tempora annuarum libellarum 500 reductionem perferre debuisse refert.

Deinde ad sumptus extraordinarios devenions haec subdit: titulari huius beneficii onus incumbere habendi duos cappellanos ;

quorum alter pro civitate, alter pro parte civitatis externa; secundo, praeter sufficientem retributionem, competere decentem habitationem-.praesentem habitationem sic insufficientem esse ut cappellanus extra paroeciam morari coactus sit ; tres praeterea Ecclesias huius Abbatiae carere omnino sacris indumentis, et indigere sollicita reparatione, dum una earum est omnino fatiscens: neque minores exigere ¡curas domus colonorum. Hinc colligi potest quod reditus beneficii per plures annos pro his necessitatibus insumendi essent, et beneficiatus in conditione deteriori reperiretur suis pensionariis.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO PAROCHI. Animadversum fuit, apud Doctores, quando agitur de quaestione an pensionarius ad onera beneficii contribuere teneatur, distingui solere an pensio in quota reservata sit, an in quantitate. Attamen plures, quos inter Tondutus *De pensionibus cap. VI, num. 2 et seq.* hanc distinctionem reprobare videntur ac potius sententiam amplecti, esse regulam generalem quod pensionarius tenetur pro rata contribuere ad solutionem onerum super beneficii fructibus impositorum. Et ratio datur, quia pensionarius similis est colono partiario qui tenetur ad decimas ex sua parte fructuum colonica *cap. Tua nobis circa finem de decimis* * et ad instar usufructuarii, qui tenetur ad collectas et onera quae super fructibus imponuntur, veluti ad collectas annuas, gabellas, pensiones, canones, tributa et alias huiusmodi praestationes temporales, ut post plures alios tradit Castil. *de usuf. cap. 57, n. 14.* Molina *de primog. lib. 1 cap. 27 n. 8* cum ibi citatis; quibus addendus est Osase, *decis. 83 per totam.* Quapropter Pyrrus Corradus in *Praxi benef, lib. 5 cap.* 7, *n. 9* considerat pensionem tamquam onus reale in beneficium, et Pitonius *disc, ccclesiast. 56, n. 47* tradit: « Quum contributio respiciat fructus beneficiorum nulla est rationis differentia ad hunc effectum solvendi contributionem inter titulares et pensionarios, cum ipsi inter se dicantur consocii fructuum, et propterea ambo teneantur

de iure ad onerum contributionem. > Unde optime concludi posset cum Ferraris *voc. pensio n. 133:* < generaliter tenetur pensionarius pro rata pensionis contribuere ad omnia onera beneficii, nisi Papa addiderit quod pensio sit omnino libera, immunis et exempta.

In themate autem quoad sumptus a sacerdote Artesi factos in paroeciae possessione, animadvertendum est integram, ut vocant, successionis taxam pro omnibus abbatiae reditibus in libellis 1319, 50 fuisse persolutam. Item cetera onera eidem inhaerere ac si fructus plene perciperet. Ait enim : quatenus spes de imminutione pensionum evanida non fiat, recolatur beneficiatum solvere taxas *di mano morta* et di *concorso* pro pensionariis ; nam gubernium haud admittit onera pensionum, et pro integro gravat titularem. Pro solutione autem praedictorum vectigalium, quotannis libellae 395, 92 impendi debent.

Quod vero spectat trium ecclesiarum refectionem aliaque ad paroeciam et cultum necessaria, haud immerito adduci possent ea quae Tridentina Synodus statuit *Sess. 21* c. 7 de Reform.* < Parochiales vero ecclesias, etiam si iuris patronatus sint, ita collapsas refici et instaurare procurent, Episcopi, ex fructibus et proventibus quibuscumque ad easdem ecclesias quomodolibet pertinentibus. Qui si non fuerint sufficientes, omnes patronos et alios, qui fructus aliquos ex dictis ecclesiis percipiunt.... cogant etc. > Cui chorum faciunt Doctores communiter tenentes illis opus refectionis, et manutentionis ecclesiae incumbere, qui illius reditibus fruuntur. Et in specie Ferraris *n. 129* tradit : < pensionarius ex reditibus pensionis impositae super beneficio tenetur pro rata concurrere ad ecclesiae reparationem, sicut tenetur ipse titularis seu beneficiarius. >

Quod si huiusmodi onera modo in unum parochum refundi vellent, ipsi qui iam aere alieno gravatur, pene necessaria ad honestam sustentationem deficerent. Conforme autem est canonicae aequitati, ne ob pensiones beneficiariis adiectas deficiat aequa redituum portio ad eorumdem vivendi

rationem, iuxta locorum personarumque morem. Fagnanus in *cap. Nisi de praeb. n. 27* aliique, et S. C. C. in Caesenaten. *Pensionis 26 Februarii 1825.* Eo vel magis cum in themate agatur de parocho, cui forsan aliquantulum favere posset constitutio s. m. Bened. XIII *Quanta pastoribus** qua voluit Pontifex et quantum fieri posset commendavit, ne ex Apostolica auctoritate imponerentur pensiones paroeciis, ut singuli parochi superextantes fructus impendere possent in miseras earumdem pareeciarum personas. Ceterum pensiones parochis impositae semper censeri debent cum clausula, dummodo salva maneat congrua, ut refert Barbosa in *Collect, n. 13.* Corradus *Praxis Benef, lib 5* c. 1* n. 27* etc. Haec autem salva, iuxta parochum Artesi, haud maneret, si ipse ad omnes perferendas expensas adigeretur.

Peculiaria demum relate ad concessionem pensionum tribus parochis factam, perpendenda esse autumat. Ait enim primo in reservatione pensionum, reditus beneficii in summa libellarum 7725, 15 fuisse indigitatos, dum e contra ut superius retulit vix ad libellas 7257,29 pertingunt. Affirmat secundo, modo tres paroecias in meliori conditione versari; nam ex misera assignatione libellarum 250 ad 700 libellas ascenderant, consecuta congrua, per quam in futuro anno consequentur lib. 8000, absque ulla taxa.

Tandem motiva ad gratiam concedendam pro suspensione antiquae pensionis favore praesulis Carletti cum primum vacaverit, pariter ex parochi paupertate atque ex ecclesiae indigentiis petuntur.

DEFENSIO PENSION AMORUM. Verum ex adverso plura parocho Artesi opponuntur. In primis observandum est, dubitari posse de veritate status activi et passivi ab ipso parocho confecto et exhibito, cum minime a peritis redactus appareat, sed tantum a cancellario fuerit approbatus, quem plerumque iudicem competentem in huiusmodi rebus haud esse, nemo ambigit. Verba autem quibus ille in approbatione usus fuit consideratis rationibus quae fieri solent ad normam legis vel consuetudinis. Ea sunt quae aestimationis libertatem admit-

tunt, et regulam certam videntur excludere. Animadvertisse sufficiat inter ordinarias expensas recensitum fuisse canonem libellarum 200 cuidam Treggiari ad decennium solvendum, de cuius cessationis die nullum fit verbum, quique ut temporaneum onus hic minime adnotari debuisset.

At his omissis iisque quae de necessitate plurium expensarum forsan excipi possent, recolendum est leges quibus pensiones per Romanam Curiam imponi solent id exigere, ut integre et libere a quovis onere solvantur, uti etiam coram S. C. O. disputatum fuit in Hortana *Congruae diei 11 Aprilis 1807** nec non pluries in S. C. Episcoporum et Regularium, et praesertim in Romana *20 Septembris 1878.* (1) Exceptio autem a postrema hac S. C. proposita decreto *Cum nuperrimis,* hic minime invocari posset, cum in themate de pensionibus anno 1889 impositis agatur, atque ceterae conditiones ibi requisitae deficere videantur. Unde concludere fas esset, tribus parochis absque ulla imminutione pensionis solvi debere. Ad rem Ventriglia *tom. II, Annotat. XI, § 11:* « Nota primo quod in reservationes pensionis solet apponi ad favorem pensionarii alia clausula, et est : liberam, immunem, exemptam, qua clausula stante, pensionarius non tenetur ad onera quae imponi solent super fructibus beneficii. »

At licet in casu relatae clausulae quae apponi solent deficerent, (quod ad acta relatum non est) non exinde sequeretur precibus sacerdotis Artesi esse annuendum. Non desunt enim canonistae qui asserant pensionarium ad onera beneficii sustinenda numquam teneri eo quia, ut docet Santi *Praelect. tit. Ut eccl. benef, sine dim. conferantur n. 25,* cum conceditur pensio, Superiori notae sunt beneficii vires, et detractio pensionis a beneficii fructibus ita fit ut, consideratis etiam futuris probabilibus eventibus, congrua et sufficiens portio beneficiato remaneat. Imo etiam illi qui contrariam tuentur sententiam pensionarii contributionem valde

(1) **Deeretum** *Cum nuperrimis* **relatum habes Vol. VII, 325. Quaestio vero** *Romana pensionis,* **hic citata, relata fuit Vol. XI, 394.**

limitant, ut apud Tondutum *loc. cit.* « Ex hoc Rebuffus *cons. 125* colligit regulam generalem, quod pensionarius tenetur ad onera pensionis quando onus respiciat ecclesiam, secus si personas respiciat, quod dicit esse notandum. Ideo pensionarius non tenetur ad expensas pro reformatione abbatiae, nec ad reparationes, nisi in subsidium etc. » Cum igitur in themate tres parochos se paratos exhibuerint ad sumptus conferendos pro expensis a beneficii rectore factis ad iura abbatiae contra Municipium vindicanda, iam dicendum esset, illos debitum suum agnovisse, neque ad alia personalia onera cogi debere.

Inepte autem invocari dicunt fructuum imminutionem in posterum verendam ; nam « cum beneficiatus sit dominus fructuum, eius damno cedere debet illorum, diminutio non pensionarii ; eodem modo quo e converso eius commodo cederet augmentum, absque quod pensionarius de illo participationem aliquam praetendere posset, cum augumentum et diminutio domini sint. » De Luca *De Pensionibus disc. 91, num. 4.*

Neque melius confugere videtur parochus Artesi ad congruae defectum. Ex ipsius enim confessione, omnibus oneribus persolutis, salvae semper remanent libellae 1611,39, idest illius summae fere triplum, quae a Concilio Tridentino parochis assignatur, quaeque adhuc hodie in parvo oppido probabilius sufficiens ad vitam dicenda est. Praeterea de incertis emolumentis hic ratio habita minime fuit, de quibus licet alii contrarium sentiant, docuit S. Rotae Auditorium in Vicentin. *Congruae 23 Ianuarii 1754, coram Bussio,* et in Asculana *Restaurationis ecclesiae et domus parochialis 22 Iunii 1789, coram Paracciano :* « additamentum nec levius item faciendum est ex emolumentis, quae stolae nuncupantur. Nam ea quoque in computationem congruae venire debere, nihil ea res dubitationis habet. »

Trium autem parochum miseram conditionem perspectam esse dicendum est, atque ex ipso facto concessionis pensionis ab Archiepiscopo et a Supremo Principe fuisse compro-

batam. Quod si modo aliquid ipsis gubernium in augmentum congruae praebet vel in futurum promittit, agitur de parva pecuniae summa, quae ab auctis omnibus oneribus ut plurimum absumitur. Praeterquam quod de reditu admodum incerto sermo est, qui ab alicuius fìsci officialis arbitrio saepe pendet, quique dum dextra conceditur, sinistra potest auferri.

Demum quod spectat suspensionem pensionis qua modo fruitur R. P. D. Carletti, observari posset gratiae largitionem ad Apostolicam Datariam pertinere, atque idcirco ad illam oratorem esse remittendum.

Quibus in utramque partem animadversis propositum fuit diluendum

Dubium

An et quomodo precibus oratoris annuendum sit in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. O. sub die 29 Augusti 1891, re cognita, censuit respondere: *Quoad impensas pro vindicanda Ecclesiae libertate a praetemo patrono affirmative pro rata pensionum ; quoad impensas pro reparatione Ecclesiarum provideat Archiepiscopus, prout et quatenus de iure ; quoad pensionem favore praesulis Carletti, recurrat ad Datariam apostolicam; quoad reliqua negative in omnibus.*

Ex quibus colliges. I. Integras omnino solvendas esse pensiones nisi expressa lege contrarium imponatur ab Apostolica Sede.

II. Pensionem imponi solere postquam Superiori innotuerint vires beneficii; ita ut, consideratis etiam futuris probabilibus eventibus, congrua et sufficiens portio remaneat beneficato.

III. Beneficiarium esse dominum fructuum beneficii, ideo illius favore vel damno procedere quidquid augetur aut imminuitur, quin pensionarius damnum aut commodum sentiat.

IANUEN.

IURIUM PAROCHIALIUM

Die 12 Septembris 1891.

Sess. 24 cap. 13 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Apud christianum populum laudabiliter in more positum esse, ut noviter instructae naves antequam in altum e terra deducantur, sacerdotali benedictione sacrisque ritibus auspicia recipiant, nemo est qui ignoret. Inter ea loca vero ubi saepius huiusmodi ritus expleri solet, ora maritima quam Ligures malo assueti incolunt profecto adnumeranda est.

Itaque accidit ut ibi, intra limites paroeciae B. Mariae Virginis in coelum Assumptae oppidi *Sestri a ponente* ianuensis Dioecesis, die 23 Augusti 1889, navis oneraria satis ampla primum mari immittenda esset atque ad illam benedicendam duo ex fratribus Minorum Capuccinorum coenobii Campi a domino navis ad vocarentur. Cum autem illi benedictionem navigio solemniter impertiti essent, inscio prorsus loci parocho, hic statim de eorum agendi ratione conquestus est, ac paucis elapsis mensibus libellum S. C. obtulit, petens: ut iubere dignetur, praedictos Patres sese abstinere ab his peragendis, et decernere hanc benedictionem caeremoniamque religiosam solius parochi esse propriam.

Antistes rogatus, retulit veritati consonum esse factum a parocho expositum; nempe patres Cappuccinos, absque eiusdem Parochi aut Superioris localis licentia, solemnem explevisse navis benedictionem; dum praxis totius orae maritimae liguriae contraria omnino exhibeatur.

Disceptatio Synoptica.

IURA PAROCHI. Qui iura parochi tuenda suscepit, praemissa paroeciae notione, iuxta quam illius rector in suo territorio potestate et praecedentia prae omnibus aliis gaudet, Ferraris *verb. parochia n. 4,* Barbosa *De Off. et pot.*

parochi p. 1 cap. 9* n. 3 et seq.* adnotabat ipsi praesertim benedictiones reservari. Posita vero distinctione huiusmodi benedictionum in constitutivas et invocativas secundum Card. Caietani doctrinam in *D. Thomam 2* 2, q. 88 art. 11:* inter invocativas recenseri memorat benedictiones domorum, navium, rerum comestibilium et aliarum, quae deserviunt profanis usibus. Clericato *decis 42* n. 59.* Passerinus *disp. 9* cap. 38, n. 9.* Laymann *lib. 5* tract. 9* cap. 13.* Has autem invocativas benedictiones si pubblice et cum solemnitate fiant, exclusive parocho competere contendit ratione iurisdictionis, qua ipse tantum in proprio territorio ita gaudet ut assimilari soleat episcopo. Ferraris *v. iurisdictio* n. 2, 3.* Mascardi *de prob, vol, 1* conclus 217* n. 2.* Quapropter, ait orator, sicuti nullus episcopus, cuiusvis privilegii praetextu, exercere potest pontificalia absque expressa licentia Ordinarii loci, sic nullus sacerdos peragere potest solemnes et publicas sacras functiones nisi parocho assentiente. Profecto benedictiones de quibus in themate, inter publicas et solemnes sacras functiones adnumerari ambigi nequit. Siquidem fieri solent sub ritibus et precibus statutis, cum cantu ipsarum precum et formulae benedictionis, a sacerdote sacris vestibus induto, ac adstante magna fidelium multitudine. Quare ratiocinatur patronus, sicut « processiones facere per parochiam ad curatos spectat et sine eorum consensu illas dirigere nullus etiam regularis valet » Barbosa *De off. et pot. parochi lib. 1* n. 12 c. 13** ita etiam solemnes benedictiones navium eadem ratione parochis reservari dicendum est.

Quoad regulares vero, et in casu patres Cappuccinos spectat, animadvertit solemnes et publicas benedictiones quae fiunt a sacerdote cum stola ipsis interdici, quia, ut ait Clericatus *Dec. 42* n 76* et Pignatellus *tom. 5* consult. 77* loquens de benedictione puerperae, stola « est signum iurisdictionis, quam regulares exercere non possunt, cum eam non habeant. » Cuius iurisdictionis defectui inniti putat plures SS. Congregationum decisiones, quibus regulares nequeunt

in suis ecclesiis, nisi de licentia Ordinarii et ex causa publica ab eodem probata exponere solemniter SSmum Eucharistiae Sacramentum et cum ipso populo benedicere. » S. Congr. Ep. et Regularium *die 10 Decembris 1602** S. Cong. Concilii in *Neapolitana 17 Augusti 1630** S. Cong. Rituum in *Firmana 22 Ianuarii 1701.* Quae insuper comprobari autumat ex alia S. C. C. resolutione relata a Ferraris *V. bened. n. 20.* Supplicante enim Procuratore generali Capuccinorum declarari: « 1. An regulares dicti ordinis requisiti ab agrorum dominis possint absque licentia parochi benedicere agros, maledicere locustas, et bracos, et ceteros huiusmodi vermes: » *et quatenus affirmative* « 2. An in huiusmodi functionibus peragendis uti possint stola absque licentia parochi: » die 28 Augusti 1688 respondit: *ad utrumque negative.* Si igitur absque parochi licentia agrorum benedictiones a regularibus et nominatim a PP. Capuccinis peragi nequeunt, a fortiori solemnis navium benedictio ipsis competere nullimode dicendum est. Nam « non possunt regulares deferre pluviale vel stolam extra propriam ecclesiam, > ut docet Canestri in sua iurisprudentia parochorum *tit. 3, cap. 4.*

Observat praeterea, quam plures functiones, quae non sunt de iure mere parochiali, peragi tamen haud posse a quolibet sacerdote, et in quibusvis rerum adiunctis. Etenim inter functiones non de iure parochiali, quamplures extant quae ad parochum spectant, ita ut sine eius licentia, aut Ordinarii perfici nequeant. Id docent communiter canonistae, inter quos notissimus Berardi : « Quemadmodum vero exemplo sacramentorum a Christo institutorum, Ecclesia iure suo sacramentalia quaedam instituit, ita factum est ut ea sacramentalia parochorum officio eo reserventur magis, quo propius accederent ad sacramenta, parochorum ministerio reservata. » *Comm. diss. 6* c. 2.* Quae doctrina decretis SS. Congregationum firmatur, praesertim SS. Rituum *diei 10 Ia?iuarii 1704 ad dub. 22.* Unde concludit Ioannes Berengo, in suo *Enchiridion parochorum art. 6, § 185* quod « nullus

actus publici cultus fieri possit publice per vias intra limites parochiae, nisi a parocho aut de eius consensu. »

Ulterius, aliud argumentum praesto esse parocho censet, ex consuetudine ibi vigenti deductum, vi cuius dominus novae navis solet oblationes aliquas parocho et ecclesiae paroeciali largiri. Praeterquam quod enim relate ad has oblationes, parochi fundatam habent intentionem in iure ex *cap. Pastoralis 28* et ex *cap. Quoniam 13 de dec. prim. et oblat.** animadvertit in themate hisce oblationibus maior pars congruae Archipresbyteri loci Sestri constitui, quaeque proinde a fisco taxa vulgo *di ricchezza mobile* gravatae fuerunt.

Nec satis: putat enim orator ex ipsa benedictionum rubrica deduci huiusmodi solemnes navium benedictiones ad parochos privative competere. Allata enim auctoritate Gavanti *tom. 2* p. 4* tit. 15** nec non Pignatelli *tom. 5* constit. 76* n. 11;* qui apud Clericatum docet: quod benedictiones notatae in Missali sunt communes cuicumque sacerdoti, etiam regularibus in suis ecclesiis: illae vero quae ponuntur in Rituali Romano censentur reservatae curatis animarum. > Igitur cum in Rituali Romano notata inveniatur navium et cymbarum benedictio, concludendum est illam ad parochum exclusive pertinere.

At quod omne dubium, si quod remaneret, auferret, est immemorabilis loci consuetudo omnino parocho favens, qua usque ab anno 1600 constat, parochum semper novas naves benedixisse. Id ex pluribus, quae allegat, documentis abunde evinci adnotat patronus, et nominatim ex epistola antecessoris archipresbyteri loci Sestri Ponente, in qua parochus de agendi ratione Capuccinorum conqueritur, nec non ex attestationibus plurium finitimarum paroeciarum rectorum. Quibus si ea addantur quae superius in facti specie relata sunt ex Archiepiscopi voto excerpta, consuetudo testibus omni exceptione maioribus demonstrata videtur. Iamvero neminem fugit observantiam attendendam esse ex *L. Minime ff. De leg. et cap. cum dilectus de consuetudine;* quippe quae om-

nia ambigua dirimit *ex cap. cum venissent de cons.* et vim legis habet *ex L. Cod. de Ep. L. Munerum ff. de ff un. et honor., ex cap. 9 de consuet.* ex Rota *Montis F alisci canonicatus 5 Maii 1823 cor. Tiheri,* praesertim si uti in themate sit immemorabilis, cuius tanta est virtus, ut sive in linea praesumptiva, sive in linea praescriptiva allegetur, titulum de mundo meliorem exhibet, ceu docet Card. De Luca *disc. 32, n. 2 et 4.* Rota etc.

Post haec gradum facit patronus ad contrarias rationes evertendas, atque adnotat in primis plures ex allatis auctoritatibus ad rem non facere cum de privatis tantummodo benedictionibus agant. Nec veritati consonum esse refert ex Benedicto XIV erui publicas et solemnes benedictiones ad quoscumque sacerdotes spectare. Etenim Summus ille Pontifex in *notificatione 105* sacras functiones sine iurium parochialium praeiudicio esse peragendas tradit, ac decreta S. Rituum Congregationis allegat, in quibus nonnullas functiones quae mere parochiales non sunt, attamen esse a parochis peragendas traditur. Item minime officere putat orator, eiusdem S. C. responsiones anni 1671 a Gardellinio citatas, utpote post recentiora ac generalia decreta auctoritate destitutas. Quod ipsum dicit de ceteris relatis decisionibus SS. CC Episcoporum et Regularium et S. Rituum, nec non de auctoritate Monacellii, in quibus vel Ordinarii licentia requiritur, quae hic defuit, vel ut superius dictum est, de privata tantum agitur benedictione. Consuetudinem vero in omnibus Capuccinis adversari , praeter quam ex iis quae iam memoravit, deducit ex synodo dioecesana Ianuensi anni 1603, in qua Archiepiscopus Horatius Spinola decrevit: « Cum benedicendae sunt domus, naves et carinae, parochi sint munus vel alterius cui id parochus demandaverit: qui contrarium praesumpserit, suspensionis poenae subiaceat. » Assertionibus vero Capuccinorum relate ad consuetudinem haud esse fidem adhibendam censet, sive quia in causa propria emissae fuerunt, sive etiam quia ex tribus senioribus loci presbyteris, quorum testimonium sibi favorabile edice-

bant, sacerdos Magnaschino triginta annorum lapsu ibi curati munere functus et canonicus Prefumo contrarium affirmant, et sacerdos Patuzzi declaravit: nullum emisisse testimonium favore Cappuccinorum.

IURA CAPPUCCINORUM. EX altera vero parte generalis procurator Ordinis Capuccinorum manuscriptam allegationem exhibuit in qua mordicus sustinet solemnem navium benedictionem non esse privative de iure paroeciali, ac proinde a quolibet sacerdote inscio parocho peragi posse. Atque adnotat in primis apud auctores qui iura paroecialia enumerant nec verbum de asserto ab archipresbytero iure reperiri. Quin imo contrarium prorsus erui putat ex magnae notae Doctoribus, inter quos meminit Benedictum XIV *ìnstit. Ecclesiast. CV* § 4 et seq.* Asserit autem Scavini *Theol. Moral. Vol. 3* p. 188 edit. Mediol. 1862** citata etiam auctoritate Catalani et Quarti, docere benedictionem navium haud ex illis esse quae parochis reservantur. Cui plene cohaerere affirmat Rotarium *Theol. Moralis Regul. (1722) Tom. III De benedictionibus pag. 491, n. 14.* Hanc vero doctrinam et Sacrarum Congregationum decisionibus confirmari putat, ex quadam resolutione C. SS. Rituum in *Papien. diei 13 Iunii 1671** quam ille ita refert: « Functionem benedicendi naves non esse parochialem, ideoque licere canonicis S. Michaelis Maioris illas benedicere intra limites cum cotta, stola, ministro, vase aquae sanctae et rituali sine licentia praepositi, cui et non capitulo curam adnexam esse expositum fuit. Gardellini *tom. II* pag. 283 edit. Rom. 1825. Muhlbauer tom. 1* voc. Benedictio n. 38.*

Nullo autem argumento fulciri adnotat, quod a parocho asseritur, eas functiones uti parochiales habendas esse quae explentur cum stola, cum haec uti signum iurisdictionis absolute sumi nequeat, ac proinde eius delatio regularibus minime interdici possit. Atque hic praesertim quod fratres Capuccinos spectat, adducit epistolam S. C. Rituum diei 15 Septemb. 1788 ad Emum Episc. Viterbiensem in qua idem Ordinarius iubetur moderari prohibitionem, et permittere patribus

Cappuccinis ut valeant benedicere infirmos, animalia, agros, vinum, legumina, atque similia cum stola ; dummodo id faciant ad instantiam alicuius personae, non ex officio, privatim et absque solemnitate, excepto pro eisdem patribus Sabbato Sancto, in quo omnino sese abstinere debent a dictis benedictionibus.

Gui et aliam fere similem S. O. Episcoporum et Regularium epistolam ad apostolicum Venetiarum Nuntium die 28 Novembris 1661 transmissam subnectit, quam invenit apud Bizzarri *pag. 292* ubi, ut ipse refert, apertis verbis innuitur quod « Minores Capuccini possunt benedicere animalia et praedia. »

Nec obstare censet generalis Capulatorum procurator alterum responsum S. C. C. ad cuius tenorem Minores Capuccini non possent absque licentia parochi benedicere agnos et maledicere brucos et locustas. Siquidem animadvertit auctoritati insistens Marcellini De Luccia *De iure Capuc.:* « haec responsio ob generalem formulam petitionis ad S. C. porrectae et in abstracto necessario negativa esse debebat. Quae proinde minime censenda est supra relatas responsiones infirmare, nec in aliquo minuere ius Minorum Capuccinorum et privilegia ipsis a Sede apostolica nemine reclamante hucusque agnita. »

Ad quaestionis vero punctum propius accedens, contendit ius benedicendi naves ad Capuccinos pertinere iuxta ea quae tradit idem De Luccia *opere cit. pag. 396.* Atque idcirco literas S. C. Episcoporum et Regularium diei 31 Augusti 1629 refert, in quibus haec leguntur: quum S. Congregatio certior facta sit a Provinciali pp. Cappuccinorum provinciae Venetiarum, quod nonnulli parochi molestias inferre studeant patribus, eisdem prohibendo ne assistant moribundis eorum animas commendando, ne benedicant privatim et sine solemnitate possessiones et naves nonnullorum devotorum, qui id expetunt: Rmi Patres iudices iusserunt scribere quod in praedictis actionibus patres Cappuccini nihil agunt quod sit proprium solius officii parochorum, et ideo patres in his rebus molestari non debent.

Cui et aliud decretum S. C. Rituum latum die 5 Octo-r bris 1686 consonare affirmat, quodque iis verbis refert: « expositum fuit pro parte Procuratoris generalis Ord. Min. Capuccinorum, quod in diversis Dioecesibus accidit aliquando suos sacerdotes a benefactoribus vocari ad faciendas benedictiones privatas, iuxta Rituale Romanum, supra eorum campos, animalia, novas naves, et similia. Verum quia nonnulli parochi praetendunt id eisdem non licere, ideo praedictus Procurator generalis supplica vit apud S. R. C. opportuna declaratione; et eadem S. C. censuit posse de licentia Ordinarii. »

Neque dici posset huiusmodi responsiones in singularibus causis editis vim suam amisisse generali SS. RR. Congregationis decreto diei 10 Ianuarii 1704. Nam praeter quam quod inibi haud aperte contrarium statuitur, cum agatur hic praesertim de privilegiis Regularium canon aptatur iurisprudentiae vulgatissimum, quod leges posteriores [intelligendae et applicandae sunt cum limitationibus et exceptionibus legum anteriorum. *LL. 26. 27* 28 ff. de legibus.*

« Verum quidem est, subdit idem procurator, quod Monacelli *Formul. Legale pract. edit. 3 Rom. pag. 14 et seqq.* etsi non loquatur expresse de benedictione navium, quamplures benedictiones parocho reservatas asserit, sive ex iure sive ex quadam convenientia, *(loco citato ad sextum decretum)* et ad rem Pignatelli auctoritatem invocat. Attamen si penitiori oculo attendatur facili negotio intelligitur quod Monacelli ibi loquatur de benedictionibus solemnibus; non autem, ut in casu, de benedictione simplici extra quamlibet ecclesiam absque solemnitate impertitae. Immo Monacelli *(ibid. n. 63)* recte supponit dari posse benedictiones quae parocho non reservantur, ad tenorem plurium decretorum : - Si quae vero contraria reperiantur decreta, magni facienda non sunt : quia vel de benedictionibus non solemnibus extra dies cinerum, palmarum, et purificationis B. M. virginis loquuntur, et intelligenda veniunt, vel non auditis aut indefensis parochis, articulo non examinato, ac animad ver-

sionibus supra relatis non factis, vel demum « ex aliqua facti circumstantia nobis ignota emanasse concedendum est. > Porro cum in themate apprime verificari dicat conditiones ob quas Monacellius explicite declarat benedictionem haud esse exclusive parochialem, rem in vado positam fuisse autumat. Quoad solemnitatem vero haec tantum adnotanda putat: « Minores Capuccini, quando a proprietariis novarum navium invitantur, absque pompa, et servato modo in una Venetiarum benedictionem impertiunt ; quod eis in casu non denegaretur, absque fidelium scandalo et contra ipsummet parochum quadam animositate. >

Post haec de consuetudine disserens, quae in paroecia *Sestri a ponente* et finitimis locis viget animadvertit, illam inepte prorsus a parocho invocari. Ex eo enim quod archipresbyter saepius quam ceteri ad benedictionem impertiendam a navium dominis invitari soleat, concludens argumentum deduci negat. Agitur enim de actibus facultati vis, in quibus non procedit praescriptio, ut inter alios tradit Engel *tit. de Praesc. § 2 n. 9.* Praeterea nec praxim ibi vigentem suis fratribus esse contrariam affirmat. Ut hoc probet exhibet epistolam superioris Capulatorum provinciae ligusticae, in qua plura congesta sunt patrum Capuccinorum testimonia, ex quibus asserta a parocho consuetudo excludi videtur.

Demum relate ad praescriptionem synodalem Archiepiscopi Spinola anni 1603, observat eam robore destitui, sive quia in desuetudinem aüiit, cum inibi comminatae suspensionis poenae contradictores subiacere reipsa haud videantur, sive quia dici posset a ijire exorbitare, utpote quae limites potestatis episcopalis excedit.

Hisce utrimque perpensis, propositum fuit diluendum

Dubium

An parocho loci Sesiri a Ponente* competat ius privative impartiendi solemnem benedictionem in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. **p.** re cognita sub die *12* Septembris 1891 censuit respondere: *Affirmative.*

Ex QUIBUS COLLIGES I. Parochos in sua paroecia, ceu Episcopos in propria Dioecesi, iure et suapte natura, gaudere potestate et praecedentia prae omnibus aliis.

IL Et ideo sicut nullus Episcopus, cuiusvis privilegii praetextu, potest exercere pontificalia in aliena Dioecesi, absque expressa Ordinarii loci licentia, sic nullus sacerdos absque licentia parochi agere nequit solemnes et publicas functiones.

III. Non esse ambigendum videri quod recenseri debeant inter functiones publicas et solemnes, benedictiones illas quae explentur ritibus et precibus statutis, cum cantu ipsarum precum a Sacerdote sacris vestibus induto, ac magna adstante fidelium multitudine.

IV. Benedictiones solemnes navium, reservari parochis, ceu reservantur eisdem, processiones agendae intra limites paroeciarum suarum; quae nullimode fieri nequeunt absque eorumdem consensu.

EX SACRA CONGREGATIONE RITUUM

DUBIUM quoad concuppentiam sacratissimi Cordis Iesu cum festis s. Ioannis Baptistae et ss. Ap. Petri et Pauli.

Dubium

Quum a Sacra Rituum Congregatione sequentis Dubii declaratio expetita sit, nimirum : I

« Quando festum Sacratissimi Corcjis Iesu concurrat vel cum festo Nativitatis S. Ioannis Baptistae, **lei** cum solemnitate Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum, quomodo tum primae tum secundae Vesperae ordinandae sint *il* »

Emi et Rmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi in ordinario coetu ad Vaticanum subsignata die coadunati, ad relationem mei infrascripti Cardinalis Sacrae eidem Congregationi Praefecti, re mature perpensa, sic rescribere rati sunt : *Servetur Decretum Urbis et Orbis* « Altero nane elabente saeculo, » *diei*

28 Iunii anno 1889, tam pro occurrentia, quam pro concurrentia.

Atque ita rescripserunt et servari mandarunt die 5 Septembris 1891.

C. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praefectus.

L. & S.

VINCENTIUS Nussi S. R. C. Secretarius.

MONTIS POLITIAM

Rmus Dnus Felix Gialdini Episcopus Montis Politiam Sacrae Rituum Congregationi sequentia Dubia pro opportuna solutione humillime proposuit, videlicet:

Dubium I. Viget in dioecesi Montis Politiani consuetudo omittendi omnino absolutionem aliasque preces a Rituali prae" scriptas post Missam solemnem in die obitus, quando die praecedenti de sero huiusmodi absolutio et preces decantatae fuerunt super defuncti cadaver in associatione. Potestne tolerari haec consuetudo?

Dubium II. Quando exponitur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pro Animabus in Purgatorio ^degentibus, possuntne ante benedictionem recitari Psalmus *De profundis* cum versiculo *Requiem aeternam* et Oratio *Fidelium* vel alia pro defunctis; vel potius Psalmus concludendus est cum *Gloria Patri* et dicenda *Oratio Omnipotens* pro vivis et defunctis ob cultum solemnem eidem Venerabili Sacramento debitum?

Dubium III. Quando in Ecclesia Cathedrali Officium feriale occurrit, omnibus horis canonicis additur officium parvum Beatae Mariae Virginis, praeterquam ad Matutinum : possuntne canonici continuare huiusmodi consuetudinem?

Dubium IV. Quoties Episcopus" ingreditur Ecclesiam Cathedralem pro pontificalibus aliisque functionibus peragendis vel pro concione audienda, tenenturne Canonici omnes iuxta Caeremoniale Episcoporum, non obstante consuetudine contraria, recipere illum ad Ecclesiae portam, eumque comitari ad adorationem Ssmi Sacramenti et ad eumdem locum iterum associare dum ad propria revertitur?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum! Magistris, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative, si adsit consuetudo vel specialis gratia, quoad primam partem: negative ad secundam.

Ad III. Negative: Officium parvum Beatae Mariae Virginis recitandum iuxta rubricas, seu in Matutinis et Vesperis anteponendum, in aliis Horis postponendum Officio diei, et in Prima, dicto *Benedieamus Domino,* dicitur ante lectionem Martyrologio

Ad IV. Quoties Episcopus pontificaliter celebraturus accedat ad Ecclesiam etsi per ianuam privatam, tenentur Canonici ad ipsius associationem a cubiculo ad Ecclesiam et viceversa in reditu : ceteris diebus sat est ut aliqui ex Dignitatibus et Canonicis ad ostium Ecclesiae Episcopum cappa indutum recipiant et reducant.

Atque ita rescripsit et declaravit die 13 Iunii 1891.

C. CARD. ALOISI MASELLA, *Praef.*

VINC Nussi, *Secretarius.*

URBIS EIUSQUE DISTRICTUS.

Quo magis erga purissimum Deiparae Conceptum fervescat pietas almae Urbis eiusque Districtus Christifidelium, qui. beatissimam Virginem Mariam antiquae religionis filiali studio semper prosecuti sunt, Romani quoque Cleri ac populi votis libenter obsecundans Emus et Rmus Dnus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi Episcopus Albanen, et Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII, in Urbe Vicarius, eumdem Sanctissimum Dominum Nostrum supplex rogavit, ut in Kalendario ac Proprio ad usum Cleri Urbis die undecima Februarii sub ritu duplici maiori festum Apparitionis B. Mariae Virg. Immaculatae, vulgo *de Lourdes,* ex Apostolica concessione inscribi valeat cum officio ac Missa propriis, nuperrime approbatis. Sanctitas porro Sua, referente me infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, Emi et Rmi Oratoris precibus quoad omnia benigne annuere dignata est: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die VII Iunii MDCCCXCI.

L. & S.

CAI. CARD. ALOISI MASELLA, S. R. C. *Praef.*

VINC. NUSSI, S. R. C. *Secretarius.*

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

De consistorio habito die 14 Decembris 1891.

SSmus Pater Leo XIII in Palatio Apostolico Vaticano habuit Consistorium secretum, in quo pronuntiavit sequentem

ALLOCUTIONEM

Venerabiles Fratres,

Non est opus multa disserere apud vos, ut intelligatis domesticum cum Ecclesia certamen, quamvis non uno semper tenore violentiae geratur, verissime tamen in dies ingravescere. Plus nimio italicarum rerum per se loquitur cursus. — Videlicet premit atque urget vecordia pertinax inimicorum, quibus circumventi sumus: qui arte confisi dispari, partim quidem propalam atque acerbe grassantur, alii per occultum et in ispeciem lenius. Unum genus est eorum, qui infensum animum dissimulare adeo non curant, ut potius prae se ferant: iisque vulgo iactantes, hostilia quaelibet adversus Pontificem romanum, ut adversus hostem, audenda, novas iniuriarum caussas quotidie exquirunt, ac velut aperto praelio dimicant. Remotiore ne repetamus, recens est earum memoria rerum, quas Octobri proximo in oculis prope Nostris patravere. Nimirum cum tam luculentas significationes tantae multitudinis asperrime paterentur, adeoque perturbare eas omni conditione decrevissent, effudere sine modestia, sine modo quod habebant clausum in pectore: nil veriti exagitare, sine iusta caussa, atrociter dictis factisque homines innoxios, pietate non civilibus studiis peregre advectos: itemque lacessere, Roma teste, Pontificem, mistis inter convicia minis. Nunc progressi longius ciere scriptis, concionibus, Italia tota multitudinem, connixi per suffragia popularía evincere, ut agatur cum Iesu Christi Vicario durius, nec plus ei relinquatur iuris, quam quantum privato cuilibet lege tribuitur. Neque tamen is prave coeptorum futurus finis; se quippe velle fatentur pontificatum ipsum perimere, huiusque rei caussa nequaquam recusaturos, si quando facultas inciderit, ad vim descendere. —

Id quidem palam non audent pars altera inimicorum : quin etiam exercitas cum Ecclesia inimicitias verbis tegunt, aut quaesita excusatione defendunt. Porro moderationem praeferunt, calliditate utuntur: exploratum est enim, si verum quaeritur, idem hos ipsos petere, idemque velle, quod alteros. Quid enim est, quod oppugnatores christiani nominis acérrimos et apertos, etiam cum continere publica auctoritate possent, non continent? Illud peius, quod in populo contumaciam atque odia ipsimet exaspérant, quando notare Pontificem perinde audent atque italicis rebus minaciter imminentem. Quod si abrogari certas leges nolunt, quarum species est impertire aliquid Sedi Apostolicae praesidii, idcirco nolunt quia consiliis suis expedit nolle. Eas enim intelligunt ad excusationem valere foris, ad tutelam domi: praeterea, quo minus rei catholicae noceatur, non admodum obstare. Revera quod nonnulli ex ipsis eorum partibus fassi sunt, complura vidimus perniciosa Ecclesiae, iniqua pontifici, nihil iis impedientibus legibus, constituta. — Vereri se quidem pontificalem potestatem testantur : sed hanc ipsam potestatem divinitus pontifici traditam moliuntur descriptis a se finibus cohibere, obstinatissimi inter omnes in eo ut et doctrina et re obnoxiam faciant Ecclesiam principatui. Simili que ratione integrum cuique ac tutum nuntiant, ad pontificem e quibusvis terrarum partibus obsequii caussa, adire: re tamen ipsa, in tam insigni iniuriarum licentia, deterreri externos necesse est insolentiâ plebis. — Ita Nobis, utriusque generis adversariorum opera, vel ipsa alloquendi audiendi commercia non parum praepediuntur: et ad minimam quamque occasionem illustratur et erumpit, quod initio diximus, vexari Nos quotidie indignius, atque in mediis difficultatibus perpetuo luctari. Quae quidem si tot ac tantae sunt in pace rebusque compositis, nemo potest satis perspicere quorsum evasurae, si quid subitum ingruat, praesertim commotis suspicionibus belli.

Unde vero factum, ut hostilium vis animorum novissimo tempore inardesceret? Nos profecto, quod proximus Decessor Noster, quodque Nosmetipsi facere vix dum inito pontificatu ex conscientia officii instituimus, idem constanter persecuti postea sumus. Vindicari postulavimus in libertatem debitam, Nostramque ius in hanc urbem nominatim, providentia Dei et saeculorum suffragio addictam Pontifici, repetere perreximus; plane sentientes, quod non semel memoravimus, incolumitatem iuris

Nostri cum salute, libertate, prosperitate italici generis optime posse consistere : imo italorum cum Apostolica Sede consensum omnino ad eorum bonorum incrementa domi forisque profuturum. Quae scripsimus, quaeque usque ad hanc diem, nihil tamen minitati cuiquam, egimus, omnia testantur, nihil esse neque in sententia Nostra, neque in agendi ratione mutatum. — Alia igitur increscentis contentionis est caussa quaerenda. Atqui rem videmur verissime iis attigisse litteris, quas ad Italorum gentem dedimus anno superiore: in quibus pravarum arcana sectarum ipsissimis eorum verbis, qui essent conscii, aperuimus: quibus quidem verbis novissime in ipso legumlatorum coetu haud ambiguae concinuere voces. Commune sectarum consilium est fatigare pugna atroci summum pontificatum, et funditus, si fieri possit, christianum abolere nomen. Modo properant destinata patrare, certum rati, omnia sibi secunda atque obedientia fore. Siquidem non modo nihil impedimenti, unde metuendum maxime videretur, sed indulgentiam atque incitamenta coeptorum plus semel sibi vident adesse.

En igitur, Venerabiles Fratres, quo res loco sint: idque et cognosse decet et meminisse, quia defensionem contra vim parantibus prodest itinera hostium habere comperta. — Atque huc magnopere velimus intendant animum qui regnis praesunt et imperiis: facile enim intelligent, non religionis tantummodo, sed etiam civitatis omnino interesse, vias impietati moribusque pravis, ne ultra procedant, intercludi. Etenim ubi dominatur impietas, ibi collabefieri necesse est praecipuum civitatis fundamentum, quod religione et honestate morum continetur: comminuta vero potestate Ecclesiae, quae vim habet alligandi maximam, omnis est fluxa ac male tuta futura auctoritas. — Reputent autem, quotquot ubique sunt, catholici quid agitetur adversus christianum nomen universe quaeque nominatim in Apostolicam Sedem consilia struantur : coniunctisque Nobiscum animis contendant rerum malarum audaciae, oppositu constantiae suae, resistere, Deo freti, cuius in bonitate potentiaque spes nostra maxime nititur.

Nunc, antea quam Ecclesiis viduis assignemus Episcopos, placet nuntiare, constitutum Nobis esse honore Collegii vestri duos viros afficere, quorum non ignota vobis ornamenta animi: ALOISIUM RUFFO SCILLA, Archiepiscopum Tit. Petraeum, Domui Nostrae Praepositum; qui tum in Archiépiscopaux Theatino*

in legatione Bavarica, sese Apostolicae Sedi integritate, consilio, sedulitate officii probavit: ALOISIUM SEPIACCI ex ordine Sodalium Augustinianorum, Episcopum Tit. Callinicensem, sacri Consilii Episcoporum atque Ordinum religiosorum negotii praepositi Secretarium, doctrinae laude, variisque muneribus integre gestis commendatum.

Quid Vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra creamus et publicamus S. R. E. Cardinales ex ordine Presbyterorum.

ALOISIUM RUFFO SCILLA
ALOISIUM SEPIACCI

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In Nomine Patris et Filii et Spiritus ¡ÍB Sancti. Amen.

Qua expleta allocutione SSmus proposuit sequentes Ecclesias:

Ecclesiam titularem Archiepiscopalem Pharsalien. vacan, per obitum clar. me. Aloisii Roteili, ultimi illius Archiepiscopi, qui Kalendis Iunii huius anni a Sanctitate Sua Presbyter Cardinalis S. R. E. creatus ac declaratus, in mense Septembris supremum vidit diem hac in Urbe, priusquam galeras ruber eidem traditus, ac titulus Presbyteralis fuerit assignatus; favore R. P. D. Nicolai Contieri, ex Ordine S. Basila, Archipraesulis renuntiatarii Caietae.

Archiepiscopalem Ecclesiam titularem Sardian. vacan, per assignationem Tituli Presbyteralis S. Silvestri in Capite factam Emo. ac Rmo. Domino Vincentio S. R. E. Presbytero Cardinali Vannutelli, favore R. P. D. Salvatoris Palmieri e Congregatione Missionis a Pretioso Sanguine D. N. L C. Archiepiscopi renuntiatarii Rossanensis.

Archiepiscopalem Ecclesiam titularem Nisiben. vacan, per translationem R. P. D Leonis Meurin e Societate Iesu ad Sedem Portus Ludovici, favore R. P. D. Iosephi Giusti, Episcopi renuntiatarii Aretini.

Metropolitanam Ecclesiam Taurinen, vacan, per obitum cl. me. Caietani S.R. E. dum viveret Presbyteri Cardinalis Alimonda, ultimi illius Archipraesulis extra romanam curiam defuncti; favore R. P. D. Davidis ex Comitibus Riccardi Episcopi Novarensis.

Metropolitanam Ecclesiam Mohilovien. vacan, per obitum bo. me. Alexandri Casimiri de Dziewaltovo Gintowt, ultimi illius Archipraesulis extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Simonis Martini Kozowski Episcopi Luceoriensis ac Zytomiriensis.

Archiepiscopalem Ecclesiam Caietan, vacan, per translationem R. P. D. Nicolai Contieri ex Ordine S. Basila ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Pharsaliensem; favore R. P. D. Francisci Niòla Episcopi Laquedoniensis.

Metropolitanam Ecclesiam Rossanen, vacan, per translationem R. P. D. Salvatoris Palmieri e Congregatione Missionis a Pretioso Sanguine D. N. I. C. ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Sardianam, favore R. D. Donati Dell' Olio, Presbyteri Vigil iensis sub Archiepiscopo Tranensi. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Vigiliis sub Archiepiscopo Tranensi progenitus et in quadragesimo quarto aetatis suae anno constitutus, scholarum patrii seminarii regimen, atque studiorum et disciplinae Praefecturam tenens, philosophicas inibi tradens disciplinas, ac theologicam explicans Summam Angelici Doctoris, Canonicus theologus Vigilensis hucusque renunciatum est.

Ecclesias Metropolitanas Gnesnen, et Posnanien. invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per obitum bo. me. Iulii Iosephi Dinder, ultimi illarum Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P, D. Floriani Stablewski Presbyteri Posnaniensis archidioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in urbe Transtadii, Wschowa, archidioecesis Posnaniensis progenitus et quinquagesimum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia dudum laurea donatus doctorali, inter Sanctitatis Suae ab intimis Cubiculis ad honorem prius, ac dein inter Protonotarios Apostolicos ad instar participantium adscitus est.

Ecclesiam titularem Episcopalem Amathen. sub Patriarcha Hierosolimitano vacan, per successionem ad sibi unitas Sedes Cathedrales Melphitènsem, Terlitiensem ac Iuvenacensem R. P. D. Paschalis Corrado, favore R P. D. Gherardi Arardi Episcopi renuntiatarii Carpensis.

Cathedralem Ecclesiam Aretin. vacan, per promotionem R. P. D. Iosephi Giusti ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Nisibenam, favore R. P. D. Domnini Donnini Episcopi Deinen.

Cathedralem Ecclesiam Verulan. vacan, per obitum bo. me. Ioannis Baptistae Maneschi, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore Pauli Fioravanti, Presbyteri Nepesin. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus orius et in quinquagesimo aetatis suae anno constitutus, Nepesini Seminarii Rector adlectus, Examinatoris Pro Synodalis et Convisitatoris munere perfunctus, Canonicatu Poenitentiario prius et hucusque prima Archipresbyteratus dignitate in Basilica Nepesina Cathedrali cohonestatus est.

Cathedralem Ecclesiam Lucerin. vacan, per obitum bo. mem. Iosephi Mariae Cotellessa, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Carmeli Ciotola, presbyteri Neapolitani. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Neapoli progenitus et in quinquagesimo octavo aetatis suae anno constitutus, pro-Rectoris illius archiepiscopalis seminarii, et in Congregatione ad iuvenum, qui. studiis dant operam, animos in pietate efformandos Pro-Moderatoris munere perfunctus ceu moderator spiritualis, et Regii pauperum hospitii, ac Puellarum Virginum sub titulo S. Annae, ac perpetuus revisor Neapolitani Cleri ad praesens usque adlectus est.

Cathedralem Ecclesiam Viglevanen. vacan, per obitum bo. me. Petri Iosephi Degaudenzi. ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; favore R. P. D. Iacobi Merizzi, Presbyteri Comensis dioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus Tirani Comensis dioeceseos progenitus et quinquagesimum septimum aetatis suae annum supergressus, dudum doctorali laurea donatus, Iudicis

pro causis matrimonialibus, Delegati Episcopalis, ac pro seminariorum disciplina Deputati muneribus perfunctus, Cathedralis Comensis prius ornamentarius et hucusque Canonicus theologus adlectus, tum provicarius Generalis, ac illa Sede vacante Capitularis renuncialus est. Inter pro-Synodales Examinatores, ac inter Sanctitatis Suae Cubicularios ad honores, atque Apostolicos Pronotarios ad instar participantium adscitus est.

Cathedralem Ecclesiam Carpen, vacan, per translationem ad titularem Ecclesiam Episcopalem Amathensem R. P. D. Gherardi Araldi; favore R. D. Andreae Righetti, Presbyteri dioeceseos Burgi Sancti Domnini. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus penes S. Columbiani paroeciam in loco, cui vulgo Cornice, condioeceseos Brugnatensis progenitus et octavum supra quadragesimum aetatis suae annum supergressus, inter Examinatores et Iudices synodales suae dioeceseos adnumeratus, pro Vicarii in spiritualibus Generalis munere perfunctus, et hucusque Capituli Burgi S. Domnini Canonicus Theologus renunciatus fuit.

Cathedralem Ecclesiam Collen, vacan, per obitum bo. me. Aloisi Traversi, ultimi illius Episcopi, extra romanam cnriam defuncti, favore R. D. Alexandri Toti Presbyteri Senensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus progenitus^ et in quinquagesimo octavo aetatis suae anno constitutus, in sacra theologia, tum in iure canonico dudum doctorali laurea ditatus, Archiepiscopali in seminario sacrae Scripturae Antecessor adlectus, nec non Censoris ecclesiastici pro libris publice edendis, et Examinatoris pro-Synodalis muneribus perfunctus, Parochus hucusque Senensis ad Sanctum Petrum, vulgo in Banchi, renuntiatus est.

Cathedralem Ecclesiam Guastallen. vacan, per translationem ad Sedem Comensem R. P. D. Andreae Ferrari, favore R. D. Petri Respighi Presbyteri Bononiensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Bononiae progenitus et quadragesimum octavum aetatis suae annum supergressus, ibique tum in sacra theologia, tum in utroque iure doctorali laurea dudum donatus, Bononiam reversus deputatus fuit ad S. Liturgiae et Christianae antiquitatis lectiones illo in Seminario tradendas. Archipresbyter hucusque renunciatus Paroeciae SS. Gervasii et Prolasii Plebis Budrii in propria archidioecesi, reorum Defensoris apud S. Officium in ipsa Metropolitana Curia, et Consultoris Societatis, quae à S. Infantia nomen habet, muneribus perfunctus, Sacerdotibus, qui piis Operis Dal Monte intendunt, adiunctus est.

Episcopalem Ecclesiam titularem Caesaropolitan. sub Archiepiscopo Philippen, vacan, per translationem R. P. D. Felicis Midon ad Ecclesiam Osakensem nuper a Sanctitate Sua ad Cathedralis fastigium in Iaponia evectam, favore R. D. Stephani Porro Presbyteri Andriensis, qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem R. D. Friderici Mariae Galdi, Episcopi Andriensis. D. Stephanus Porro ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Andriae progenitus et in quinquagesimo quarto aetatis suae anno constitutus, Congregationis nobilium sub nomine Servorum Mariae Rectoris munere perfunctus, patrii Capituli Canonicatus prius, et hucusque quinta Prioris dignitate cohonestatus, inter Sanctitatis Suae intimos Cubicularios supra numerum adscitus est.

SSmus Dnus Noster habuit in aula Regia Palatii Apostolici Vaticani Consistorium publicum pro tradendo Galero Rubro Rmis Cardinalibus Antonio Iosepho Gruscha, creato et declarato Kalendis Iunii huius anni- Aloisio Ruffo Scilla et Aloisio Se-

piacci creatis ac declaratis die 14 Decembris huiusmet anni; et completo Consistorio publico, in Aedibus Superioribus sui Palatii Apostolici Vaticani habuit etiam Consistorium Secretum, in quo clausit Os de more Rmis Gruscha, Ruffo Scilla et Sepiacci; deinde sequentes proposuit Ecclesias:

Ecclesiam Cathedralem de Durango, cuius Cathedrales penitus extincta declarata fuit eaque simul ad Metropoleos fastigium elevata, favore R. P. D. Iosephi Vincentii Salinae hactenus Episcopi de Durango„

Metropolitanas Ecclesias Colocen, et Cacsien. invicem perpetuo canonice unitas vacan, per obitum clar. me. Ludovici dum viveret S. R. E. Presbyteri Cardinalis Haynald, ultimi illarum Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Georgii Császka Episcopi Scepusiensis.

Metropolitanam Ecclesiam Vallisoletan. vacant, per obimm bo. me. Mariani Lichäelis Gómez, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Antonii Hariae Cascaiares et Azara Episcopi Calaguritani et Calceatensis.

Ecclesiam Cathedralem de Linares, a metropolitica iurisdictione sedis de Guadalaxara eam eximendo. Cathedralitatem penitus extinctam declarans, eamque simul ad Metropoleos fastigium elevans, favore R. P. D. Hyacinthi Lopez hucusque Episcopi de Linares.

Ecclesiam Cathedralem de Antequera, cuius Cathedralitatem penitus extinctam declarans eam eximens a metropolitica iurisdictione Sedis mexicanae eamque simul ad Metropoleos fastigium elevans, favore R. P. D. Eulogii Gregorii Gillow hactenus Episcopi de Antequera.

Metropolitanam Ecclesiam Strigoniensem vacan, per obitum clar. mem. ioannis S. R. E. dum viveret Presbyteri Cardinalis Simor, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti; favore R. D. Claudii Francisci Vaszary Ordinis S. Benedicti, Presbyteri Veszprimiensis dioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco nuncupato Keszthely in Hungariae Comitatus Zala dicto Veszprimiensis dioeceseos et in sexagesimo aetatis suae anno constitutus, Professor et Director gymnasiorum adlectus, Ordinis S. Benedicti nullius et exempti Archi-Abbas sacri Montis Pannoniae, Praesul Districtus ecclesiastici Archiabbatialis eiusdem sacri Montis, Abbas ac perpetuus Praeses omnium sui Ordinis Conventuum per totum Hungariae Regnum renunciatus est.

Metropolitanam Ecclesiam Mexican. in America Septemlrionali vacan, per obitum bo. mem. Pelagii Antonii de Lavastida, ultimi illius Archipraesulis extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Prosperi Mariae Alarcon Presbyteri Mexicanae archidioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in civitate vulgo dicta Lemma, Mexicanae archidioeceseos progenitus, et sexagesimum quartum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, curae animarum aliquando addictus in paroeciali Verae Crucis Ecclesia, Canonicus prius Mexicani Capituli et hucusque Decanus, ac eadem Sede vacante Vicarius Capitularis renunciatus, est.

Cathedralem Ecclesiam Paderbornen. vacan, per obitum bo. me. Francisci Drobe, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Theophili Huberli Simar Presbyteri archidioecesis coloniensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Eupenae Coloniensis archidioeceseos progenitus et in sexto

supra quinquagesimum aetatis suae anno constitutus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, plurimis annis sacrae theologiae moralis ac dogmaticae, apologeticae, et sacrae Scripturae in universitate Bonnensi Professor renunciatus, inter academiae Monasteriensis Theologos, ac Sanctitatis Suae Domesticos Praelatos adscitus est.

Cathedralem Ecclesiam Seepusien. vacan, per translationem ad Sedes Metropolitanas sibi invicem unitas Colocen, ac Bacsien. R. P. D. Georgii Csàszka; favore R. P. D. Pauli Szmrecsányi Presbyteri archidioeceseos Agriensis. Qui ex legitimis catholicis, nobilibusque parentibus in Darócz, Comitatus Sárosiensis in dioecesi, Cassoviensi, progenitus et in guadragesimo sexto aetatis suae anno constitutus, Agriensi in Metropolitana Concionatoris munere perfunctus, Archiepiscopi Agriensis Curiam plurimis regens annis, Protocollistae et Archivarii, Consistorii Archiepiscopalis Secretarii et etiam Cancellarii muneribus perfunctus est.

Cathedralem Ecclesiam Munkacsien. Ritus Graeco-Catholici Ruthenorum S. R. E. uniti vacan, per obitum bo. me. Ioannis Pásztelyi, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Iulii Firczak Presbyteri dioeceseos Munkacsiensis Ritus Graeco-Catholici Ruthenorum. Qui ex legitimis, graeco-catholicis, honestisque parentibus progenitus et quinquagesimum quintum aetatis suae annum supergressus, in Lyceo-Regio-Episcopali plures per annos Theologiae Dogmaticae Antecessorem agens. Unghvarini Directoris orphanotrophii puellarum, illiusque seminarii Rectoris munere perfunctus, in Canonicum actualem Munkacsiensem prius assumptus ac dein ad praesens usque Praepositi maioris dignitate cohonestatus est-

Cathedralem Ecclesiam Crisien. Ritus Graeci S. R. E. uniti vacan, per obitum bo. me. Eliae Hranilovic, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Iulii Drohobeczki Presbyteri dioeceseos Munkacsensis. Qui ex legitimis, graeco-catholicis, honestisque parentibus in Karacsony-Falva, in Comitato Marmaros in Hungaria, dioeceseos Munkacsiensis, progenitus, ac trigesimum octavum aetatis suae annum supergressus, in theologico seminario Ungvariensi studiorum Praefectus una simul Professor, atque praeparandiae Director constitutus est Archivarii dioecesani perfunctus est.

Ecclesiam titularem Episcopalem Zenopolitan. sub Archiepiscopo Seleucien. vacan, per obitum bo. me. Aloisii Moccagalla, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Francisci Albini Simor, Presbyteri dioeceseos Zytomiriensis, qui etiam deputatus fuit in suffraganeum Mohiloviensem. R. P. D. Se**nior ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus in pago Dubowiec dioeceseos et parochiae Zytomiriensis progenitus et quinquagesimum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia Candidati, atque Doctoris gradibus donatus, Canonicus ornamentarius Mohiloviensis, et Cathedralis Canonicus Luceoriae ac Zytomiriae renunciatus, inibi poenitentiarii Cathedralis, illiusque seminarii Professoris linguae graecae ac theologiae dogmaticae munus obivil. A Canonicatu ad Praelaturas scholastici ac Primicerii, seu Cantoris successive hucusque assumptus, Romam bis veniens inter Sanctitatis Suae Domesticos Antistites adscitus est.**

Ecclesiam titularem Episcopalem Pentacomien. sub Archiepiscopo Bostrensi vacan, per promotionem ad titularem Ecclesiam archiepiscopalem Cyrrensem R. P. D. Andreae Navarre, Vicarii Apostolici Novae Ghineae, favore R. D. Pauli Padilla Presbyteri dioeceseos Saltensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco vulgo nuncupato Iuiuy dioeceseos Salientis Argentinensi in republica et quadragesimum tertium aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia dudum laurea

doctorali donatu Saltensi in seminario literaturae ac theologicae facultatis Anlecessoris atque Rectoris munere perfuuctus, Saltensis Capituli Canonicus dignitarius illaque sede vacante Vicarius Capitularis ad praesens usque renunciatus est.

Ecclesiam S. Marthae favore Raphaelis Celedón e Dioecesi S. Marthae, Aedis parochialis Ocana rectoris.

Postea SS. pandidit Ecclesias provisas in forma Brevis, hoc est:

Cyrenen. Archiepiscopalem titularem pro R. P. D. Ludovico Nazario Begin deputato in Auxiliarem Emi. Archiep. Quebecen.

Metropolitanam Ecclesiam ladren, vacant, per obitum bo. me. Petri Dominii Maupas, ultimi illius Archipraesulis, extra romanam curiam defuncti ; favore R. D. Gregorii Raicevic Presbyteri Ragusinae dioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Ragusino in Suburbio penes paroeciam S. Andreae Apostoli progenitus, et quintum supra sexagesimum aetatis suae annum supergressus, Seminarii theologici centralis Rectoris, Iadrensi in archidioecesi Examinatoris et Iudicis Prosynodalis, Consiliarii tribunalis ecclesiastici matrimonialis, Officialis Curiae ad omnia Brevia et Pontificia Rescripta exequenda, quae ad dispensationes a matrimonii impedimentis referuntur Capituli Metropolitani Iadrensis Archidiaconus hucusque renunciatus est.

Ecclesiam titularem Archiepiscopalem Edessen. vacant, per obitum bo. me. Thomae Michaelis Salzano, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Philippi e Comitibus Castracane de Antelminellis, Presbyteri Calliensis. Qui ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus Calliensi in urbe progenitus et in quadragesimo primo aetatis suae anno constitutus, in iure canonico doctorali laurea donatus, Calliensis Cathedralis Canonicus ornamentarius adlectus, in intimum Sanctitatis Suae Gubicularium e numero Participantium assumptus, Archibasilicae Lateranensis prius et hucusque Vaticanae Basilicae Canonicus renunciatus est.

Premislien. Ruthenorum, pro R. P. D. Iuliano Pelecz, Episcopo Stanislaopolitano.

Cathedralem Ecclesiam Stanislaopolitan. Ritus Graeco-Rutheni vacat, per translationem R. P. D. Iuliani Pelecz, Episcopi Premislien. eiusdem Ritus, favore R. P. D. Iuliani Kujlowski Episcopi titularis Hephaesteni.

Cathedralem Ecclesiam Sancti Thomae de Guayana in ditione de Benezuela Americae Meridionalis vacant, per obitum bo. me. Emmanuelis Philippi Rodríguez, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Antonii Mariae Duran Presbyteri de Truxillo. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in urbe de Truxillo progenitus, et in quinquagesimo tertio aetatis suae anno constitutus, in Cathedrali de Barquisimeto Parochus prius, Canonicus dein de Mercede, ac ad praesens usque Decanus renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Calabosien. vel de Calabozo in ditione de Benezuela Americae Meridionalis vacant, per obitum bo. me. Sallustiani Crespo, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Philippi Neri Sendrea Presbyteri dioeceseos Emeritensis. Qui ex legitimis catholicis, honestisque parentibus in Villa Dominae Nostrae de Altagratia, Emeritensis dioeceseos progenitus, et quadragesimum septimum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia dudum

doctorali laurea donatus, Parochus Coadiutor Ecclesiae Matricis SS. Apostolis Petro et Paulo dicatae adlectus, Provisor ac Vicarius Generalis et Gubernator praedefuncti Antistitis de Colabozo effectus, illaque Sede vacante Vicarius Capitularis ad praesens usque renuntiatus est.

Sinus Viridis, pro R. D. Sebastiano Mesmer.

Crossen, pro Iacobo Schenebach.

Clevelanden, pro Ignatio Hortsmann.

Cisamen. pro Carolo Mauritio Graham electo in Coadiutorem perpetuum hodierni Archiep. Plymulensis.

Episcopalem Ecclesiam titularem Gratianopolilan. sub Archiepiscopo Gaesariensi vacant, per obitum bo. me. Laurentii Mariae Cordier, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Ferdinandi Kalous, Presbyteri archidioeceseos Pragensis. Qui etiam deputatus fuit in auxiliarem Emi. ac Revmi Domini Francisci de Paula, titulo SS. Ioannis et Pauli, S. R. E. Presbyteri Cardinalis Schönbora Archiepiscopi Pragensis. R. P. D. Ferdinandus Kalous ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in pago Cerny Vul archidioecesis Pragensis progenitus, et in quinquagesimo sexto aetatis suae anno constitutus, Collegiatae Veterobolesla viens is in archidioecesi Pragensi Canonicus effectus tum inter Cubicularios a secretis Sanctitatis Suae, tum inter Pontificiae domus Antistites adscitus est.

Dansaren, pro Goelestino Felice Chonvellan deputalo in Viear. Aplicum. Sutchuen Orientalis in Sinis.

Post haec SSmus aperuit os de more Rmis Cardinalibus Gruscha, Ruffo Scilla et Sepiacci, et institum fuit pro Pallio Ecclesiarum - Taurinen - Mohilovien - Caietan - Rossanen - Gnesnen ac Posnanien - Aretin. - De Durango Colocen, ac Baesien. - De Linares - De Antequera - Strigonien - Mexican. - ladren. Iohien. - Bombayen. - Vallisoletan.

Tandem SSmus tradens Annulum cardinalitium dictis Rmis Cardinalibus assignavit Emo. Gruscha titulum S. Mariae angelorum: Emo. Ruffo Scilla Titulum S. Mariae Transpontinae ac titulum S. Priscae Emo. Sepiacci.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

MILETEN.

MATRIMONII

Die ***12*** *Septembris* ***1891.***

Sess. 24 cap. 1 De reform, matr.

CMPENDIUM FACTI. Raphael Valensise domo Polistena in dioecesi Miletensi, brevi nuptiali tractatu praemisso, dum 29 aetatis annum ageret, matrimonium die 5 Augusti 1880 Tarvisii contraxit cum Rosa Loffredo ex marchionibus Mongiuffi, 22 annos nata. Eadem die expleto etiam civili actu coniuges vitae consortium iniverunt.

Fertur ipsa prima cohabitationis nocte vir ad matrimonialia obsequia praestanda se ineptum demonstrasse. Unde post aliqua incassum tentata consummationis matrimonii conamina, sponsi commune torum reliquerunt, quin tamen Raphael statim domo uxoris in quo hucusque manserat demigraverit. Dehinc die 16 Septembris eiusdem anni Rosa virum suum coram laico iudice in ius rapuit, petens ut civile vinculum ob illius impotentiam nullum atque irritum declararetur. At tarvisinum tribunal, post longam causae disceptationem, ac plurium peritorum iudiciis, actricis petitionem reiecit sententia diei 16 Aprilis 1887. Quae tamen sententia Venetiis postea in gradu appellationis, aliis habitis prae oculis medicorum peritiis, mense Septembri 1888 exauctorata fuit, emisso iudicio: constare de matrimonii nullitate ob mariti impotentiam.

Fere post annum Raphael Miletensem curiam adibat petens, ut Sedes Apostolica dignaretur concedere dispensationem a matrimonio rato et non consummato; cui petitioni mulier promisit obstaculum non ponere.

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO VIRI. Patronus viri, quum obtinuisset ab Apostolica Sede facultatem utendi testimonia adhibita in processu civili quoad physicum mulieris statum*, statuit se protueri dispensationem a matrimonio rato et non consummato.

Hisce praemissis, quoad Raphaelis iuratum examen animadvertit, iuxta veritatem illa retractavisse quae antea simpliciter in civili tribunali asseruerat, ne sacrilegio se exponeret violans iusiurandum apud ecclesiasticum iudicem. Rubore siquidem affectum aliter se gessisse refert, quia nemo tenetur semetipsum prodere. Ast cum hodie agatur de sacro ligamine, confiteri cogor, ait, nedum me non consummavisse matrimonium, sed neque habuisse plenam erectionem, quod praecedenter ad vinculi defensoris interrogationem confessus ipse fuerat.

Mulier quoque interrogata retulit, virum etiam post mensem assiduae curationis, consummare nequivisse.

Utriusque coniugis examini suffragari edicit patronus testes credulitatis septimae manus. De his enim a iudice formiter interrogatis quoad veritatem ac religionem Raphaelis quilibet testatur de probitate Raphaelis Valensise ; et pro certo tenet illum non consummavisse matrimonium. Et quinque alii testes declarant sibi persuasum esse et unusquisque opinatur prorsus fore impossibilem animorum reconciliationem.

Eadem orator affirmat deposuisse testes rite in Curia cuneensi interrogatos. Et ipsa mater mulieris dissidium attribuit impotentiae ; et censet impossibilem reconciliationem animorum: quod alii etiam testes confirmant.

Nec absimiliter deposuisse memorat alios testes qui Messanae commorantes, ab archiepiscopali Curia messanensi fuerunt examinati. Enarrat enim, istos sub fide iurisiurandi testâtes fuisse non modo Rosam Loffredo religiosam esse et mentiri nesciam, sed etiam ipsius confessionem inniti veri-

dicis circumstantiis, quibus tribuenda est causa animorum dissociationis.

Post haec patronus ad probationes propius accedens animadvertit ad dispensationem esse quaestionem cohibendam, iuxta Raphaelis preces et miletensis iudicis conclusiones.

Ac in primo sustinet orator quod actibus convalidatis ex benignitate pontificia luculenter demonstratur matrimonii inconsummatio, saltem ex relativa hominis impotentia. Deinde orator sumit exordium a notis principiis, ut posita non consummatione potius dispensatio concedatur, concurrentibus canonicis causis. Coniuges enim non sunt una caro effecti quando copula non intercessit, quo in casu divinum praeceptum haud urgere affirmat eo quia reapse non fuerunt duo in carne una. Donec ergo consummatio matrimonii abest, prorsus indissolubilem unionem evanescere dicit.

Hinc S. Sedem, divini elogii interpretem in hisce casibus non exigere, ait, rigorosas probationes, quae aliunde requirerentur super nullitate matrimonii, et idcirco non absolutam, sed relativam sufficere impotentiam ex communi canonistarum sententia; Ursaya *tom III, Disc. 21, n. 13 et passim.* Rigorem igitur legis civilis veluti in casu *art. 107 cod. civilis* ab ecclesia non requiri animadvertit orator, quamquam post diuturnum octo annorum tempus, rem iudicatam super impotentia enatam fuisse dicat. Prudentius enim protuetur, se gerere Ecclesiam declarando etiam nullitatem matrimonii ex defectu relativae impotentiae , quod expeditius controversiam terminavisset, cum aliunde utriusque generis impotentia tam absoluta quam relativa nullum exhibeat discrimen , sed eiusdem sit efficaciae, iuxta ea quae docet Sánchez *D e^ matr im. lib. VIII, Disc. 53, num. 3* - ibi - « Sic se habet absolutum et totale impedimentum respectu matrimonii absoluti, sicut respectivum et particulare respectu particularis. Sicut ergo* illud dirimit omnem matrimonii contractum, ita hoc dirimit peculiarem. >

Haec atque alia praesenti controversiae orator applicans ex peritia super corpore Valensise revincere satagit omnia

signa et characteres impotentiae relativae citra controversiam reperiri, licet super absoluta impotentia nec affirmare, nec negare aliquid doctores audeant in relata peritia. Quae omnia pondus maximum habere deducit ex experimento seu arena talami, ubi reapse Rosam, totis inspectis votis, virginem intactam permansisse, si illum audiamus, archiatri contestantur.

Medicos vero qui genitalia Raphaelis Parthenope inspexerunt adinvenisse, censet, omnia signa et characteres quibus revera confirmanda fuisset eiusdem antecedens impotentia. Istis enim haud ignotum fuisse putat Raphaelem conturbatum in ipsa novitate coniugii, post inutilia conamina consuluisse medicos Ohiaron Casoni, et Paris, qui coram iudice declaraverunt: eumdem questum fuisse de impotentia quae originem duxit ab aetate sua viginti annorum.

Declararunt etiam perdifficile esse, illum posse fieri aptum copulae in futuro tempore; nihilominus, observat orator, eos, propter externam corporis Raphaelis structuram explicitum super impotentia iudicium haud fuisse ausos proferre. Quod tamen iudicium ipse minime probare videtur, eo quod multiplices peritias quoad Rosae virginitatem medici negligentes, animadvertere noluerunt, num machina exterius perfecta, suo munere fungeretur.

Ac reapse quoad experimentum thalami peritos medicos sive in diagnosi, sive in conclusionibus, Rosam virginem recognovisse autumat patronus. Quibus, praeter alios, affirmat cohaerere archiatrum Filippi.

Neque huic super virginitate aliquid obstaculi opponi posse autumat, si primi periti a peritioribus confutati, dum ipsi omnia signa virginitatis agnoverunt in muliere, nihilominus aliquam laesiunculam in hymene invenerunt. Productis enim aliis peritiis, orator ostendere nititur ex nativa origine laesionem congenitam fuisse. Quod auctores et veteres ac recentiores admittunt, quos inter, Tortosa *Istituzione di medicina penale Somm. 11* 16* Puccinotti *Lezioni di medicina legale lez. II* n. 6.* Quibus ex recentioribus,

consonare refert Tardieu, cuius etiam auctoris argumenta fusius in summario reproducit.

Nec novam esse hanc obiectionem subdit, quippe S. Congregatio nihilominus aliquando dispensationem consuluit in quibusdam controversiis, ubi huiusmodi laesiones et rimulae opponebantur, veluti in *Ianuen. Dispensationis matrimonii rati et non consummati 9 Iunii et 22 Sept. 1866** nec non recentius in *P r aten. 29 Maii 1869 ** quarum causarum species, et physicorum inibi adductas rationes patronus expedit.

Ceterum putat in calculo esse habendas rationes et decidendi motiva, quae protulit Venetiarum appellationis tribunal, quibus perpendisse enarrat statum virginitatis Rosae comparative cum impotentia viri, non vero in abstracto.

Quae decidendi motiva omnino congruere putat orator cum theoriis in hac S. Congregatione sancitis. Sane vero apud canonistas quando agitur de impotentia, ex generali regula censendam esse dicit semper perpetuam et praecedentem : Engel *Lib. IV* decret, tit. 35* n. 9.* Reinffenstuel *cit. lib. tit. 15* n. 29:* praesertim si mulier statim in novitate coniugii conquesta fuerit. Mascardus *De probat, conclus. 1229** Quas doctrinas universali criterio complectitur Ursaya *part. 1* disc. 12, n. 248** ubi sic, quando matrimonium consequi nequit finem suum, concludit: « in dubio potius contra matrimonium respondendum est, ne inducta in favorem retorqueantur in odium contra omnes iuris regulas, de quibus Sánchez *De matrim, lib. 7* disp. 103 * n. 1.* In dubio favendum esse valori matrimonii procedit quando matrimonium potest suum consequi finem, nimirum bonum prolis, aut fornicationis vitationem, ubi coniux est impotens, sed utroque fine frustratur. »

Et quoad perpetuitatem refert, eumdem auctorem, plurimis cumulatis auctoritatibus, ostendere validissimam intrare iuris praesumptionem, quod eadem inhabilitas quae ei inhaesit de tempore praeterito, inhaereat nunc de praesenti et magis augebitur in futuro iuxta vulgatum adagium: « qui non est hodie, cras minus aptus erit. >

Difficultates porro, quas tarvisinam sententiam super absoluta impotentia non item relativa deprehendisse affirmat orator, ex iuvenili aetate et ex apparenti corporis organica confirmatione, nihil contra factum evincere autumat. Dato siquidem et non concesso hominem *spermatorred* infectum et viribus destructum regulari corporis structura esse praeditum, idcirco non expelli adurget intrinsecum impotentiae vitium. Atque in hanc sententiam doctores unanimi sententia convenire memorat, et passim ipsam S. Congregationem; Cocchius in *discept, physic. anatom. § 4.* Marchangelus *Diss. phy. med.* § *6,* atque inter ceteros Barzellotti *Medicina legale cap. III* lib. 1.*

Quas doctrinas patronus corroborat exemplis quae referuntur in thesauro resolutionum, inter quae *Neapolitana matrimonii diei 24 April 1858* inter Ioannem De Rosa et Antoniam Volpicelli, quorum coniugium dispensatione solutum fuit, *vetito transitu Ioanni De Rosa ad alias nuptias inconsulta S. Congregatione ;* quamvis homo praeditus esset formis herculeis et artis inspectores eumdem appellaverit exemplar viripotentiae.

Attamen quamvis peritorum iudicium et resiudicata deficeret, nihilominus impotentia viri et consequenter matrimonii inconsummatio morali revinceretur certitudine, iuxta patronum, sequentibus rationibus, quas ita enumerat: 1. Non certe per locum, ait, in diebus melitae lunae petitur consilium a physicis ad recuperandas vires pro connubiali coitu, 2. Nec similiter pharmaca recipiuntur cantaridinae et phospori sub forma « di confettini > quae pharmaca et consultationes a medico exquisitae maximum probationis genus a doctoribus reputari, affirmat ad monitum Ursayae *tom. I disc. 12.* 3. Non aliter agunt qui se potentes existimant. Hisce adiicitur 4. moestitia Raphaelis in ipsa nuptiarum solemnitate, quando nimirum desponsatorum animi ad hilaritatem, et laetitiam excitantur. 5. Demum iurata, et sincera utriusque confessio, praesertim cum nemo sit mendax in sui perniciem. Coscius enim docet *De sep. thori lib. III,*

n. 156 quod si adminicúlala confessione constet, cui accedat iurata septimae manus concors fides, necessaria non est corporum inspectio; quod eruit *ex cap. Proposuisti,* nec non confirmari tenet resolutionibus S. Congregationis in *S. Andrien. 26 Apr. 1788,* et *Ianuen. 27 April. 1844.* Credendum idcirco esse orator inquit Raphaeli, et Rosae quando coram Deo ex conscientia fatentur non potuisse consummare. Concludit igitur quod omnes circumstantiae antecedentes concomitantes ac consequentes inducunt moralem certitudinem, quae in humanis evidentiae aequiparatur, praesertim quia validissima est mulieris depositio, quae, ut ait Card. Cosci, in arena thalami coniugalis est perita, et peritior. Haec siquidem Deum in testem invocans, iuravit rati confinia non excessisse matrimonium.

Ad hoc revincendum orator, praescindendo a quibuscum--que insolitis remediis, quibus impotentia mederi valeat, adducit resolutiones S. C. C. quibus propter moralem persuasionem dispensatio concessa fuit, inter quas *Gandaven. 17 Dec. 1843* Parisien. 28 Martii 1851* et *26 Iunii* 1857* Casnadien. 6 Iunii 1863.* Ac nuperrime notissimum esse memorat quod eodem moralis certitudinis criterio in *Tergestina matrimonii 1876* * et nuperrime in *Wladislavien. diei 15 Iunii* et *14 Decembris 1889** dispensatio a matrimonio rato et non consummato concessa fuit (1).

Loquendo de causis dispensationis a matrimonio rato, ait ; quamquam non iam leviores causas, sed gravissimas concurrere in casu, vel ipsummet Episcopum testari, adnotat, conclusione : « Quod vero in hac de qua agimus causa rationes a iure quaesitae extent, ut a Summi Pontificis oraculo, matrimonii rati et non consummati dispensatio peti possit, facile colligitur cum ex civili sententia, quae matrimonium coram gubernio celebratum antiquat ; tum ex gravissimis dissidiis, quae procul dubio exorirentur, si matrimonii vinculum adhuc extare deberet. »

Atque huic favorabili Curiae Episcopalis voto concordare subdit testium depositiones, qui inter causas dispensationis

animorum discordiam adducunt. Posita invincibili animi aversione nusquam in posterum matrimonium consummabitur, et in hoc dubio facilius dispensatio concedi solet « ea viva ratione, quia in his terminis dispensatio proprie ac rigorose non est talis, sed est potius prudentialis administratio iustitiae, quam supremum decet Principem, intrinsecam matrimonii nullitatem declarando sub alio magis honorifico, et expedito titulo dispensationis. » De *Luca, De matrim. Disc. VII* num. 7j,* et Ursaya *tom IL disc. VII per totum* S. Congregatio in *Corduben. 20 Sept. 1840 etc.*

Dubium vero circa valorem sacramenti maximi ponderis esse contendit orator quale adamussim reperiri dicit in corpore, quod est materia circa quam consensus et forma sacramenti versatur; quandoquidem in dubio ineptae materiae non accedit verbum ad elementum ut fiat sacramentum. Ad rem Cose. *cit. disc. n. 386* - ibi « Tunc enim quia agitur de inferendo praeiudicio, et iniuria eidem sacramento, directe contraria procedit regula quod in dubio standum sit pro exclusione matrimonii ea viva ratione quia in foro externo, in quo iudicat Ecclesia, tolerabilius et honestius est iuxta disciplinam Ecclesiae matrimonium assolvere, quam nomine, et iure matrimonii occasionem incontinentiae praebere, et continuum confovere peccatum » De Iustis *De disp. cit. I.* Sánchez, Rota etc.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. Matrimonialis vinculi adsertor bifariam animadversiones suas dispescit. In primo capite medicorum expprîdens testimonia, refert archiatros Valsuani, e Cristoforis et Porro qui Mediolani Rosae corpus, iussu laici magistratus die 5 Octobris 1886 explorarent, retulisse: perfectam virginitatem in sensu legali sustineri non posse in corpore Rosae Loffredo; quia possibile est, pro conditione in qua reperitur, ut virilis virga aut penetraverit aut facile penetrare posset.

Enarrat autem, Rosam aegre peremptorium praedictorum medentium iudicium pertulisse, ideoque ad alios confugiens invenisse tandem aliquando medicos Tibone, Inverardi et

Libero Augustae Taurinorum, medicum Filippi florentinum et quosdam alios, qui ut Rosae suffragentur, modo statum quaestionis immutare videntur. Sed hoc inepte factum esse eenset, cum mediolanenses periti physicam Rosae virginitatem haud negaverint, eius deflorationem ex unius tantum virginitatis signi deficientia admitientes. Insuper eosdem medicos a praefata mediolanensium peritorum scripta relatione, quam examinant, verba quae causae nocent, pro lubitu expungere adnotat.

Verum haec relinquens, putat vinculi defensor potius ea esse animadvertenda, quae retulerunt medici qui Raphaelis Valensise corpus exploraverant, scilicet archiatri Oaminiti, Cardarelli et De Crecchio qui mediolanensem relationem ad trutinam revocantes ita concludebant : clarum esse, ex forma hymenis Rosae Loffredo haud licere 'deducere eius virginitatem physicam, de qua quaestio est, quia notae anathomicae omnino desunt; quum facile sit in eius hymene introducere digitum qui uterum pertingat.

Post haec loquens de physica inspectione Raphaelis, quam, uti superius innuit, laicale tribunal tribus praefatis neapolitanis peritis commisit, dum dolet enim illicitis adhibitis mediis illos suo munere functos esse, valde in pretio eorum conclusionem habendam esse existimat. Sane haec scribebant: constitutionem organicam Raphaelis, et conformationem genitalium eiusdem eam esse ut non liceat eum praesumere ineptum ad coitum.

Etenim non sufficit impotentiae Raphaelis praesumptio, sed ea omnino est in themate adstruenda, praesertim eo quia matrimonii inconsummatio ex Rosae inspectione probari nequeat.

Verum et facta, quibus innixi neapolitani medici impotentiam Raphaelis praesumebant, commentitia esse validitatis defensor putat.

Nam die 26 Maii 1890 in curia miletensi coram ecclesiastico iudice Raphael Valensise interrogatus a matrimonii defensore: an ante matrimonium initum affectus fuit *sper-*

matoreâ respondit negative. Idemque dedit responsum iudici laico hoc percontanti, adiecitque sese gavisum esse semper plena virilitate. Haec eadem confirmantur ab archiatro Lof~ fré et a Ioanne Tigani.

Idipsum veluti uno ore testari animadvertit propinquos, familiares et vicinos. Quod repetunt illius pater Michael Valensise, nec non alius patruus Ioseph, Dominicus Custarone, Ioseph Lombardi Oliva, aliique plures, qui etiam alios initos vel ineundos matrimoniales tractatus commemorant.

In altero animadversionum capite vinculi defensor contendit, Raphaelem et Rosam sua ipsamet confessione iugulari. Recolit enim virum die 20 ianuarii 1885 coram laico magistratu, professum fuisse: verum non esse, per quinque noctes, ab inito matrimonio, frustra tentavisse actum coniugalem; quem e contra habuit perfectum ipsa prima nocte, post matrimonium celebratum, sed cum quadam difficultate; cuius difficultatis causam assignavit morbum febriculae, quo laboraverat.

Quam quidem matrimonii consummationem ab ipsa Rosa Loffredo confessam fuisse, nec equitem Moriondo inficiari coram praedicto tribunali ausum esse defensor memorat-

Nec minus verum censet sacramenti vindex, equiti Moriondo qui coniugali actioni adesse volebat, non autem Raphaeli Valensise imputandum esse si coniuges subsequentibus noctibus genio coniugali non indulserint: nec facile intelligi potest quomodo pudica puella Rosa Loffredo vitrici praesentiam in negotiis huiusmodi sustinere potuerit.

Post haec, quo in pretio habenda sint, quae Raphael Valensise in supplici libello Episcopo Miletensi oblato die 30 Augusti 1890 scripsit, nec non quae coram iudice ecclesiastico rite excussus de matrimonii inconsummatione deposuit, deducit defensor ex iis quae docet Innocentius III in *cap. 10 De probat.:* - ibi - « Quia mulier illa de dicto T. suscepisse, R., de quo agitur, primitus constanter asseruit: et idem T. praefatae mulieris praecipue de victus instantia, ipsum suum filium publice recognovit, et filius nominatus communiter

fuit et habitus ab ambobus; eiusdem mulieris postmodum iuramento in contrarium praestito iion est standum : cum nimis indignum sit (iuxta legitimas sanctiones), ut quod sua quisque voce dilucide protestatus est, in eumdem casum proprio valeat testimonio infirmare.

Observat autem defensor quod si modo Raphael haud inficiari erubescit quod prius sua ipse voce dilucide protestatus est, id ex eo fieri quia ex hac agendi ratione conspicuum sperat emolumentum, cum iuxta vulgatissimum adagium « nil fit sine ratione sufficienti. » Hinc defensor timet, per praesentem actionem Raphaelem velle lucrum captare, scilicet dimissa quam odit uxore, alias sibi nuptias conciliare. Verum monet sacramenti vindex, dato et non concesso, ut ipse asserit, quod ineptus fuerit ad coeundum cum Rosa Loffredo, ineptus ad opus eo magis erit in futurum, teste ipsius patrono affirmante: « Qui non est hodie, cras minus aptus erit. > Nec confugere potest ad relativam impotentiam, de qua periti alte silent. Nam in confessis esse dicit Raphaelem insatiabili voluptate per integram saltem noctem Rosae amplexibus deliciatum fuisse, nec Rosae genitalia ea esse quae obstaculum pararent. Unde concludit defensor, quod si Raphael cum Rosa haud coivit, quod a veritate alienissimum putat, neque cum vidua coire unquam poterit.

Tandem adest Rosae confessio facta vitrico suo, equiti Moriondo, quam minime veram existimat defensor.

Septimae manus testimonium haud ad trutinam revocat, quoniam testes nihil viderunt nihilque audierunt tempore non suspecto, et quoniam censet, fidem coniugibus habendam satis superque EE. PP. ex his quae disseruit posse dimetiri. Praeterea nil addit de causis dispensationis, quia cum fundamentum dispensationis, scilicet inconsummati matrimonii deficiat, inutile esset ulteriorem disputationem instituere.

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum sequens

Dubium

An sit consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 12 Septembris 1891 censuit respondere: *Affirmative* vetito tamen vira transitu ad secundas nuptias* inconsulta S. Congregatione**

LUCANA

SACRARUM FUNCTIONUM

Die 12 Decembris 1891.

Sess. 21 cap. 7. De reform.

COMPENDIUM FACTI. In oppido Viareggio intra Lucanae archidioecesis fines extat parva ecclesia Deo sacra in honorem B. Mariae Virginis ab Angelo salutatae, quae primitus paroeciale templum Principi Apostolorum dicatum perhibetur.

Ibidem sedem a plurimo tempore obtinet pia quaedam sodalitas eiusdem SS. Virginis titulo condecorata; cui sacra aedes die 14 Augusti 1667 una cum summa scutatorum 50 et onere illam reficiendi a Lucensis Reipublicae moderatoribus concedebatur. Hoc eruitur ex libro decretorum publici consilii, nec non ex publico instrumento diei 5 Octobris 1667, in quo iidem moderatores dabant praefatae soliditati usum et commodum dictae Ecclesiae ad colendam et persolvendam pietatem fidelium erga Virginem SSrham ab Angelo s alutatam, hac tamen addita declaratione, quod per eiusmodi usus concessionem praeiudicium non inferatur dominio quod permanere debet apud dictos publici Consilii moderatores.

Quo iure ita egerit consilium, et an reapse apud reipublicae moderatores ecclesiae proprietas et dominium consisteret haud perspectum est. Siquidem et nonnulla iura in eam habuisse videntur fratres minores S. Francisci strictioris observantiae, qui in templo S. Antonii eiusdem oppidi a remoto

tempore curam animarum exercent. Extat enim in libro pastoralis visitationis Praesulis Martini Guinigi anni 1726 fol. 250, documentum quod ita se habet: Die 24 Martii 1621 institutum fuit Sodalitium SSmae Annuntiationis, et apud Patres permanet ius parochialitatis in dicta Ecclesia ; quae uti talis dicata erat S. Petro; quo etiam nunc praedicto die patres se conferunt ad explendam missam cum cantu,, ad primas et secundas vesperas absque ullo emolumento per Sodalitium solvenda, ad protuendum ius paroeciale, dum Sodalitium solum habet usum, ceu constat ex contractu publico.

Extra controversiam poni posse videtur, fratres minores S. Antonii per duorum saeculorum lapsum munus cappellani confraternitatis obiisse, ac proinde fere omnes- sacras functiones in ecclesia SS. Annuntiatae eorum ministerio fuisse peractas. Unde in piae sodalitatis legibus anno 1832 a civili auctoritate approbatis *Capite XXII § 140* haec statuebantur: quoniam explere omnes sacras functiones nostrae Ecclesiae pertinet ad Patres nostri Coenobii s. Antonii de Padua, sic ob incommodum ad id explendum percipienda a Sodalitio emolumenta quae sequuntur. Nihil quoad hoc innovatum fuisse apparet usque ad annum 1857, quo tempore concertationibus inter fratres et confraternitatem patuit via, ex quibus postea plures enatae sunt controversiae, quarum pars, elapsis annis, etiam coram S. C C . deductae fuere. Attamen franciscales patres sacra ministeria in ecclesia SS. Annuntiatae obire perrexerunt usque ad annum 1887, quo confratres, capta occasione haud expleti muneris in festo Purificationis B. M. V. illos ab officio removendos decreverunt.

Verum guardianus coenobii S. Antonii ubi de confratrum deliberatione certior fuit effectus, illis significabat: hanc nostram religiosam familiam ius habere explendi in Ecclesia SSmae Annuntiationis aliquas functiones per dies determinatos infra annum ; et huic iuri nullimode nuncium mittere velle; quinimo curabit ut hae functiones maximo decore expleantur ad gloriam Dei. Cohaerenter ad haec, ad venientibus bachanalium diebus, quibus in ea ecclesia nonnullae sacrae functiones

ex iis quae guardianus indigitabat, solent expleri, parochus aliique fratres S. Antonii ad parvum B. Mariae templum accesserunt ut illas peragerent. Id tamen vetuerunt confratres; ac inde graviores efferbuerunt contentiones, in quibus et politica auctoritas a fratribus, ut sodales narrant, invocata se haud absque fidelium scandalo immiscuit. Tunc res a guardiano et a parocho S. Antonii coram archiepiscopali curia deducta fuit, in qua postquam partes sua iura et allegationes edidissent, Vicarius generalis pluribus attentis die 20 Ianuarii 1889 decernebat: reverendum Superiorem Min. Reformatorum de Viareggio, et Parochum s. Antonii de Padua in Viareggio esse in quasi possessione exercendi sacras functiones in Ecclesia SS. Annuntiationis in Viareggio die festo SS. Petri et Pauli, SS. Annuntiationis, ultimis tribus diebus bachanalium, et peragendi absolutiones die secunda Novembris cuiuslibet anni, sicut fecerunt usque adhuc, ideoque declaramus Revmos Patres redintegrandos esse in quasi possessionem explendi dictas sacras functiones dictis diebus, et Sodalitium teneri ad non exturbandam hanc quasi possessionem. A qua sententia deinde officiales Confraternitatis ad S. C. C. supremum iudicium provocaverunt.

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO SODALITII. Hic sodales impugnare coeperunt superius allatum documentum ex libro S. Visitationis anni 1726 depromptum, cui praesertim sententia niti videbatur, ac illud adulterinum proclamantes integrum librum esse Romam deferendum petebant. Archiepiscopus qui iampridem suae curiae tuebatur decretum, iterum rogatus haec ulteriori epistola addebat: « Litteris ab E. T. Rma die 28 p. e. Octobris datis, novam illis adnexam petitionem pro parte Sodalitii B. M. V. ab Angelo salutatae oblatam legi ac notam feci officialibus huius Curiae, qui una mecum, dolentes mirantur quomodo orator iniuria, qua nulla gravior, eamdem curiam apud S. C. impetere ausus sit ; idque eo magis quod ipse ignorare non

potest votum, cuius authenticum exemplar heic adnecto exaratum a viro perito, qui missus a Sodalitio inspexit in hac Curia libros in quibus acta Visitationis Archiepiscopi Guinigi descripta sunt. Ceterum paratus iussa facere istius S. C. hoc unum petere audeo ut, si dicti libri ad S. C. sint transmittendi, expensae ab oratore solvantur. Quae quidem expensae haud leves erunt, quia necessaria securitas postulat ut specialiter deputetur aliqua persona, quae Romam petens eosdem libros secum deferat et post examen huic Archivio restituat. >

Sodales confraternitatis B. M. Virginis ab Angelo salutatae etsi ab oblata petitione ad examen revocandi penes S. C. C. libros Visitationis Archiepiscopi Guinigi desistere videantur, attamen deprompti documenti authenticitatem mordicus denegant, exhibendo ad hoc iudicium cuiusdam publici notarii, nec non aliorum qui una simul cum cappellano sodalitatis librum inspexerunt. His addunt declarationem cuiusdam religiosi viri Congregationis a Matre Dei.

Quoad vero periti relationem, de qua in suis litteris Archiepiscopus loquebatur, illam infirmare autumant asserentes illum scribam esse in cognitione paleographiae minime versatum, ac praeterea alias coram testibus documentum illud adulterinum proclamasse. Ceterum et verba documenti falsitatem edicunt innuere, qui ad tabulas publici notarii provocant, quae contra receptam praxim haud designantur, et iura affirmant quae a concessione facta anno 1667 a Reipublicae moderatoribus excludi videtur. At dato parumper documentum de quo agitur omnes authenticitatis characteres praeseferre, haud tamen inde esset inferendum, ut Vicarius generalis decrevit, fratres minores S. Antonii esse in quasi possessione peragendi plures sacras functiones in templo SS. Annuntiationis. Etenim ibi sermo tantum fit de festo S. Petri, ac proinde aptari posset legis dispositio, quae observantiam de casu ad casum, de loco ad locum, et de persona ad personam extendi prohibet, iuxta ea quae Doctores unanimiter tradunt, quos inter De Luci *De Benef. disc. 29 n. 23** Pitonius *Discept. Eccl. discept. 59 n. 20* etc.

Allato insuper documento ius paroeciale fratrum minorum asserenti opponunt sodales nonnulla excerpta ex opusculo canonici Guerra, cui titulus: *II Papa Pio VII in Viareggio nel 1809 e nel 1815* in lucem edito anno 1877, ubi haec referuntur: ecclesia haec dicata erat s. Petro; et Respublica Lucensis ibi manutenebat Sacerdotem ad assistentiam spiritualem militaris praesidii et civium. Verum iurisdictio paroecialis pertinebat ad Ecclesiam plebanam de *Elice.* Ecclesiam ss. Annuntiationis in paroeciali iurisdictione « di Pieve a Elice » comprehendi, demonstrari contendunt ex eo quod usque ad diem 9 Martii 1661, in hac postrema paroecia et in alia vulgo Corsanico sacrae regenerationis lavacrum suscipiebant omnes qui in oppido Viareggio vitae limen attingerent.

Nec validius argumentum censent sodales ex eo peti posse quod per longum annorum lapsum fratres S. Antonii omnes sacras functiones, inter quas et illas de quibus controvertitur, in ecclesia B. Mariae ab Angelo salutatae explere consueverint.-Siquidem id explicant enarrantes, remoto tempore tantum franciscales sacerdotes in oppido Viareggio adfuisse, ac proinde sodales, ne sacris destituerentur, debuisse ad illos necessario confugere. Factum vero quasi possessionis exercendi in praefato templo sacras functiones tribuendum esse non iuri paroeciali, sed muneribus cappellani, pluribus ostendere satagunt. Ac in primis memorant contra ea quae in documento ex libro Visitationis desumpto asseruntur, fratres s. Antonii mercedem pro praedictis functionibus peragendis recepisse, ut in legibus confraternitatis typis impressis anno 1833 legitur *cit. cap. XXII n. 140.* Quae ipsa repetuntur in posterioribus legibus et pluribus loquendi formulis confirmantur, quae sive in iisdem legibus, sive in statuto pro cappellano, piae sodalitatis ab Archiepiscopo anno 1883 confirmato, inveniuntur. Insuper et verba esse perpendenda censent, quibus relate ad sacras functiones tum sodales cum ipsi fratres in pluribus epistolis usi fuerunt, ex quibus desumi dicunt praedictas sacras functiones a fratribus minoribus, quatenus cappellani confraternitatis erant, fuisse per-

actas. Id praecipue eruitur ex epistola guardiani coenobii s. Antonii diei 23 Augusti 1882 ad sodalitatis priorem missa, in qua, perpenso incremento sacrarum functionum confraternitatis, nec non fratrum minorum defectu aiebat : cogimur capere resolutionem praestandi Sodalitio servitium, operam tantum quae iamdiu praestabatur_____Haec erant onera Coenobii aut religiosi funetionantis, et his tantum per nos fiet satis.

Iamvero cum sacra ministeria et nominatim illa circa quae sententia lucana versatur uti obligationes adnexas muneri cappellani ab ipsis fratribus tempore non suspecto recognitae fuerint, pergunt confratres, nihil superest nisi ut dicamus obiectam quasi possessionem minime existere. Agitur enim de actibus facultativis a confraternitate positis, quibus exploratum est praescriptionem induci non posse, ut tradunt Vesembacius *in Panel, lib. 41 tit. 3 num. 10;* Bartolus *in I. cum notissimi Cod. de praescribi. 30 annor.* Abbas *in cap. Quoniam § ult. ut lite cont. etc.* Quamobrem haud absonum videretur concludere quod si ad eas sacras functiones obeundas in themate fratres minores ex liberalitate confraternitatis admissi fuerunt, id modo in piae sodalitatis damnum suorumque iurium imminutionem minime vergere debet, cum ex continuata possessione nullum ius contra concedentes possit oriri ex doctrina Ulpiani *I. 2 ff. De Precario.*

Denique etiam in damnata hypothesi quod ius aliquod parocho et fratribus s. Antonii competere posset, illud amissum modo censendum esse sodales tuentur ex eorumdem fratrum renunciatione. Recolunt enim, anno 1857 cum certum cappellanum designare vellet pia sodalitas eique nova onera adiicere , guardianum qui tunc coenobium moderabatur nomine communitatis muneri cappellani abdicasse , ac insuper declaravisse religiosam familiam nuncium mittere iuribus, quae eidem competunt, aut competere possunt in Ecclesiam SSmae Annuntiationis; ac nuncium mittit cuicumque officio aut ministerio usque adhuc praestito dictae Ecclesiae et So-

dalitio. Sane ex Rota *decis. 777 n. 4 et 5 part 18 tom. 2 recent,* renuntians dicitur de medio sublatus, atque in rerum natura uti amplius non existens, ideoque ad rem renuntiatam non amplius regressum habere posse. Verba autem quibus renunciatio emissa fuit tam absoluta ac generalia sunt, ut quamcunque restrictionem excludere videantur.

DEFENSIO PATRUM FRANCISCALIUM. Altera sed ex parte quoad authenticitatem documenti desumpti ex libro S. Visitationis Archiepiscopi Guinigi animadvertenda veniunt verba Archipraesulis superius relata, ex quibus eruitur, peritum quem modo sodales reprobant ab iisdem ad libros inspiciendos electum et missum fuisse. Unde praesumptio oritur, ea omnia quae modo ipsi adversus viri periti iudicium congerunt ex eo procedi, quod ille haud ipsis favorabile votum exaraverit. Huius autem relationi potius quam aliorum dictis atque enunciatis indiciis esse fidem habendam abs re non videretur asserere, non modo quia peritus ab ipsa parte electus recusari nequit, ut tradit Card. De Luca *De Iudiciis disc. 33 n. 24,* sed in specie ex facto quod confratres librum Romam suis impensis mittere detrectaverint. Post haec , deficientibus in probanda asserta falsitate sodalibus, esse locum videretur iuris dispositioni *in cap. Accepimus 4 de fide instrum.* « Si vero nec venerit, nec sufficientem responsalem miserit, ei perpetuum silentium imponatis ipsa ulterius arguendi. Interim autem nolumus illa privilegia vacillare, sed praecipimus sententiam quae... lata est inviolabiliter observari. >

Verum equidem est in praefato documento S. Visitationis tantum de fratrum franciscalium interventu in festo S. Petri sermonem esse : at cum ibi et eorum ius paroeciale sine ambagibus asseratur, et aliunde quasi possessio etiam pro reliquis controversis sacris functionibus existat, hanc quoque eidem causae tribuendam esse autumavit Vicarius generalis, allata auctoritate S. Rotae *Rec. p. II. Dec. 60 num. 13.* Iuris autem paroecialis existentiam ex ipsa templi historia deduci Archiepiscopus putat, in eius ad S. C. C. litteris.

Posito igitur parochiali iure religiosae communitatis S. Antonii super ecclesia SS. Virginis ab Angelo salutatae, praesumptio adesse videretur, franciscales fratres ibidem illis diebus sacra ministeria obiisse uti parochialia iura exercentes, non vero quatenus cappellani confraternitatis. Neminem enim latet, parochum privative quoad omnes circa sacrarum functionum exercitium fundatam habere intentionem in iure, non modo in parochiali ecclesia, verum etiam intra totius paroeciae fines. *Cap. Dilectis de Capel. Monachorum c. 1* 4. De sepulturis.* Barbosa *De off. parochi part. 1* c. 12* n. 1 seq.* Rota *Decis. 124 a num. 1, decis. 214* n. 6 et 7 part. 12 et decis. 231* n. 2, par. 13, decis. 225* num. 1* par. 19.* Hinc omnia in contrarium allata, quae dependentiam fratrum a confraternitate innuere viderentur, ad munus cappellani coarctari deberent. Cumque saecularis et pacifica quasi possessio extra controversiam ex ipsa sodalium confessione appareat, consequens esset illos, extante legitimo titulo, in hac quasi possessione esse manutenendos. Eo vel magis quod , ut Vicarius generalis observabat, in causa spolii ad spoliatum redintegrandum et titulus coloratus sufficeret.

Inutiliter proinde sodales ad instrumentum diei 5 Octobris 1667 quo a Reipublicae Lucensis moderatoribus ipsis ecclesiae usus concessus fuit, confugere videntur. Omissa enim quaestione an Lucensis Respublica ius in praefatam ecclesiam reapse habuisset, certum tamen est, ad utriusque legis praescripta non potuisse iura laedere, quibus franciscales fratres in eodem templo potiebantur. Verba igitur confratres libere possint, et absque ulla oppositione uti praedicta Ecclesia, ita intelligi debent, ut per hoc iuri quaesito tertii praeiudicium minime inferatur, cum vulgatissimum sit rem inter alios actam, tertio nec prodesse, neque nocere posse.

Frustra pariter fratres reformati censent opponi factum solutionis mercedis etiam pro sacris functionibus controversis. Siquidem haec liberalitas piorum sodalium fuit ad quam adigi non poterant, et qua forsan laudabile servitium ecclesiae praestitum rependere voluerunt. Quod etiam ex pluries ei-

tato libro S. Visitationis haud incongrue deduceretur perpensis verbis : absque emolumento ex obligatione Sodalitii ; ex quibus idcirco obligatio remunerationis videtur excludi.

Denique renuntiatio quae emissa perhibetur anno 1857 a guardiano coenobii S. Antonii quoad sacras functiones aliaque parochialia iura , neque eam confraternitatem modo iuvare censent. Ut enim scribit Archiepiscopus : renunciatio ad quam appellant recurrentes, nullimode respicit quaestionem praesentem, sed respicit tantum nuntium missum officio cappellani Ecclesiae SSmae Annuntiationis, quod explebat religiosus ad id deputatus per Coenobii superiorem. Religiosa enim familia, ultra functiones de quibus loquitur sententia, dictis diebus peragendas, solebat etiam destinare religiosum qui in eadem Ecclesia toto anno fungeretur cappellani munere. Huic officio Patres nuncium miserunt, ob religiosorum numerum imminutum , et forsan aliis de causis : ast etiam post nuncium missum anno 1859, explevit praefatas functiones eisdem dictis diebus usque ad annum 1887, quo exturbari coepit ius eiusdem familiae religiosae. Porro compertum est in iure renunciationem esse stricte interpretandam; quod et in themate valere dicendum est, licet generalibus verbis fuerit expressa. Siquidem ut docet Card. de Luca *tom. 1 Dec. Siciliae n. 120* * renuntiatio quantumvis generalis et amplissima restringitur ad suam causam. Cum igitur tunc de obeundo munere cappellani inter priorem confraternitatis et fratres ageretur, guardiani verba ultra rem, de qua tractatus instituti fuerant, extendi non debent. His praeterea addi posset agi in casu de renunciatione, quam nec coenobii superior, neque religiosa familia valide emisisset, utpote quae ab eorum potestate minime penderet ; ac proinde dato et non concesso quod reapse existeret, nullitate laboraret, iuxta *Regulam LXIV iuris in 6.* « Quae contra ius fiunt debent utique pro infectis haberi. »

Quibus expositis, propositum fuit enodandum

Dubium

An sententia Curiae ecclesiasticae Lucanae confirmanda vel infirmanda sit in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita sub die 12 Decembris 1891 censuit respondere: *Sententiam esse confirmandam et amplius.*

EX QUIBUS COLLIGES. I. Non probantibus assertam falsitatem, applicandam esse iuris dispositionem : « si vero nec venerit, nec sufficientem responsalem miserit, ei perpetuum silentium imponatis ipsa ulterius arguendi. »

II. Confratres in themate non probavisse assertam falsitatem documenti desumpti ex libro S. Visitationis; hinc documentum praedictum, cui innititur sententia curiae episcopalis manet in sua vi et authenticitate.

PISAUREN.

DECIMARUM ET ERECTIONIS FONTIS BAPTISMALIS

Die 29 Augusti 1891.

Sess. 25 cap. 12 de Reform.

COMPENDIUM FACTI. Extat Pisauri antiqua paroecialis ecclesia , Deo in honorem S. Cassiani pontificis et martyris dicata, cuius rector prioris titulo honestari solet. Huic olim frequentior plebs regenda commissa erat, eiusque iurisdictio extra civitatis moenia ad plura passuum millia protendebatur.

Verum cum animarum cura non posset in amplissima paroecia, ob locorum distantiam sive difficultatem, eâ qua par erat diligentia, exerceri, Hieronymus Ragazzoni Famaugustanus Episcopus et Apostolicus Visitator Tridentini Concilii decreta executioni demandans, anno 1574 in remotiori vico Boncio aliam paroecialem ecclesiam erexit, simulque decrevit ut, « nacta occasione, Rmus Episcopus Pisauri cu-

raret novam parochiam erigere extra civitatem ad curam et provisionem animarum, quae foris et sub cura S. Cassiam degunt. > Cum igitur incolae pagi vulgo Roncaglia saepe saepius Episcopo Roberto Saxatello preces obtulissent, ut animabus ipsorum consuleret, eo quod tempore praecipue hyemali nec possint parochiani, et maxime senes, pueri, mulieresque, ecclesiam parochialem, nisi maxima cum difficultate adire, et multoties tempore noctis, maxime ad Baptismum parvulorum, et ad salutem et viaticum infirmorum sit omnino clausus accessus, et fere impossibilis aditus, cum portae civitatis sint clausae, et ipsis rusticis denegata sit aperiendi auctoritas, et ad id, ad faciliorem eorum supplicationis executionem, sponte obtulerint, se paratos esse novam ecclesiam in dicta eorum Villa propriis sumptibus aedificare; Episcopus Saxatellus anno 1578 concessit postulantibus facultatem construendae novae ecclesiae, quam ex tunc in paroeciam novam erexit, aedificandi coemeterium, fontem baptismalem, campanile, et campanas in ea ecclesia ponendi; submittendo eidem curae praeter homines Villae Boncii, cum ipsis a Rmo Visitatore alio modo, et satis commode provisum, omnes et singulos alios degentes extra civitatem, et qui modo sub cura et iurisdictione ecclesiae et rectoris sancti Cassiam sunt, dans eidem ecclesiae, et suo rectori omnimodam potestatem et iurisdictionem onera, et honores, praeter ius decimandi et recolligendi fructus de bonis stabilibus, quos modo dicta ecclesia et rector s. Cassiam possidet et obtinet.

Ad cuius ecclesiae dotem de consensu ac voluntate rmi Vincentii Marini, ecclesiae S. Cassiam moderni rectoris, dat, et in perpetuum assignat sextarios decem frumenti pro quolibet anno, recolligendos et habendos ad communem mensuram publicam, per eiusdem novae parochiae rectorem de decimis pertinentibus ad ecclesiam et rectorem S. Cassiani a praediis et personis dictae novae ecclesiae vicinioribus, vel recipiendis a manu rectoris, qui pro tempore erit S. Cassiani. Et quia Episcopus non ignorat, ecclesiam S. Cassiani opulen-

tibus reditibus et proventibus abundare, ideo post decessum praesentis rectoris S. Cassiani, eidem novae ecclesiae et suo rectori et ministro, assignat, de decimis pertinentibus ad ecclesiam et rectorem S. Cassiani alios sextarios quinque frumenti ultra decem, adeoque in totum ascendant ad summam et quantitatem sextariorum quindecim.

Omnia iuxta hoc Episcopi decretum peracta fuerunt, si excipias fontis baptismalis erectionem, quae licet ibi permissa, attamen, ignota causa, ad effectum numquam perducta fuit. Interim in nova paroecia augeri coepit populus, atque idcirco, colonis auctis, decursu temporis plures silvae incultique agri ad frugum fertilitatem translati fuerunt. Inde factum est ut ad Sacramenta fidelibus exhibenda et cultum divinum celebrandum unus rector insufficiens videretur, simulque quoad decimas no valium, vertente anno 1732, controversiae inter parochum loci Roncaglia et priorem S. Cassiani enascerentur. Qua de re annis 1692, 1716, et demum 1723 conventiones aliquae initae fuerant, quin tamen ad concordiam plene inducendam serio profitèrent.

Praeterea anno 1732 Antonius Pagini parochus loci Roncaglia supremae Auctoritati preces offerebat, expostulans ut, ad mentem *cap. Cum contingat. Quoniam nobis* et *cap. Cum statuimus 26,* sibi novales decimas colligendi facultas fieret, ut etiam sacerdotem coadiutorem ad paroeciale munus adiungere sibi posset, eo vel magis quod congrua prioris S. Cassiani 400 scutatorum summam excederet. Tunc, facultate habita a S. C. Episcoporum et Regularium Rescripto diei 1 Iulii 1735 et accedente executoriali decreto Episcopi Pisaurensis Philippi Spada, transactio inita fuit inter eumdem parochum Pagini et priorem S. Cassiani Ioannem Gerunzi.

Et imprimis venia Apostolicae Sedis, perpetuo unitum fuit paroeciae Roncaglia quoddam beneficium sub titulo s. Mariae *dell' Imperiale,* seu *delle Fabbrecce,* eo consilio ut in dicta Ecclesia s. Mariae constitueretur cappellanus seu curatus amovibilis ad nutum Ordinarii pro tempore: curato

huic etiam assignatus fuit aliquis proventus spectans parocho Roncaleae: Parochus vero s. Cassiani statuit dare parocho Roncaleae etiam quinque sextarios tritici, praeter alios quindecim et candelas quotannis die Purificationis unicuique familiae, quae e populo Roncaleae et Boncii, decimas Ecclesiae matrici s. Cassiani solvit.

Parochus vero Pagini pro se et suis spondet haud petitur um aliam tritici quantitatem ultra praefatam'; etiam titulo no valium.

Verum deinde, sive ob animarum bonum, sive ob crebras lites inter parochum loci Roncaglia et capellanum s. Mariae *dei f Imperiale,* in hac postrema ecclesia, paroecia independens anno 1804 erecta fuit, imposita priorali ecclesiae S. Cassiani tunc vacanti, annua pensione scutatorum 65; ex quibus 40 in favorem rectoris Roncaglia, ceteri vero novo parocho S. Mariae cederent.

Postea res ad haec usque tempora pacifice processisse videntur, cum nuper parochus loci Roncaglia Ioannes Baptista Franca libellum S. C. C. porrexit, petens ut sibi decimae omnes, tum praediales, cum sacramentales in propria paroecia adiudicarentur, atque facultas erigendi in paroeciali ecclesia fontem baptismalem concederetur. Aiebat enim quoad primum : iniuste in propria sua paroecia decimas colligere parochum s. Cassiani per totam paroeciam, beneficiatum vero s. Barnabae, seminarium Pisaurense, et Beneficiatum Boncii unumquemque in assignata parte suae paroeciae.

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO PAROCHI RONCALEAE. Patronus parochi Franca orationem suam aggreditur, naturam et divisionem decimarum praesertim novalium memorans iuxta Engel *lib. 3 n. 1, 2, 3* -ef *L Sylva 30 § Novalis ff. de V. S. d. cap. quid per noval.;* atque allegans verba decreti anni 1578, contendit in pago Roncaglia paroeciam omnino authonomam atque independentem ab ecclesia S. Cassiani fuisse erectam. Ibi

enim parochiani rurales separati, dismembrati atque ab omni eura et iurisdictione prioris S. Cassiani avulsi dicuntur, atque novo parocho omnimoda facultas, potestas, auctoritas, exercitium, cura, praeeminentia, iurisdictio, onera et honores absque ullo discrimine assignantur. Hoc posito, pleno alveo fluere autumat, novum parochum omnimoda iura exercere debere super suo territorio, inter quae est ius colligendi decimas praediales, quae illi parocho debentur, in cuius districtu sita sunt praedia, vel intra cuius fines pascuntur animalia; ex quorum foetura dantur. *Cap. 4 De decimis, lib. III Decret, tit. 30 cap. 13 et 16.* Cuius iuridicae dispositionis ratio exhibetur, iuxta patronum, a *cap. 15 eiusdem tit.;* ut explicat Engel *loc. cit. n. 6:* « Quod decimae praediales illi parocho intra cuius parochiam praedia sita sint persolvi debeant, ne parochiae limites confundantur et plurimae lites subnascantur. > Idque ex eo confirmari censet, quia parochia S. Cassiani utpote iure matricitatis super paroecia loci Roncaglia omnino carens, nullimode eas sibi vindicare potest. Sane adnotat, de huiusmodi matricitate nullam fieri mentionem in decreto dismembrationis et erectionis novae paroeciae, a quo imo potius contrarium erui fas esset. Siquidem in eo facta fuit potestas fontem baptismalem erigendi in nova paroecia, qua idcirco quaelibet matricitas ablata fuit, cum haec adamussim probetur susceptione baptismi in primaeva ecclesia, quae vult retineri ut mater, ad quam omnes accedere debent,

Insuper competere ius colligendi decimas praediales parocho Roncaleae, ex eo eruit defensor, quia hic subrogatus est parocho ecclesiae S. Cassiani, ut ex decreto erectionis patet. Ibi enim illi omnia onera paroecialia attributa fuere, quibus commoda etiam respondere debent, cum irrationabile sit, patronus ait, ut unus supportet onera, et alter in nostro territorio colligat fructus et mercedem laborum, quos nos sustinemus.

At praeterea idem evincere nititur ex congruae defectu. Affirmat enim parocho Roncaleae, nec eam summam scuta-

torum centum praesto esse, quam Tridentinum rectoribus ecclesiarum *Sess. 24 cap. 13 De reform,* salvam voluit. Sane ex deductis ad acta constare dicit, reditus annuos paroeciae pertingere ad libellas 652.08, atque has prorsus evanescere ob onera, quae opprimunt ipsam paroecialem ecclesiam, adeo ut eius rector summam libell. 1010.39 solvere quotannis teneatur. Unde actor, pluribus aliis enumeratis sumptibus, concludere poterat : parocho aes alienum 800 libellarum quotannis contrahendum esset. Emolumenta autem incerta summam vix triginta libellarum constituere, ac proinde minima esse dicit.

Inepte vero opponi putat quod Episcopus dum novam erexit paroeciam reservaverit favore ecclesiae S. Cassiani eiusque rectoris ius decimandi et recolligendi fructus de bonis stabilibus, quos modo dicta ecclesia et rector S. Cassiani possidet. Nam reservatio huiusmodi contra legem communem ipsi videtur, quae proinde ab Episcopo introduci non poterat. Assertum vero probare nititur *cap 15* et *16 De decimis,* in quibus contrarium disponitur.

Ulterius, praedictam reservationem manifeste contradictoriam appellat, utpote haud cohaerentem cum iuribus quae novae paroeciae Episcopus tribuit. Ipse enim haud videt quonam pacto reservatio decimarum cum omnimoda potestate, auctoritate, exercitio, iuribus et honoribus conciliari possit.

Relate ad praescriptionem, recolit ex Mascardo eam locum habere non posse, « ubi ius commune resisteret praescribens, tunc enim nunquam praesumitur titulus, ex praestatione diuturna, seu ex cursu longi temporis : veluti si praelatus probaret se longo tempore percepisse decimas in paroecia alterius, *ex quo ius commune resistit. De prob, vol. 3. conc. 1371 num. 108.* In casu vero cum teneat reservationem appositam esse contra ius commune et iura parochi praescribi non posse, deficiente titulo, totam praescriptionis machinam licet immemorabilem corruere autumat. Lotterius De *re benef. Hh 1 quaest. 24 n. 159, 160.* Ursaya *Disc. 2 p. c. dis. 5 n. 115.*

Quod attinet ius colligendi decimas personales seu sacramentales, illud parocho competere edicit ex *cap. Ad apostolicae 20 De decimis* ubi decernitur: < aequum est ut illi ecclesiae decimae personales reddantur ab eis, in qua ecclesiastica percipiunt sacramenta. » Unde Engel docet: « decimas personales solvendas esse parocho sacramenta minitranti. » *Lib. 3 tit. 30 n. 6.* Huth. *lib. 3 tit. 30 n. 2.* Cui iuris dispositioni haud officere censet iuxta superius dicta, appositam reservationem, quam iterum contra ius commune, et proinde nullius valoris proclamat.

Post haec de novalibus sermonem instituens, plura congerit testimonia, quae ipsi omni fide digna videntur, in quibus asseritur postremis hisce temporibus territorium paroeciae Roncaglia, fere tertia parte, novalibus constitui.

Quibus positis, sustinet patronus, decimas no valium in themate a parocho esse colligendas, in medium prolata auctoritate Engel *loc. cit.** qui tuetur nec illum cui a Supremo Principe ius decimandi fuerit concessum posse decimas novalium exigere. Nam ait: < privilegia concernentia praeiudicium tertii restringenda *c. olim de V. S.;* item quod privilegia non extendantur ad futura tempora concessionis non extantia *c. fin. de rese,* partim vero *cap. 2 de decim. in 6,* ubi satis clare insinuatur, quod ius percipiendi decimas novalium debeat per speciale privilegium concedi, et non contineatur in iure percipiendi veteres decimas >. Quam doctrinam consonam edicit tum canonicis legibus quae habentur in *cap. 13 et cap. 29 de decimis** cum etiam praxi et consuetudini in ea regione vigenti, ut ex quadam attestatione parochi loci Monteluro demonstratum putat.

Praeterea in decreto dismembrationis et erectionis paroeciae, ea verba patronus notatu digna censet, quibus cura animarum novo parocho cum omnibus iuribus tribuitur, « praeter ius decimandi et recolligendi fructus de bonis stabilibus quos modo dicta ecclesia et rector S. Cassiani possidet et obtinet, » atque eidem assignat « proventus omnes, incertos, qui quomodocumque pertinent vel in futurum per-

tiiiere possunt ad ecclesiam et rectorem S. Cassiani in nova parochia sic erecta, » et ius decimandi vult priori S. Cassiani « illaesum et intactum remanere et pertinere eo modo quo de praesenti est et pertinet. > Iamvero his locutionibus evinci autumat iura prioris S. Cassiani quoad decimas non posse ad novales extendi, "sed ad agros tum excultos coarctari debere, eo vel magis quod Episcopus addiderit, se haud ignorare prioralem ecclesiam « opulentibus reditibus et proventibus abundare. » Quibus etiam suffragari putat factum augmenti [congruae a parocho habiti anno 1735, postquam S. C. Episcoporum et regularium libellum pro novalium consecutione porrexit. Transactionem vero eiusdem anni, minime obstare censet, nam per eamdem congrua Parochi elevata fuit ad viginti sextarios tritici, quorum pretium pertingere potest ad sexaginta scutata; quae congruam sufficientem non constituunt. Cum autem in themate nulla transactio a priore S. Cassiani expostuletur, ad iuris tramites quaestionem resolvendam patronus existimat.

Gradum deinde faciens ad erectionem fontis baptismalis, ex ipsa paroeciae notione nec non ex parochi officio thesim suam corroborare contendit. Memorat sacramentorum administrationem et peculiariter Baptismi ad parochum pertinere ex Con. Trid. *Sess. 24 cap. 13. De reform.* Ferraris *v. parochus num. 4.* Barbosa *De officio et pot. parochi p. 2 cap. 16 n. 1 seq.* - ibi - Quisque igitur in sua, cui subest ecclesia est baptizandus, quia unus sacerdos alterius parochiae terminos, plebem et ius non valet usurpare. > Hinc Doctores unanimiter tradere ait, baptismalem fontem regulariter in omnibus ecclesiis parochialibus erigendum esse. Barbosa *de paroch. p. 2. cap 18. n.* 7,, Ursaya *tom. 9. p. discept. 32 et 33.* Ferraris *voc. Baptismus* etc. Atque plura Concilia hanc doctrinam in praxim perduxisse refert, dum iusserunt singulas ecclesias parochiales propria baptisteria sibi construere. Nec aliter S. Rotae tribunal decrevisse in pluribus resolutionibus, et praesertim in *Romana iuris baptizandi 12 Ianuarii 1752, n. 2. cor. Samniato* ubi ait:

« Quin imo huiusmodi ecclesiae disciplina summam habuit aequitatem et congruentiam, quia convenientissimum est omnes ecclesias parochiales suum habere fontem baptismalem, cum ita fìat, ut suus cuique pastor sacramenta administret. > Itemque S. C C . propensions semper animi fuisse memorat ad fontium baptismalem erectionem, quoties ex vera iustitiae causa id non prohiberetur: Unde in *Urbinaten. diei 15 Iunii 1624* rescribi mandavit: < *Censuit S.* O. *in-omnibus ecclesiis parochialibus debere esse fontem baptismalem.* > Cui concinunt *Massilien. 7 Ianuarii 1640. Fulginaten. Fontis baptismalis 22 Iunii 1720. Guardien. 21 Maii 1735. Viterbien. 19 Maii 1877. Triventina erectionis fontis baptismalis diei 8 Maii 1886,* aliaeque sexcentae causae (1).

Porro in themate non solum convenientissimum esse autumat ut in ecclesia parochiali loci Roncaglia fons baptismalis erigatur, sed etiam veram et iustam erectionis causam adesse. Attenta enim distantia et viarum asperitate, de qua municipalis auctoritas testatur , infantuli absque vitae discrimine praesertim hyemali tempore ad Baptismum suscipiendum in civitatem adduci nequeunt ceu medicus illius loci asserit. Cui etiam consonat obstetrix et patresfamilias loci, qui iisdem de causis fontis baptismalis erectionem efflagitant.

Tandem adnotat patronus, in dismembratione paroeciae nominatim iuxta relatum decretum, erectionem fontis fuisse permissam; unde aequum quam maxime illi apparet, ut quod iam ab initio fuerat statutum modo tandem ad exitum deducatur.

DEFENSIO ALIARUM PARTIUM. Verum ex; adverso non minora perpendenda videntur. Et primo quoad decimas praediales, quae in loco vulgo *S. Lorenzo* a Seminario dioecesano percipiuntur, illius rector, exorat ut a S. C. C miserrima sacri ephebei conditio prae oculis habeatur, et quia gravatur oneribus diversis.

(1) Viter5ien. Fontis baptismalis relata fuit Vol. XL 232 -, Triventina vero Vol. XVII, 543.

Rector autem, ait Episcopus, beneficii S. Michaelis loci *dei BonctOj,* suas fecit rationes, quas Seminarii clericorum rector exposuit ; quinimmo meliorem iudicat conditionem ecclesiae suae, ex eo quod onus habet exercendi ex lege institutionis curam animarum in auxilium parochi loci Firenzuola.

Favore vero parochi S. Cassiam animadvertendum in primis est, iuxta Card. De Luca *De decimis disc. 12 n. 13,* tunc ecclesiam aliquam proprie dici matricem comparative ad alteram, uti filiam, cum ex « una parochia efficiantur duae vel plures, quoniam prima revera est aliarum mater, dum ex eius territorii ac populi parte aliae efformatae sunt. » Nec obstare quod parochiis noviter erectis plena authonomia et iurisdictio cum omnibus iuribus et privilegiis fuerit tributa. Nam matricitatis natura non modo haud importat dependentiam alterius ecclesiae, sed potius excludit. < Omnes etenim in iure parochiali sunt coaequales cum omnimoda independentia:... ubi aliae ecclesiae ab una sint dependentes cum omnimoda subordinatione, tunc quamvis pro communi usu loquendi matricis ac filialium nomen seu terminus quoque adhibeatur, impropria loquutio est. > De Luca *Mise. Disc. 1. num. 31.* Profecto his positis in themate ex decreto erectionis concludens argumentum contra matricitatem ecclesiae S. Cassiani desumi haud posse videtur. Siquidem matricitas non ex nomine sed ex facto dismembrationis exurgit, cui praeterea et reservatio decimarum et praxis quoad collationem baptismatis plene adstipulatur. Unde nunquam huiusmodi matricitas praeterito tempore in dubium revocata fuit, ac pluries in publicis actibus et in ipso instrumento anni 1735 aperte enunciatur.

Cum igitur ecclesia S. Cassiani vere matrix sit paroeciae Roncaglia, sequitur reservationem decimarum eius favore factam ab Episcopo Saxatello non modo contra ius proclamari non posse, sed imo legum canonicarum dispositionibus apprime cohaerere. Exploratum enim est, quoad decimarum perceptionem, ecclesiam matricem habere intentionem funda-

tam in iure, ut evincitur ex Rota et S. C. O. decisionibus apud De Luca *De decimis disc. 12 n. 4 seq. disc. IO n. 9, IO, 12. disc. n. 31* - ibi - « quoniam stant bene simul, ut ecclesia filialis sit vera parochia, atque in universum habeat ius parochiale, et tamen matrix ius decimandi in toto vel in parte retineat. >

Verba autem quibus ius decimandi illaesum et intactum priori S. Cassiani reservatum fuit apertissima sunt, atque iis tum praediales cum sacramentales decimas comprehendi evidenter liquet. Nec quoad novales limitatio aliqua videtur inducta ea loquendi formula « eo modo quo de praesenti est et pertinet. » Etenim cum eo temporis et ius decimandi novales totius territorii ad S. Cassiani parochum pertineret, etiam ius hoc integrum fuisse illi servatum licitum videretur arguere. Ea vero quae ex adverso dicuntur, scilicet in concessione decimarum novales non comprehendi, referenda sunt ad privilegium seu ad exemptionem, atque ad casum matricitatis minime aptantur.

At si aliquod adhuc in themate dubium remaneret, illud certe dilueret et plus quam centenaria observantia, et transactio anno 1735 ab utriusque ecclesiae rectoribus inita. Certum enim est, a dismembratione paroeciae usque ad nos decimas omnes absque discrimine a priore S. Cassiani constanter fuisse perceptas, atque post annum 1735 nullam huius pacificae possessionis interruptionem extitisse. Transactio vero contrahentes eorumque in officio successores expresse obstringens, omnibus adhibitis solemnitatibus inita apparet. Sane die 1 Iulii 1734 S. C. EE. et RR. Episcopo commisit ut « veris existentibus narratis, postquam compererit in evidentem ecclesiae utilitatem fore cessuram, praefatam concordiam cum pactis et conditionibus supra expressis pro suo arbitrio et conscientia approbet atque confirmet. > Atque idcirco Antistes Pisaurensis paucis diebus post, audito prius promotore fiscali, sub eiusdem formulis concordiae ineundae facultatem concedebat. Iamvero quanta sit vis transactionis eruitur ex *I. 16 Cod. de Transactionibus,* ubi legimus « cau-

sas et lites transactionibus legitimis finitas imperiali rescripto resuscitari non oportet: » et ex iure canonico *cap. II de Transad.* « Statuimus ut si super decimis inter vos et aliquam personam ecclesiasticam, de assensu Episcopi vel Archiepiscopi sui, compositio facta fuerit, rata et inconcussa persistat. > Quare doctores unanimiter tradunt eam esse naturam iuridicam transactionis, ut aequivaleat liti finitae et rei iudicatae, quae pro veritate solet haberi.

Praeterea in casu requisita pro transactionibus a iure non defuisse, apparet ex iis quae superius fuerunt exposita, cum, quidquid hodiernus parochus eiusque patronus affirment, certum sit factam fuisse post motam a parocho Pagini litem et haudquaquam super certo ipsius iure. Unde de illius valore omne dubium recedat necesse est, praesertim eum exemplar concordiae S. C. fuerit exhibitum, et rescriptum Episcopo tamquam mixto executori fuerit remissum, additis illis clausulis, quae iudicium aliquod et inquisitionem ab Ordinario faciendam secumferunt. Successores autem contrahentium inita transactione obstringi, saltem ob S. C. auctoritatem, quae in casu accessit certum est. Ceterum dato etiam et non concesso, quod aliquis defectus admissus fuisset, modo ex hoc capite post tanti temporis intervallum concordia impugnari non posset; Antonelli *De tempor. legal.* c. *100 n. 1.* Pax Iordanus *Elucubr. divers. I. 14 tit. 24 de praescr. n. 443.*

Perperam vero parochum Franca ad congruae defectum confugere autumat prior S. Cassiani. Percipit enim, praeter viginti sextarios frumenti, annua scutata 40 in numerata pecunia, quibus si reliqui certi reditus addantur, summa scutatorum 172, idest quantitas tridentina congrua maior, procul dubio obtinetur.

Quod vero spectat fontis baptismalis erectionem, praemittendum est, eam ad paroeciae essentiam non pertinere, ceu docet Gonzalez *ad reg. 8 Cancel.* De Luca *De parochis disc. 37 n. 1.* Barbosa *De iure eccles, lib. 2 cap. 1 n. 23* et ipsa etiam S. Tridentina Synodus innuere videtur *Sess. 21*

cap. 4 De reform, distinguons inter ecclesias parochiales et baptismales. Haec autem est praxis S. C. C. ut ubi ecclesiae baptismales adsunt, parochialibus concedi non soleat fontis erectio, ut fìat « distinctio matricum ecclesiarum ab aliis curatis, » prout legitur in *Reatina Iurium parochialium 14 Ianuarii 1860 § Haec* et aliis pluribus resolutionibus, praesertim in *Guar dien. 13 Iunii 1654* in *Boianen. 24 Maii 1732. Vercellen. 18 Novembrir 1747. Camerinen. 10 Februarii 1748 etc.*

Nec valide opponi videtur in decreto dismembrationis inter iura novae paroeciae attributa et illud erigendi fontem baptismalem fuisse adnumeratum. Siquidem ex facto et consequenti observantia fas esset arguere causas extitisse, quibus ea quae decreta fuerant ad effectum non perducerentur. Quare post lapsum trium saeculorum praescriptio invocari posset, quae praesumere facit titulum meliorem de mundo et privilegium et contractum onerosum supponit, ad *Text. in I. sine scripto instit. tit. de iure,* nec non *cap. Super quibusdam 26 De verb. signi f.*

Demum rationum momenta, ob quae aliquando S. O. C. matricitatis iuribus derogavit, fontis baptismalis erectionem concedendo, in themate minime adesse dici possent. Contra ea enim quae, nulla accedente Episcopi approbatione, retulit parochus Franca adversantur deducta a priore parocho S. Cassiani, qui proinde saltem donec contrarium evidenter non demonstretur in sui iuris quasi possessione manutenendus videretur.

Hisce praehabitis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An parocho loci Roncaglia competat ius colligendi decimas, praesertim novales in casu,*

II. *An sit locus erectioni fontis baptismalis in paroeciali Ecclesia eiusdem loci Roncaglia in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re discussa sub die 29 Augusti 1891 censuit respondere:

Ad L *Negative.* Ad II. *Affirmative.*

EX QUIBUS COLLIGES. I. Matricem, relate ad filiam vel filias, dici illam paroecialem Ecclesiam, ex cuius territorio dismembrato altera vel plures constituuntur paroeciae.

II. Matricitatem haud importare filiae vel filiarum dependentiam; quinimo omnino excludere; quia omnes Ecclesiae noviter erectae cum plena authonomia et iurisdictione, in iure paroeciali sunt coaequales; ita ut improprie loquatur qui adhibet nomen matricis vel filiae, quando Ecclesiae ab una sint dependentes cum omnimoda subordinatione.

III. Hinc facili modo deprehendi matricitatem non esse purum nomen, sed ex facto nasci dismembrationis alicuius Ecclesiae; per quod altera vel plures constituuntur paroeciae ex parte territorii et populi ipsius.

IV. Legi tamen canonicae cohaerere reservationem decimarum favore matricis super partem vel totum territorium novae paroceciae omnino independentis a prima quoad ius paroeciale.

V. Etenim stare potest ut ecclesia filialis sit vera paroecia, atque in universum habeat ius parochiale, et tamen matrix ius decimandi retineat in toto territorio vel in parte paroeciae, noviter erectae.

VL Causas et quaestiones super decimis, transactionibus legitimis finitas, resuscitari non posse; et si compositio inter partes facta fuerit de consensu Ordinarii litigantium, rata et inconcussa persistit; et aequivalet liti finitae et rei iudicatae ex unanimi consensu doctorum.

VII. In themate eiusmodi transactionem inter partes factam fuisse constat; cuius concordiae exemplar exhibitum fuit S. Congregationi, Ep. et Reg. a qua remissum fuit Episcopo pro executione; ideo tum ex auctoritate S. Congregationis, tum ex tanto temporis intervallo concordia impugnari non posset.

VIII. Ius decimandi quoad decimas praediales,* et sacramentales, et quoad novales favore Parochi s. Cassiani et aliorum, integrum permanere tum ex reservatione Ordinarii, tum ex centenaria observantia, tum ex transactione ab utriusque Ecclesiae pastoribus inita.

BURGI S. SEPULCRI

PROCURATIONIS

Die 12 Septembris 1891.

Per Summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Mense nuperrime elapso S. C. C. literas dabat Episcopus Burgi S. Sepulcri, exponens, in sua Dioecesi, sicut et in quibusdam aliis finitimis, consuetudinem vigere, qua Antistes sacram peragens visitationem non modo victualia a parochis visitatis recipere soleat, sed etiam expensas pro vecturis ut ad paroecias accedat. Hinc de huiusmodi agendi ratione aliquantulum modo dubitans pro suae conscientiae pace et tranquillitate expetit pro tempore acto absolutionem, quatenus indebite perceperit expensas pro vecturis ad paroecias petendas, pro se et altera tantum persona; et expetit pro futuro tempore facultatem eiusmodi exigendi expensarum indemnitatem.

Disceptatio Synoptica.

QUAE CONSUETUDINI ADVERSANTUR. Ut ea, quae huic observantiae, ab incerto tempore inolitae, obstare videntur, breviter repetantur, recolendum est in primis Tridentinos Patres *sess. 24 cap. 3 De reform,* prohibuisse ne Episcopi visitantes « quidquam procurationis causa.... aut alio quovis nomine, nec pecuniam, nec munus quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili, exceptis tamen victualibus etc. » In quo S. Synodi vetito et vecturarum merce-

dem comprehendi pluries S. C. C. interpretatus est, ut in *Larinen. 12 Aprilis 1698,* in *Amalphitana 18 Iunii 1699** in *S. Marci 7 Iulii 1608* et postea in *Tarentina Procurationis diei 18 Martii 1826** in qua proposito dubio: *An Archiepiscopo visitanti debeantur expensae itineris equorum seu vecturarum in casu;* S. Congregatio respondit : *negative.* Quod ipsum docet Ferraris in sua *Bibliotheca canonica* verbo Procuratio** allegans duplicem resolutionem S. C. Episcoporum et regularium in *Ventimilien. diei 21 Augusti 1606* et in *Caiacen. diei 20 Martii 1615** nec non Lucidi in *appendice tom. 1 pag. 166 reçoit, edit.* pluribus innixus auctoritatibus scribens: « pro vecturis et ferraturis equorum, •visitati procurationem praestare non adiguntur. » Si vero huiusmodi itineris expensae iniuste in casu perceptae fuerunt, consequitur Episcopum teneri ad restitutionem, cum absolutio ubi iuris tertii adest laesio concedi non soleat.

QUAE CONSUETUDINI FAVERE VIDENTUR. Verumtamen peculiares rationes haud videntur deficere ad iuris rigorem hic aliquatenus emolliendum, quae ab ipso Antistite in suis literis enumerantur. Etenim observandum est: 1. redditus mensae illius haud excedere lib. 6000; et parochos haud rependere Episcopo cathedraticum aut similia. 2. Dioecesim istam constantem 135 paroeciis, esse latam et salebrosam, nimisque onerosum esset Episcopo quatenus deberet quotannis ferre expensas vecturarum; dum pro parochis leve evadat, qui quolibet quinto aut sexto anno id ferre debeant. Onera autem a gubernio imposita Episcopalibus mensis nunc esse importabilia. Quibus omnibus haud immerito addi posset recepta in dioecesi Burgi S. Sepulcri consuetudo, quae quanti facienda sit exploratum est in iure ex *cap. 9 De consuetudine* et ex millenis S. C. C. resolutionibus, quaeque saltem ad bonam Praesulis fidem in tuto ponendam, atque proinde ad absolutionis concessionem pro praeterito tempore congruenter invocaretur.

Quibus animadversis, quaesitum est quomodo esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra Cong. Concilii, re cognita 'sub die 12 Septembris 1891 censuit respondere: *Pro gratia absolutionis et condonationis quoad praeteritum; quoad futurum negative, et exigat cathedraticum ad formam iuris.*

EX QUIBUS COLLIGES. I. Episcopum S. Visitationem agentem aliosque de istius comitatu, nil aliud recipere posse a visitatis, quam victualia (1). Verumtamen ex Tridentino *Sess. 24 cap. 3 de ref.* permitti optionem dandi pecuniam procurationis causa, loco "victualium : dummodo una sit procuratio etiamsi plura loca eadem die visitata fuerint.

III. Ex iure posse Episcopos exigere Synodaticum seu cathedraticum : idest tributum in honorem cathedrae episcopalis praestandum ; item ius exigendi procurationem, quartam funeralium, quartam decimationum....

WRATISLAVIEN.

IRREGULARITATIS

Die 12 Septembris 1891.

Per summaria precum.

COIMPENTDIUM FACTI. Hermannus natus die 15 Februarii 1865 e patre catholico et matre protestantium haeresi adscripta, a presbytero catholico baptizatus, primam verae religionis institutionem recepit, Mox in gymnasio protestantium degens, anno 1886 in haeresim incidit eique biennium fere adhaesit. Cum autem Deo iuvante postea resipuisset, et iterum veritatis amore ductus, mense Augusti 1888 catholicam fidem esset professus, clericali militiae dare nomen, ac se perpetuo ecclesiae servitio mancipare statuit. Itaque theologicis studiis animum adiecit, atque deinde Wratislaviense Seminarium ingressus, cupiens sacris ordinibus initiari, dispensationem ab irregularitate a Sacratissimo Principe expostulavit. Oblatae huiusmodi preces S. C. C. fuerunt in Con-

ci) Recole Vol. XV, 81.

gregatione diei 28 Februarii 1891, ast dimissae fuerunt responso: *Pro nunc non expedire, et interim det ulteriora perseverantiae signa.*

Nuperrime vero vratislaviensis Episcopus literas S. C. misit, in quibus gratiam dispensationis ab irregularitate pro Hermanno iterum petit haec scribens: « ex illo tempore, scilicet ab habito S. C. responso, in Seminario degens tam pietati et poenitentiae, quam scientiae valde studuit et a praepositis seminarii ob bonos mores et studium pietatis et scientiae bene laudatus et commendatus requisita perseverantiae signa dedisse et dispensatione dignus factus esse videtur. Quare denuo implorare audeo, ut desideratam dispensationem super irregularitate c le nientissime concedere dignetur, praesertim cum in mea Dioecesi penuria sacerdotum sit nimis magna. >

Disceptatio Synoptica.

INDULTUM DENEGANDUM VIDETUR. Notum est quanta severitate semper Ecclesia se gesserit cum haereticis, quos et civiles leges *Cod. Theocl. de haer. L 9* infamia notatos pluribus poenis quandoque multabant. Qui vero in haeresim lapsi ad catholicam redirent unitatem priusquam in fidelium, communionem reciperentur se longa probatione emendatos debebant ostendere. Apud Labbaeum *Conc. tom. 1 col. 995* relatum est Concilium Eliberitanum decem annorum poenitentiam ab eis exegisse, quod tempus tamen Agathensis Synodus ad tres annos, et deinde Epaonensis ad brevius etiam tempus contraxit. Unde in casu cum agatur de lapso ad sacros ordines promovendo, benigna potius quam rigida S. C. C responsio diei 28 Februarii retinenda videretur, neque adhuc tempus censendum esset advenisse, quo requisita perseverantiae signa exhiberi potuerint.

INDULTUM DANDUM VIDETUR. Nihilominus perpendendum est neminem melius quam Episcopus et seminarii moderatores de emendatione et poenitentia Hermanni iudicium ferre

posse. Veterum autem canonum disciplinam, sicut in pluribus aliis, nostro aevo hac in re, attentis peculiaribus adiunctis, benigne fuisse mitigatam. Quare praesertim ob sacerdotum penuriam, quam dolet ^Vratislaviensis Episcopus, petitae gratiae concessio non esset forsan in diem ulterius protrahenda. Neque modicum tempus a prima supplicis libelli propositione elapsum officere videretur. Siquidem cum ex sapientissimo oraculo indubium sit, tempora multa aliquando brevi expleri posse, haud inficiandum esset Hermannum, iuxta ea quae scribit Episcopus, paucis mensibus perseverantiae signa dedisse quae S. O. C. sapienter desiderabat.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quid precibus esset respondendum.

RESOLUTIO. Sacra O. C. re cognita sub die 12 Septembris 1891 censuit respondere: *Attentis peculiaribus circumstantiis, arbitrio et conscientiae Episcopi.*

EX S. CONGREG. EPISC. ET REG.

NEOCASTREN. SEU RECHNEN.

QUOAD REDUCTIONEM PENSIONIS

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos Dominicus Tampani oppidi vulgo *S. Potito Ultra* Dioecesis Avellinen. in vim tum Bullae Pontificiae diei 31 Maii 1839, tum regii decreti, annuam pensionem 50 ducatorum, seu lib. 212, 50 a quovis onere immunem obtinuit in titulum S. Ordinationis.

Huiusmodi pensio reditibus Mensae tum S. Agatae Gothorum tum Acerren. primum imposita et in posterum ex decreto ministeriali ad mensam Neocastren. translata, tam. ab Episcopo Neocastren. Hiacynto M. Barberi, quam ab ipsius Coadiutore Iosepho Candido, Sacerdoti Tampani ex integro persoluta fuit usque ad diem 31 Iunii 1889.

Verum hoc vertente tempore^ cum Episcopus Candido ad sedem Isclanam translatus fuisset, ipsius successor R. D. P. Valensisse hanc pensionem medietate imminutam persolvere coepit.

Sac. Tampani novitate perculsus, sub die 17 Augusti 1890, H. S. C. supplici oblato libello adivit, contra Episcopi Valensisse agendi rationem, utpote SS. Canonibus adversam, questum movens.

Hoc accepto supplici libello S. C. die 19 Novembris rescribere censuit : *Orator remittitur Metropolitano, qui ratione habita decreti* « Cum nuperrimis » *dirimat in primo iurisdictionis gradu;* et rescriptum mox relatum Archiepiscopo Reginen. communicari iussit.

Archiepiscopus Reginen. H. S. C. imperata faciens, controversiam examini subiecit, perpensisque rationum momentis ab utraque parte adductis, sub die 25 Martii 1891 sacerdotis Tampani recursum reiecit sententiamque Episcopo Velensise amicam edidit, decernens, ut ad dimidiam tantum partem pensio ab Episcopo Valensise sacerdoti Tampani debita reduceretur.

Inimicam Archiepiscopi Reginen. sententiam aequo animo haud tulit sac. Tampani, qui proinde sub die 18 Aprilis appellationem apud S. H. C. interposuit, expostulans, ut ipsa quovis firmitatis robore destituta renunciaretur.

Disceptatio Synoptica.

IURA EPISCOPI COADIUTORIS. Ad extinguendas controversias Beneficiarios inter et Pensionarios ortas, post pseudoleges a gubernio italico contra Ecclesiae patrimonium latas, fel. rec. Pius IX decretum < *Cum nuperrimis* > die 28 Ianuarii 1871 edidit, vi cuius statutum fuit: « ut amissio vel diminutio redituum Beneficiorum in communi beneficiarios ac pensionarios afficiat, nullo facto inter ipsamet Beneficia ipsasque pensiones discrimine, ita ut praefatis reditibus imminutis vel amissis, habita proportione imminui etiam pro rata debeant aut cessare pensiones etc. »

Verum cum ex hoc decreto evenire poterat, ut Episcopalibus mensis praebendisque paroecialibus congrua a Conc. Tridentino praefinita salva haud fieret, in eodem decreto ipsemet Pontifex cavit ut « Cathedralibus (seu Episcopalibus mensis) et parochialibus pensionum oneri subiectis, illud insuper constitum expresse voluit, atque praescripsit ut eorum favore in pensionibus ab se persolvendis integra, semper servari debeat et incolumis esse congrua, ad formam Concilii Tridentini. >

Hisce tamen non obstantibus cum nonnullae difficultates deinceps obortae sint circa solutionem pensionum, quae vel mensis episcopalibus, vel paraeciis impositae sunt, quarum reditus vel mille vel centum ducata excedunt; S. H. C. die 30 Maii 1873, respondere censuit « Praele vatis mille et respective centum reductio proportionalis pensionum ad imminutionem redituum Beneficiorum, de qua in citato decreto instituenda erit super residuo dictorum beneficiorum. »

Hisce in iure praeiactis, perpensum fuit sententiam Curiae Archiepiscopalis Reginen. iustam, imo nimis benignam fuisse, ideoque in pleno firmitatis robore manutenendam. Quandoquidem ex iis quae Episcopus Valensisse in medium protulit, manifestum erumpit, reditus mensae Episcopalis Neocastren. a quovis onere immunes, qui olim lib. 60,295 75 pertingebant, in posterum ad lib. 14,931 51 redactas fuisse. Ex qua summa, si praeleventur lib. 5,372 50, id quod superest quinta parte antiqui reditus inferius est. Hinc quisque ingenio suo facile percipit, pensionem sacerdoti Tampani persolvendam, non ad medietatem, ceu sententia Archiepiscopalis Reginen. praescripsit, sed ad quintam partem cohibendam fuisse.

Quin in aliquo pretio habenda sit difficultas a Sac. Tampani opposita; quod scilicet pensio sibi persolvenda cum titulum patrimonii constituat, nullo pacto imminui valeat, quin ipse in suspensionis poenam incurrat.

Huic siquidem difficultati occurrit citatum decretum: « *Cum nuperrimis* > statuens, quod « si clericus aliquis pen-

sionis titulo ordinatus ob huius normae solutionem sacro patrimonio privatus partim vel omnino remaneat, nullam ob id suspensionem incurrat, nec ecclesiasticis obnoxius poenis evadat. »

IURA SAC. TAMPANI. EX parte sac. Tampani animadversum fuit, citatum decretum <*Cum nuperrimis* » ideo editum fuisse, ut beneficiarii et pensionarii proportionaliter damna redituum diminutionis sustinerent, quibus ob leges a gubernio italico latas, ecclesiastica beneficia in Italia existentia, postremis hisce temporibus, obnoxia fuerunt.

Hoc semel constituto, videtur quod modo, post 20 annorum lapsum, non amplius beneficiorum possessoribus liceat huiusmodi decretum denuo invocare eum in finem, ut pensiones adhuc reducantur. Huiusmodi siquidem proportione semel invecta, aequum et iustum esse videtur, ut ceteris innovationibus aditus praecludatur, ne beneficiariis vel pensionariis ansa praebeatur novas lites instaurandi.

Praeter haec perpensum fuit, praesumendum esse summum Pontificem in conferendis beneficiis, cuiuscumque beneficii reditus et onera perspectus habere. Hinc omnino validas renunciandas esse pensiones quascumque ab ipso Pontifice impositas, nec eas imminui posse ratione decreti « *Cum nuperrimis* ».

In cuius rei confirmationem adducta fuit Romana *Quoad reductionem pensionis* diei 29 Iulii 1881 ; nec non Nepesina diei II Augusti 1874, quibus S^ H. C. decrevit, pensionem a Summo Pontifice impositam integram solvendam esse, non obstante citato decreto *«Cum nuperrimis>.ad* quod beneficiarii pensione gravati recursum faciebant.

In themate autem, cum Episcopus Valensisse Episcopo Candido absque ulla distinctione vel limitatione substitutus fuerit, iustum esse videtur, ut Ipse pensiones omnes in eadem quantitate persolvat, qua eas Episcopus Candido ipsius antecessor persolvere consueverat.

Neque quidquam facere, quod tam Episcopus Barberi, quam Episcopus Candido animo conceperant pensionem sac.

Tampani imminutam persolvere; quandoquidem in facto est ipsam ex integro iugiter persolutam fuisse.

Idque eo vel fortius in themate admittendum esse, cum ex una parte valde exigua sit summa quae in quaestionem deducta fuit; ex altera vero agatur de pensionario in gravi aetate constituto et indigentia presso, qui duabus sororibus senio confectis vitae necessaria comparare debet.

Hisce ex utraque parte perpensis propositum fuit diluendum sequens

Dubium

An et quomodo sit confirmanda vel infirmanda sententia a Curia Archiepiscopali Reginen. die 23 Martii 1891 edita, in casu.

RESOLUTIO. S. Congregatio Episcoporum et Regularium, re maturo examini subiecta, sub die 11 Septembris anni 1891 respondere et censuit: *Attentis peculiaribus circumstantiis, negative ad, primam partem, affirmative ad secundam et amplius.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

CUNEEN, rescriptum quoad annulum....

Hodiernus Caeremoniarum sacrarum Magister in seminario cuneensi, de mandato Rmi ipsius cuneen. Episcopi, Sacrae Rituum Congregationi insequentia Dubia pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. An Episcopus in solemni cantu Horae Tertiae etiam annulum Pontificale gestare debeat? An vero, pro lotione manuum illo dimisso, non amplius sit ei imponendum nisi expleta vestitione pro Missa, cum illud inducit Presbyter assistens?

Dubium II. In nonnullis Editionibus Pontificalis Romani mensa Oleorum exhibetur ornata Cruce et binis aut etiam senis candelabris. Cum de hisce ornamentis Rubrica sileat, quaeritur: an in supradicta mensa possit, imo debeat, apponi Crux cum candelabris?

Dubium III. An tres ampullae Oleorum consecrandorum Feria V in Coena Domini expoliari debeant suis sericeis vestibus cum Episcopus incipit singularum oleum benedicere? An vero exui tantum debeat ampulla Olei infirmorum et Catechumenorum, cum de ampulla Chrismatis dicat Pontificale: *Dimissa ei sua serica veste, quam antea habebat*

Dubium IV. An in I Vesperis S. Iustini Martyris (14 Apr.) pro commemoratione Sanctorum Tirburtii et Soc. Martyrum facienda per antiph. Laudum, *f* desumendus sit ex III Nocturno *Laetitia sempiterna* etc.; prout not. Brev. Rom. edit. Ratisbonae an. 1889; an vero ex II Nocturno *Lux perpetua* prout agendum in similibus duxerunt nonnulli de re liturgica scriptores?

Et sacra eadem Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad II. Negative.

Ad III. Affirmative ad I partem; quoad II, ampulla sacri chrismatis mappullâ involuta manere debet, usque dum, peracta balsami infusione, Diaconus illam tollat et sibi collo reponat.

Ad IV. Pro enuntiata commemoratione standum praefatae editioni typicae Breviarii Romani.

Atque ita rescripsit et servari mandavit die 29 Maii 1891.

CAL CARD. ALOISI-MASELLA, *Praef.*

L. ffi S.

VINC NUSSI, *Seeretar.*

NULLIUS seu NONANTULANA quoad officium adhibendum in festo s. Hadriani III.

Postquam per Decretum S. R. C. diei 2 Iunii hoc anno a SSmo D. N. Leone Papa XIII confirmatus fuit cultus publicus ecclesiasticus ab immemorabili tempore praestitus Sancto Hadriano Papae III, Confessori, Rmus Dnus Carolus Borgognoni Archiepiscopus Mutinensis [atque Abbatiae Nonantulanae S. Silvestri Abbas Commendatarius eumdem SSmum Dnum Nostrum, iteratis precibus, rogavit, ut in festo praefati sancti Hadriani adhi-

beri valeat Officium de Communi Confessoris Pontificis secundo loco, cum Lectionibus historicis, et Missa respondens, cum Orationibus propriis, quas Sacrae ipsius Congregationis approbationi humillime subiecit. Supplicibus hisce votis sua quoque adiunxit] Emus et Rmus Dnus Cardinalis Lucidus Maria Parecchi eiusdem Sanctissimi Domini Nostri in alma Urbe Vicarius, expostulans ut festum memorati Sancti Hadriani Papae III Confessoris a Clero Urbis eiusque Districtus tam Saeculari quam Regulari aliisque Kalendario Romano utentibus, die septima Septembris sub ritu duplici minori cum supradictis Officio et Missa recoli valeat.

Quum itaque infrascriptus Emus et Rmus Dnus Card. Caietanus Aloisi-Masella, Sacrae Rituum Congregationi Praefectus, huiusce Causae Ponens eiusmodi preces retulerit in Ordinariis ipsius Sacrae Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis; Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, auditoque R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Pro gratia et ad Emum Ponentem eum Promotore Fidei.*

Quamobrem earum Lectionum atque Orationum a praefatis Cardinali Ponente ac S. Fidei Promotore revisione et correctione peracta, Sacra eadem Congregatio, ea omnia prout huic praeiacent Decreto, approbavit, atque in festo Sancti Hadriani Papae III Confessoris a Clero Romano, Nonantulano et Mutinensi usurpari benigne concessit. Die 5 Septembris 1891.

CAL CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. C. *Praef.*

L. ✠ S.

VINCENTIUS NUSSI, S. R. C. *Secretarius.*

BOBIEN. dubia quoad versiculum «Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.»

Episcopus Bobiensis humiliter Em. V. Rmae exponit; in sua dioecesi usum existere, ut Benedictioni cum Ss. Sacramento praemittatur Rosarii recitatio et cantus Litaniarum; et durantibus Litaniis fit Ss. Sacramenti expositio.

Cum autem a Ssmo D. N. Papa praescripta fuerit Rosarii recitatio cum adiectis litaniis B. M., quaeritur: 1.° Ante Orationem quae dicitur post Litanias, dicendus ne est Versiculus tantum *Ora pro nobis S. Dei Genitrix,* ut refertur in appendice

Ritualis Romani, sine adiectione *ff. Domine exaudi etc* et *Dominus vobiscum ?*

2.° In casu affirmativo, cum talis sit praxis universalis, si in quadam dioecesi aliqua esset paroecia in qua, post *f. Ora pro nobis,* adiiceretur quoque *Dominus vobiscum* et *Domine exaudi,* Episcopus dioecesanus, ut melius praescriptio pontificia adimpleatur, et uniformitas in tota dioecesi obtineatur, posset ne praescribere quod in omnibus ecclesiis suae dioecesis recitetur in casu *f. Ora pro nobis...* tantum?

3.° Tandem tenendum ne est, tamquam norma generalis, quod Versiculi *Domine exaudi...* et *Dominus vobiscum,* praemittendi sint Orationi iis tantum in casibus, in quibus Rituale Romanum illos praescribit?

S. R. C. ad relationem infrascripti Secretarii, propositis dubiis mature perpensis, ita rescribere rata est: SERVETUR RITUALE ROMANUM. Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 20 Novembris 1891.

C. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praefectus.

L. & S.

VINCENTIUS NUSSI S. R. C. Secretarius.

DUBIORUM quoad anniversarium consecrationis Episcopi.

Insequentia Dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna declaratione proposita fuerunt, nimirum :

I. Quando anniversarium consecrationis Episcopi accidentaliter impediatur festo mobili ritus Duplicis primae classis, transferendum ne est, an omittendum ?

II. Quando idem anniversarium quotannis impediatur festo ritus pariter Duplicis primae classis, quod diei affixum est, reponendum est, an semper omittendum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii rescribendum censuit:

Ad I. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

Ad II. Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam. Atque ita declaravit ac rescripsit die 12 Decembris 1891.

C. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praefectus.

L. * S.

VINCENTIUS NUSSI S. R. C. Secretarius.

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

INDULGENTIAE concessae Christifidelibus occasione Iubilaei episcopalis Sanctissimi Patris Leonis XIII.

Beatissimo Padre

La Commissione centrale di Roma, costituita in omaggio del Giubileo episcopale della S. V. prostrata al bacio del S. Piede espone quanto segue:

Al lato delle opere stabilite per celebrare il fausto avvenimento si è promossa eziandio P Opera della Preghiera di concerto coli' Emo Card. Vicario. Nel programma da divulgarsi a tale scopo si raccomandano specialmente ai fedeli le seguenti pratiche di pietà.

1. Celebrazione della S. Messa in ogni Domenica dal 19 Feb. 1892 al 19 Feb. 1893, con la Comunione dei Fedeli, recita del S. Rosario, breve discorso, preghiera pel S. Padre, e benedizione del SS. Sacramento nelle Chiese da designarsi dai rispettivi Ordinarii.

2. Comunione, o sante Messe ascoltate dai fedeli d'ambo i sessi.

3. Recita del S. Rosario o in privato o in comune massimamente in famiglia.

4. Visite al SSmo nel tempo, preferibilmente, in cui è esposto alla pubblica venerazione.

Ora la medesima Commissione fa umile istanza alla S. V. perchè si degni accordare per le suddette pratiche di pietà le seguenti Indulgenze:

1. Indulgenze parziali:

a) di 7 anni e 7 quarantene per chi divotamente e con cuore contrito prende parte alla funzione settimanale mentovata nel num. 1.

b) di 300 giorni per ciascuna delle tre pratiche di pietà indicate sopra ai num. 2, 3, 4.

2. Indulgenza plenaria il primo giorno che avrà luogo la indicata funzione num. 1, purché i fedeli, i quali vi assistano, si accostino ai Sacramenti della Confessione e Comunione.

Lo scopo stabilito delle dette pratiche di pietà è quello che si è proposto la Commissione, cioè

1. L'incolumità del S. Padre e l'esaltazione della S. Sede.
2. Il buon esito dei preparativi e delle feste Giubilari.
3. Il trionfo e la propagazione della S. Chiesa. Che ecc.

(Versio)

Beatissime Pater,

Commissio centralis, Romae constituta, ut debito honore celebrentur solemnia Iubilaei episcopalis S. Vestrae, humiliter provoluta ad osculum s. Pedis, haec quae sequuntur exponit:

Una simul cum operibus constitutis ad faustum celebrandum eventum, promotum fuit etiam pium opus orationis, de Emi Cardinalis Vicarii consensu. In programmate, ad id evulgando, proponuntur Fidelibus sequentia pietatis exercitia.

1. Celebratio s. Missae qualibet Dominica, a die 19 Februarii 1892 ad diem 19 Februarii 1893 cum communione fidelium, ssmi Rosarii recitatione, brevi sermone, addita aliqua precatione pro Summo Pontifice, et benedictione SSmi Sacramenti in Ecclesiis designandis a respectivis Ordinariis.
2. Communio, aut sanctae Missae, quibus adsistant fideles utriusque sexus.
3. Recitatio sanctissimi Rosarii, aut privatim, aut in commune, praecipue apud domesticos lares.
4. Visitationes ad SSmum Sacramentum, tempore praesertim, quo publicae exponitur venerationi.

Quamobrem eadem Commissio humiliter exorat Sanctitatem Vestram, ut adnectere dignetur praedictis pietatis exercitiis sequentes Indulgentias:

1. Indulgentias partiales:

a) septem annorum totidemque quadragenarum ab illis lucrandas qui devote et corde contrito adfuerint functioni hebdomadali, de qua agitur sub n. 1.

b) tercentum dierum pro quolibet, ex tribus pietatis exercitiis, de quibus agitur sub n. 2, 3, 4.

2. Indulgentiam plenariam primo die, quo locum habebit praefata functio sub n. 1; dummodo fideles qui illi adfuerint vere poenitentes, confessi sacram synaxim susceperint.

Finis praefatomm piorum operum ille est quem sibi Commissio praestituit, nempe:

1. Incolumitas SS. Dñi Nostri Patris, et s. Sedis exaltatio.
2. Bonus exitus incoeptorum et solemnitatum Iubilaei.
3. Triumphus et propagatio s. Ecclesiae.

SS. D. N. Leo PP. XIII in Aud. habita die 16 Ianuarii 1892 ab infrascripto Secretario S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, universis Christifidelibus pietatis opera peracturis, prout in precibus exponitur, petitas Indulgentias, etiam animabus igne Purgatorii detentis, applicabiles, benigne concessit, servatis de iure servandis. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Coñgnis die 16 Ianuarii 1892.

I. CARD. D'ANNIBALE *Praef.*

L. * S.

f& AL. ARCHIEP. NICOP. *Secretarius.*

EX 8. CONGREG. CAEREMONIALI

Episcopi quoad usum pileoli.

Die 20 Maii 1890.

In comitiis, ad Vaticanum habitis die 20 Maii 1890, inter ceteras quaestiones Sacrae Congregationi Caeremoniali ad dirimendum propositas, actum est etiam, an Emi et Rmi Dñi Cardinales, sive Rmi Episcopi et quotquot ex indulto Apostolico gaudent usu pileoli, sacro adsistentes, sive seorsim sive collegialiter, teneantur detegere caput ad cantum Sacri Evangelii et dum thuriflcantur.

Emi Patres, re mature discussa, rescripserunt *Affirmative,* atque ita omnino servari mandarunt.

R. MONACO LA VALLETTA, *Praef.*

ALOYSIUS SINISTRI *a Secretis.*

EX S. CONG. R. U. INQUISITIONIS

Tribuitur Ordinariis locorum Orbis catholici facultas solvendi a lege ieiunii et abstinentiae fideles quibus praesunt, donec...

Apostolicae potestatis et benignitatis curas ad se vocavit, conditio et genus morbi, qui hoc tempore, non Europam modo sed alias Orbis regiones late pervasit. Hoc enim grassante malo permotus Sanctissimus Dominus LEO XIII. pro summo studio quod gerit, ut non solum in iis quae animi sunt, sed in iis etiam quae sunt corporis bono Fidelium consulat, Suae sollicitudinis esse putavit, ea praesidia quae in sua potestate sunt conferre Fidelibus, quae corporis vitaeque incolumitati adversus morbi vim dominantis prodesse posse visa sunt. Quamobrem ministerio Sacri Consilii Supremae Romanae Universalis Inquisitionis utens, omnibus Archiepiscopis, Episcopis et locorum Ordinariis Catholici Orbis, cunctis in regionibus quibus morbus de quosupra dictum est, incubuit, Apostolica auctoritate facultatem impertit, ut Fideles, queis praesunt a lege solvant, qua abstinentiam et ieiunium servare tenentur, donec iisdem in locis ipsorum iudicio, hanc Apostolicam indulgentiam publicae valetudinis ratio et conditio requirat. Optat autem Sanctitas Sua, ut dum Fideles Apostolica hac benignitate utuntur, studeant impensius piis vacare operibus, quae ad divinam clementiam demerendam valent. Quapropter eos hortatur, ut sublevandis caritate egenis, celebrandis ad preces et sacra officia templis, frequentique sacramentorum usui ad Deum exorandum placandumque studiose dent operam, cum aperte pateat crebra quibus affligimur mala, ad divinam iustitiam esse referenda, quae ob corruptos mores et late exundantem flagitiorum colluviem, iustas poenas ab hominibus expetit.

Romae die 14 Ianuarii Anno 1892.

R. CARD. MONACO

APPENDIX L

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST.; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT, AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

Declarationes S. G. de Propaganda Fide circa instructionem pro definiendis causis criminalibus Clericorum, relatam Vol. XIi, 88.

I. Instructio diei 20 Iulii 1878 lata est de casibus in quibus ecclesiastica poena seu censura sit infligenda, aut gravi disciplinari coercitioni sit locus. Hinc Concilii plenarii Baltimorensis II decreta n. 125 quoad naturam Missionum, nn. 77, 108 quoad iuridicos effectus remotionis missionariorum ab officio nullatenus innovata seu infirmata fuerunt.

Episcopi vero curent, ne sacerdotes sine gravi et rationabili causa de una ad aliam Missionem invitos transferant. Quod si de alicuius Rectoris definitiva remotione a munere in poenam delicti infligenda agatur, id Episcopi executioni non mandent, nisi audito prius Consilio.

II. Electio Consiliariorum facienda est in Synodo ad instar deputationis, seu canonicae electionis Iudicum Synodalium, qui non a clero sed ab Episcopo eliguntur, audito quidem consilio clericorum in Synodo, *etsi ex causis sibi notis illud amplecti postea Episcopus noluerit,* **ut bene observat Benedictus XIV** *De Syn. lib. V, cap. V, num. 5.* **Hinc absonum est, ut in casu de quo agit Instructio, horam Consiliariorum electio ad clerum pertineat.**

Extra Synodum electio absolute ad Episcopum pertinet, quem decet, ut votum audiat reliquorum Consiliariorum in casu subrogationis alicuius qui defecerit, prout Episcopus in casu deficientis Iudicis Synodalis debet *exquirere capituli consilium, sed illud sequi non tenetur.*

III. Votum a Consilio datum est semper consultivum, et sententia definitiva Episcopo est reservata; quando enim Canones dicunt aliquid ab Episcopo de Capituli vel cleri consilio agendum esse, non propterea necessitatem ipsi Episcopo inducunt illud sequi, nisi expresse id cautum

MONITUM. — Saepe numero accidit, ut ad manus nostras perveniant acta Apostolicae Sedis, maximae utilitatis; edita aut peractis temporibus, vel haud dudum; quae tamen prius omnino nos latuerant. Ne Ephemerides nostrae, optimique lectores hoc priventur commodo, censuimus eadem ista acta, quando nobis innotescant, per appendices parvas referre, notando, ope cuius s. Congregationis, Rom. Pontifex haec protulerit.

sit. Hinc recte dicitur in Instructione, hos Consiliarios *Episcopo in causis definiendis auxilium praebere,* minime vero ipsos decidere. Sed inquisitionis acta, et opinio pandita a Consiliariis est semper inserenda processui.

Ex quibus patet officium Consiliariorum iudiciale quidem esse, cum instructio sit iisdem commissa, ac tamquam Adsessores Episcopo adsistant : sed patet etiam iudicialis et definitivae sententiae prolationem Episcopo esse unice reservatam.

IV. Per Instructionem sublata non est Episcopis extraordinaria facultas procedendi ad suspensionem ex informata conscientia, quatenus gravissimas et canonicas causas concurrere in Domino iudicaverint, aut gravi et urgente necessitate pro salute animarum, etiam non audito consilio, remedio aliquo providendum esse censuerint.

Liberum cuique Rectori est alium sacerdotem, ab Episcopo approbandum, secum habere coram Consilio sive ad simplicem adsistentiam sive ad suas animadversiones aut defensionem exhibendam.

Quaestiones pro relatione ad S. C. de Prop. Fide facienda quoties Ordinarii locorum visitant sacra limina ad normam instructionis relatae Vol. X, **202.**

1. Exprimantur nomen, aetas, patria Episcopi, et etiam Institutum, si sit Regularis.

2. Amplitudo, et qualitas Dioecesis.

3. In qua Provincia sit, vel quot Provincias contineat.

4. Si Ecclesia sit Archiepiscopalis, quot, et quales habeat Suffraganeos; si vero Episcopalis, cuius Archiepiscopi sit Suffraganea.

5. An habeat Cathedralem, et propriam residentiam, et in qua civitate?

6. An Episcopus habeat facultates speciales a S. Sede, et quas?

7. An habeat reditus proprios, quot, et in quo consistant?

8. Enumerentur loca Dioecesis, et eorum respective distantia.

9. Quando Visitatio Dioecesis fuerit peracta; num ad tramites praescriptionum canonicarum?

10. Quando Provinciales ac Dioecesanae Synodi fuerint habitae.

11. An pro exercitio iurisdictionis aliqua inferatur molestia ab Episcopis finitimis?

12. An habeat Capitulum, et ex quot Canonicis constet?

13. An adsint praebendae, et quae?

14. Quale servitium praestent Canonici Cathedrali: et an etiam fungantur munere Parochi in locis Dioecesis?

15. An resideant intra fines Parochiae.

16. An se immisceant in regimine Ecclesiae, impediant ^liberam iurisdictionem Episcopi?

17. An habeant Seminarium, et ubi : quot iuvenes ibidem alantur et quibus studiis vacent?

18. Num Concilii Trid. regulae circa Seminarium serventur?

19. An ibi adsint Parochi, vel tantummodo simplices Missionarii?

20. An Parochi sint perpetui, vel ad nutum amovibiles, et an Missam celebrent festis diebus pro populo?

21. An eligantur ab Episcopo?

22. Quot sint Parochiae: an in eis servetur Sacrosancta Eucharistia, et cum qua decentia?

23. An habeant fines certos, et propriam Ecclesiam: et quot Capellae inveniantur in districtu uniuscuiusque Parochiae?

24. An aliquae Parochiae sint addictae Ordinibus Regularibus, et quibus?

25. An Parochi habeant sacerdotes, qui eos adiuvent in cura animarum?

26. Exprimatur numerus, et qualitas catholicorum in singulis quibusque locis degentium.

27. An sint et quo numerò scholae catholicae et quot in iis instituantur?

28. An adsit Doctrina Christiana in lingua vernacula expurgata ab omni errore.

29. An sit et quo numero scholae acatholicorum, et num catholici et quo numero illas adeant?

30. Exprimatur numerus sacerdotum indigenarum, et exterorum.

31. Eorum patria, mores, munera, in quibus se exercent, et cuius utilitatis sint pro servitio Ecclesiae.

32. An huiusmodi sacerdotes facultates habeant a Sede Apostolica, et cuius expensis vivant?

33. An inter istos inveniantur Alumni Sacrae Congregationis de Propaganda Fide: quinam sint: et an satisfaciant muneri suo?

34. Exprimantur etiam nomen, aetas, et qualitates sacerdotum indigenarum, qui sunt extra Dioecesim: tum etiam adnotentur loca, in quibus morantur: quid ibi peragant: et an ex aliquo peculiari titulo teneantur inservire propriae Ecclesiae?

35. An sint etiam clerici, et quot : quomodo, et ad quem titulum ordinentur; ubi resideant; et quid ab illis exigatur, ut ad Sacros Ordines promoveri possint?

36. An adsint Missionarii Regulares, quot, cuius Ordinis, et cuius regionis?

37. An cuilibet Ordini sint assignati certi Districtus et qua auctoritate?

38. Ubi resideant, quibus Superioribus subsint, et quot habeant domos?

39. An habeant Conventus formatos, vel dumtaxat Hospitia: et in iis servetur Clausura?

40. An in communi vivant, et cum regulari observantia, vel habitent soli, et in domibus privatis cum saecularibus: et praecipue cum mulieribus?

41. In quo habitu incedant?

42. An admittant ad habitum, et professionem sui Ordinis indígenas, et qua auctoritate?

43. An Regulares habeant facultates speciales: et an eas exhibeant Episcopo, antequam exerceant?

44. In quibus dependeant ab Episcopis?

45. Quibus mediis sustententur: an aliquid pro Sacramentorum administratione percipiant, et quae sit illorum fama?

46. An, et in quibus utile opus praestent pro salute animarum, et pro incremento Religionis?

47. An sit aliquis Monialium Conventus; cuius Instituti; qua auctoritate fundatus; et cuius curae et ministerio subsit?

48. An ibidem observetur vita communis, et an Moniales obstringantur votis solemnibus Paupertatis, Castitatis, Obedientiae, et Clausura?

49. An sint in Dioecesi piae aliquae Fundationes seu Legata Pia?

50. An redditus pro huiusmodi Legatis rite administrentur et Canones ea de re serventur.

51. Enumerentur omnes abusus, qui forte irrepserunt etiam inter catholicos, sive circa fidem, et ritus, sive circa mores, vel administrationem Sacramentorum, divini verbi praedicationem, et cuiusque alterius generis sint.

52. Exprimantur principales causae huiusmodi abusum, et quomodo possint eradicari.

53. Num matrimonia rite contrahantur?

54. An a viginti circiter annis status Fidei Catholicae augeatur, vel potius decrescat: et qua de causa?

55. Tandem attente perpendat spirituales christianitatis illius necessitates: eas distincte referat; mediaque proponat idonea ad praeteritos errores evellendos, ad maiorem religionis profectum inducendum.

Instructio S. C. de Propag. Fide 1883 de modo servando in cognoscendis et definiendis causis criminalibus et disciplinaribus clericorum in foederatis Statibus Americae Septentrionalis.

Cum magnopere huius S. Consilii intersit in ecclesiasticis iudiciis eam methodum servari quae et temporum circumstantiis opportune respondeat, et regulari iustitiae administrationi, nec non Praelatorum auctoritati tuendae, querelisque reorum praecavendis par omnijio sit, placuit iterum ad examen revocari ea omnia quae in hac re pro ecclesiis foederatorum Americae Septentrionalis Statuum in instructione diei 20 Iulii anno 1878, nec non in responsione ad dubia circa eamdem posterius proposita continebantur. Itaque S. C. omnibus mature perpensis, SSmo D. N. Leone PP. XIII approbante, haec quae sequuntur observanda decrevit, praecedenti Instructione ac successiva declaratione abrogata, iis exceptis quae in hac continentur.

I. Ordinarius pro suo pastorali munere tenetur disciplinam correptionemque clericorum ita diligenter curare, ut circa eorum mores assidue vigilet, ac remedia a canonibus statuta sive praecavendis, sive tollendis abusibus, in clerum aliquando irrepentibus provide adhibeat.

II. Haec vero remedia, alia *praeventiva* **sunt, alia** *repressiva.* **Illa quidem ad praepedienda mala, scandalosam stimulos amovendos, voluntarias occasiones et causas ad delinquendum proximas vitandas ordinantur. Haec vero eum in finem constituta sunt, ut delinquentes ad bonam frugem revocentur, ac culparum consectaria e medio tollantur.**

III. Conscientiae Ordinarii remittitur cuiusque remedii applicatio, canonicis praescriptionibus servatis pro casuum ac circumstantiarum gravitate.

IV. Praeventiva remedia sunt praecipue spiritualia exercitia, monitiones, praecepta.

Y. Antequam vero adhibeantur, summaria factorum recognitio praecedat oportet: cuius notitiam Ordinarius servari curet ut, si opus sit, ad ulteriora procedere possit, et ut auctoritati ecclesiasticae superioris gradus in casu legitimi recursus totius rei rationem reddat.

"VI. Canonicae monitiones vel secreto fiunt (etiam per epistolam vel per interpositam personam) ad modum paternae correptionis, vel servata forma legali adhibentur, ita tamen ut illarum executio ex aliquo actu pateat.

VII. Quod si monitiones in irritum cedant Ordinarius iubet per Curiam delinquenti analogum praeceptum intimari ita, ut in hoc expli-

cetur, quid ipse vel facere vel vitare debeat, addita respectivae poenae ecclesiasticae comminatione, quam si praeceptum transgrediatur, incurret.

VIII. Praeceptum delinquenti a Curiae Cancellario coram Vicario generali iniungitur, aut etiam coram duobus testibus ecclesiasticis vel laicis spectatae probitatis.

1. Actus iniunctionis praecepti signatur a partibus praesentibus, et a delinquente etiam, si velit.

2. Vicarius Generalis iusiurandum testibus imponere potest de secreto servando, si prudenter a natura rei, de qua agitur; id requiratur.

IX. Quod vero pertinet ad remedia repressiva seu poenas, animadvertant Ordinarii in suo pleno vigore manere remedium extraiudiciale ex informata conscientia pro occultis reatibus a S. Concilio Tridentino constitutum C. I. § 14. de Ref.

X. In actione criminali vel ob praecepti inobservantiam, vel ob communes reatus, vel ob ecclesiasticarum legum transgressionem processus summarie et sine strepitu iudicii, servatis semper in tota sua substantia iustitiae regulis, conficiatur.

XI. Processus ex officio instruitur, vel accepto supplici libello, vel accusatione, vel nuncio quoquomodo ad Curiam periato et usque ad terminum perducitur eo consilio, ut omni studio ac prudentia veritas detegatur, ac tum de crimine, tum de reitate vel innocentia accusati causa eliquetur.

XII. Ubi Curiae iam constitutae sunt, compilano processus committi potest probo ac perito viro ecclesiastico, cui assistat actuarius. In dioecesibus vero, in quibus Curiae episcopales nondum possint institui, interim observanda est instructio anni 1878 cum responsione eam subsequenti ad proposita dubia. Videlicet singuli Antistites in Synodo Dioecesana, audito clericorum consilio, quod tamen sequi non tenetur, quinque, vel ubi adiuncta rerum id fieri non sinant, tres saltem presbyteros ex probatissimis et, quantum fieri poterit, in iure canonico peritis, seligant ad huiusmodi officium, ut in praedicta Instructione declaratum exstat, exercendum. Quod si ob aliquam gravem causam Synodus haberi nequeat, quinque vel tres, ut supra, ecclesiastici viri per episcopum ad idem munus deputentur. Electi in officio manebunt usque ad proximam Dioecesanae Synodi celebrationem, in qua vel confirmentur, vel alii eorum loco designentur. Quod si interdum morte aut renuntiatione vel alia causa praescriptus consiliariorum numerus minuatur, episcopus audito consilio ceterorum ad commissionem pertinentium, alios sufficiet. Porro commissio haec Consultorum iureiurando

obstricta tenetur ad officium fideliter adimplendum, et praeside Episcopo vel Vicario generali rem suam aget.

XIII. In qualibet Curia episcopali procurator fiscalis constituetur, ut iustitiae et legi satisfiat.

XIV. Pro intimationibus vel notificationibus, si Apparitores Curiae desint, utatur Episcopus persona aliqua qualificata, quae eas exhibeat, ac de hoc ipsum certiorem reddat: vel etiam a Curia per publicos tabellarios commendatae (quibus locis hoc systema vigeat) transmittantur, exquisita fide exhibitionis atque acceptionis vel repudii. Intimationes .et notificationes semper in scriptis absolute fiant.

XV. Delicti fundamentum erui potest ex ipsa expositione habita in .processu, quae authenticis informationibus vel confessione extraiudiciali, vel testium depositionibus confirmetur: transgressio vero praecepti ex ipso decreto et actu intimationis, ad normam art. VII. et VIII. factae, •deducitur.

XVI. Ad admittendam vero rei culpabilitatem necessaria est proèatio legalis, quae iis momentis constare debet, quibus veritas vere demonstrata elucescat, vel saltem moralis convictio inducatur, quocumque -rationabili dubio oppositi remoto.

XVII. Personae quae examini subiiciendae sunt, separatim audiuntur.

XVIII. Testes ad probationem, sive ad defensionem, si legalia impedimenta id non prohibeant, audiantur praestito iuramento de veritate dicenda, et si res postulet, etiam de secreto servando. Itaque antequam testificentur, cum de veritate, tum de secreto iurent. Eo magis de officio fideliter adimplendo et de secreto pro rei, de qua agitur, exigentia servando, omnes iuramento obstricti sint oportet, qui in •instructione processus ex suo munere partem aliquam habeant.

XIX. Testes qui in locis longe dissitis vel in aliena dioecesi degunt, mediante auctoritate ecclesiastica loci, in quo manent, examinentur, in quem finem specimen factorum transmittetur: quae quidem -auctoritas in responsione normas in hac Instructione contentas observabit.

XX. Si indicentur testes, qui ds factis vel circumstantiis ad medium causae substantiale spectantibus interrogandi essent, nec examinari possint, vel quia non licet aut decet eos citare in iudicium, vel -quia rogati adesse recusent, necesse est id in actis commemorare, eorumque deficientia suppletur testimoniis aliorum, qui vel de relato ^el aliter rem, de qua quaeritur, noverint.

XXI. Ubi id omne quod ad veritatem factorum constituendam et

culpam accusati probandam pertinet, absolutum fuerit, imputatus. intimatione scripta ad examen vocatur.

XXII. In intimatione, nisi prudentia obstet, accusationes contra* reum perìatae per extensum referantur, ut ad responsionem se praeparare possit.

XXIII. Quod si ob accusationem qualitatem vel alia de causa haud expediat, ut in intimatione exprimantur, in hac satis erit innuere,, ipsum ad examen vocari ut in causa, de qua contra eum fit inquisitio, sese defendat.

XXIV. Si ad examen accedere recuset, iterum fit intimatio, atque in ea congruum tempus peremptorium praefinitur, intra quod reus coram tribunali se sistere debeat, eique significatur, si non pareat, contumacem esse iudicandum: quam intimationem si haud probato legitimo impedimento transgrediatur, ut contumax de facto habebitur.

XXV. Verum si ad examen accedat, audiatur: et ubi inductiones alicuius valoris exhibeat, eae, quantum fieri potest, accurate discutiantur.

XXVI. Dein accedendum est ad contestationem delicti et argumentorum, quae prostant, ut inquisitus et culpabilis habeatur et in. poenas canonicas incurrisse censeatur,

XXVII. Inquisitus, ubi ex his noverit quae in actis contra ipsum relata sunt, ad ea respondere potest, ac, si velit, utetur iure defensionis a se ipso peragendae.

XXVIII. Potest etiam, si postulet, obtinere ut terminus ad defensionem scripto exhibendam praefigatur: maxime si ob ea quae art. XXIII indicata sunt, responsionem ad accusationes contra se latas-parare non potuerit.

XXIX. Absoluto processu redaciorum summarium praecipuorum argumentorum, quae ex ipso elucent, conficiat.

XXX. Qua die causa proponetur, inquisito fiet facultas defensionem suam per alium sacerdotem suo nomine peragendi. Quod si idoneum non reperiat, laicum catholicum adhibere potest. Quisque autem ex iis ab Ordinario approbandus est.

XXXI. Si vero reus defensorem deputare recuset, Ordinarius illum ex officio designabit.

XXXII. Defensor debitis sub cautelis in Cancellaria Curiae procesr sum eiusque summarium inspiciet, ut reum [tueatur; ac defensionem ante causae ipsius propositionem scripto exhibere poterit. Ipse quoque ad iuramentum de secreto servando tenetur, quando iudex indolem causae id postulare censuerit.

XXXIII. Processus eiusque summarium ad procuratorem fiscalem mittitur, ut officio suo fungi possit; dein ad Ordinarium remittitur, qui ubi in plenam causae cognitionem devenerit, diem constituet, in qua eius discussio ac decisio locum habeat, idque inquisito significari ^curet.

XXXIV. Praestituta die causa coram Episcopo vel Vicario generali, praesente procuratore fiscali, defensore et Cancellario, proponitur.

XXXV. Audito fisci procuratore, ac defensione rei, sententia pronunciatum eiusque pars dispositiva Cancellario dictatur, expressa mentione facta, si damnationi sit locus, sanctionis canonicae quae contra imputatum applicatur.

XXXVI. Sententia reo intimetur, qui potest ad auctoritatem superioris instantiae appellationem interponere. (1)

XXXVII. In appellatione observentur normae expressae in Constit, sa. me. Benedicti XIV *Ad militantis* diei 20 Martii 1742 ac ceterae indictae a S. C. Episcoporum et RR. decreto diei 18 Decembris 1835 -et epistola circulan diei 1 Aug. 1851.

XXXVIII. Intra terminum decem dierum a notificatione sententiae, interpositio appellationis fieri debet, quo elapso tempore sententiae executio locum habet.

XXXIX. Appellatione interposita, continuo Curia ad auctoritatem -ecclesiasticam superioris instantiae omnia acta causae in suis autographus, idest processum, eius summarium, defensionem ac sententiam mittit.

XL. Haec porro superioris instantiae auctoritas, appellatione cognita, appellanti iniungit, ut intra triginta dies defensorem deputet, qui «ab ipsa approbandus est.

XLI. Eo termino peremptorio frustra elapso, censetur reus beneficio appellationis renuntiasse, quam propterea iudex gradus superioris peremptam declarat.

XLII. In appellatione a sententia Curiae episcopalis ad metropolitanam, Archiepiscopus in causa cognoscenda ac definienda eadem procedendi methodo utetur, quae in hac instructione indicatur.

XLIII. Si clericus ob communes reatus a civili potestate, privilegio fori non obstante, processui ac iudicio subiiciatur, Ordinarius summariam informationem criminis assumit, ac inquirit, num ad normam

(1) Quoad appellationem, in. Concilio Plen. Baltimor. III. noe notatur : « Quod * si a iudicio curae metropolitanae primae instantiae ad aliam curiam appellandum t> sit, appellatio ex speciali concessione S. Sedia flet ad Metropolitanum viciniorem. »

sacrorum canonum infamiae, irregularitati, vel alii ecclesiasticae sanctioni locus esse possit.

§. 1. Pendente iudicio vel imputato in carcere detento, prudens consilium erit, ut Ordinarium ordinationes mere provisorias adhibeat.

§. 2. Iudicio absoluto, si liber accusatus remittatur, Curia episcopalis iuxta informationes, ut supra assumptas, ea ratione procedet, quae in hac instructione constituitur.

XLIV. In casibus dubiis diversisque in praxi difficultatibus Ordinarii Sacram hanc Congregationem consulant, ut contentiones ac nullitatem actorum devitent.

XLV. Haud ita facile Curiae episcopales ad damna vel expensas resarciendas damnari poterunt; quoties enim ex processu informativo indicia sufficientia ad agendum contra inquisitum appareant, iudex appellationis a talibus damnationibus abstineat, cum ea indicia sufficiant ut in iudice, qui antea processit, ea vera et propria calumnia excludatur, quae ad huiusmodi damnationem requiritur.

XLVI. Concilii plenarii Baltimorensis II. decreta N. 125 quoad naturam missionum, et N. 77. 108 quoad iuridicos effectus remotionis missionariorum ab officio, nullatenus innovata seu infirmata intelliguntur, salvis iis quae recentius de Parochis seu Rectoribus inamovibilibus constituta sunt.

Fragmentum epistolae S. C. de Propaganda Fide diei 12 Maii 1890 ad Archiep. Parisien, de auctoritate Patriarcharum orientalium extra proprias Dioeceses....

È massima generale di questa S. C. che i Patriarchi di rito orientale non possano esercitare la loro giurisdizione fuori dei loro patriarcati, e che perciò i sacerdoti e fedeli di qualsivoglia rito orientale, domiciliati fuori dei respettivi patriarcati, o anche entro il perimetro dei medesimi, ma non aventi parrochi dei proprio rito, sieno soggetti aJl'Ordinario latino del luogo, in cui si trovano, specie nelle diocesi latine. S'intende per altro che l'autorità dei vescovi latini sugli orientali, ad essi soggetti, non

Maxima est generalis huius sacraeCongregationis quod Patriarchae ritus orientalis exercere nequeant propriam iurisdictionem extra eorumdem Patriarchatus; et consequenter quod sacerdotes et fideles cuiuslibet ritus orientalis, domicilium habentes extra respectivos patriarchatus, sive etiam intra limites eorumdem, sed non habentes parochos proprii ritus, subiiciantur Ordinario latino loci, in quo morantur, praecipue in Dioecesibus latinis. Animadvertatur tamen quod auctoritas Episcoporum lati-

si estende a questioni di rito, nè ad affari riguardanti lo stato monastico di quei sacerdoti che l'avessero abbracciato. In tali casi, salva sempre l'autorità di questa S. C, è espediente che l'Ordinario del luogo tratti o colla stessa S. G. o col Patriarca orientale in punti di rito, o coll'Abbate generale dei-1'Ordine monastico, se si tratta degli affari dei monaci.

norum super orientalibus, sibi subiectis, haud protenditur ad quaestiones, neque ad negotia, respicientia statum monasticum sacerdotum 'illorum, qui illum iam suscepissent. Hisce in casibus, salva semper auctoritate huius s. Congregationis, expedit quod loci Ordinarius agat sive cum ipsa s. Congregatione , seu cum Patriarcha orientali quoad ritus, sive cum Abbate generali ordinis monastici, quoad negocia monachorum.

Ex Litt. encycl. S. G. de Prop. Fide 8 Nov. 1882. ad Delegatos Ap. pro orient. De applicatione Missae pro populo.

La Santità di N. S. Leone XIII emanava la Costit. *In suprema* del 10 Giugno, corrente anno, riguardante l'obbligo di tutti i Vescovi di applicare la Messa *pro populo* nei giorni festivi... Ella non ignora che secondo la decretale d'Innocenzo III nel Concilio Lateranense IV, *Licet graecos,* e secondo la spiegazione datane in una Congregazione di teologi tenuta nel 1631 innanzi ai Card. Pamphili, la miglior parte dei dottori, non escluso lo stesso Lambertini, (Benedetto XIV) è di sentimento che nelle Costituzioni Apostoliche non s'intendano compresi gli orientali se non nei tre seguenti casi : 1. Nei punti di fede e dottrina cattolica; 2. Dove la materia stessa dimostra la comprensione, in quanto non è

SSmus D. N. Leo XIII exarabat Constit. *In suprema* diei 10 Iunii currentis anni (1) quoad obligationem cunctorum Episcoporum applicandi Missam pro populo diebus festis... Haud latet R. V. quod, iuxta decretalem Innocentii III in Concilio Lateranensi IV, *Licet graecos; et* iuxta explicationem eidem datam in congregatione Theologorum, habita anno 1631 coram Cardinali Pamphili, sanior Doctorum pars, haud ipso excepto Lambertinio, (Benedictus XIV), in sententiam iverit, Orientales non comprehendi in Constitutionibus apostolicis, nisi tribus hisce casibus. 1. In punctis fidei et doctrinae catholicae. 2. Ubi ipsa materia ostendit comprehensionem, in quantum, nedum est lex ecclesiastica, sed

(1) Becole Vol. XIV, p. 529 ad 556.

una legge soltanto ecclesiastica ma una dichiarazione della legge divina e naturale. 3. **Quando, benché si tratti di ordinazioni disciplinari, gli orientali vi sonò espr-essamente nominati. Questa dottrina di teologi e canonisti non è stata finora sanzionata dalla S. Sede ; è certo però che gli orientali ab immemorabili ritengono quai sentenza teoretica e pratica di non essere compresi nelle costituzioni disciplinari se non nel modo predetto, e, che questa loro persuasione non fu mai condannata dalla S. Sede. Posta questa teoria,** è **ben chiaro primieramente che tutti i Vescovi anche orientali sono certamente compresi nella citata Costituzione del S. Padre** *In suprema,* **in quanto che essa dichiara il gius divino dell'obbligo della Messa** *pro populo,* **giacché** *vi pastoralis officii* **sono assolutamente tenuti** *de iure divino* **i Vescovi di qualunque rito ad applicarla. Laonde non è questo un punto di disciplina mutabile e che possa essere, secondo i diversi riti, cambiato o abolito per qualunque contraria consuetudine, la quale non sarebbe altro che un abuso erroneo, se si tratti dell'obbligo dei Vescovi** *in se* **di offerire il S. Sacrificio** *pro populo,* **e non già se si tratti del numero delle Messe, «he debbono offerirsi in ogni giorno festivo. Questo numero viene determinato da una legge ecclesiastica, in applicazione della legge divina; e quindi in ciò non è esclusa, secondo le diverse circostanze, ogni diversità e dispensa.**

declaratio legis diyinae et naturalis. 3. **Quando, etsi agatur de ordinationibus disciplinaribus, Orientales ibi expresse nominantur. Doctrinae huic Theologorum et canonistarum adhuc sanctio s. Sedis non accessit; certum tamen est, Orientales habere ab immemorabili ceu sententiam theoreticam et practicam non comprehendi in constitutionibus disciplinaribus, nisi praedicta ratione, et hanc suam sententiam nunquam fuisse damnatam a s. Sede. Hac posita theoria, liquidum est primo, quod omnes Episcopi, etiam Orientales certe comprehenduntur in citata Constitutione ss. Patris** *In suprema,* **eo quod ipsa declarat ius divinum quoad obligationem Missae** *pro populo:* **nam** *vi pastoralis officii,* **certo obligantur, de** *iure divino,* **Episcopi, cuiuslibet ritus, ad eam applicandam. Quamobrem non est punctum mutabilis discipl. quodque immutari possit aut aboleri iuxta diversos ritus, immutari aut aboleri quacunque de contraria consuetudine; quae nil aliud esset quam erroneus abusus, quando agitur de obligatione Episcoporum** *in se* **litandi s. Sacrificium** *pro populo,* **minime vero si agatur dé numero Missarum, quae offerri debent quolibet die festo. Numerus hic determinatur a lege ecclesiastica in applicatione legis divinae ; et proinde non excluditur, iuxta diversa adiuncta, omnis diversitas et dispensatio.**

S. Congr. de Propaganda Fide. - De praecedentia Episcoporum.

Scribendum esse Nuntio Poloniae S. Congregationis Rituum, sententiam, quam Illmus' D. Card. Capponius retulit, videlicet quod in praecedentia Episcoporum non attenditur diversitas rituum graeci et latini, sed tempus promotionis eorum, et ideo Episcopos rutenos praecedere debere suffraganeos latinorum, si ante illos ad dignitatem fuerint promoti episcopalem.

S. C. de Prop. Fide C. G. 24 Augusti 1852. Vic. Ap. Japhen. Dubia quoad privilegia Vic. Apost.

In ista insula (Ceylan), et generaliter in India praevaluit usus erigendi thronum, et concedendi indulgentiam 40 dierum quotiescumque "Vicarii Apostolici celebrant pontificaliter. Quaeritur ergo :

1. Utrum Vicarii Apostolici possint habere thronum, et concedere dictam indulgentiam nec ne; et quatenus negative, quaeritur.

2. Utrum tolerandum propter usum, et ut ne veniat scandalum.

3. Utrum missionarii debeant, vel possint dicere in Canone: *et Antistite nostro N.* - nominando Vicarium Apostolicum.

R. Ad 1. 2. et 3. Negative.

Ex Litt. S. C. de Prop. Fide 16 Febr. 1867- De privilegiis Vicariorum Ap.

Vicarii Apostolici cum non sint Episcopi titulares Vicariatus quem regunt, stricto iure nequeunt iis omnibus uti honoribus et privilegiis, quibus frui datum est Episcopis in suo territorio; unde nec thronum in Ecclesia habere, neque cappam magnam deferre valent; nec etiam iis ius est ut eorum nomina canone Missae memorentur. Verumtamen sicubi vel ex rescripto vel ex consuetudine mos inoleveril, ut similibus a longo tempore fuerint usi, et timor sit admirationis in fidelibus si videant morem illum innovari, tunc S. Sedes huiusmodi observantiam tolerare consuevit.

S. C. de Prop. Fide - G. P. pro Syn. 16 Ian. 1797 De renovatione facultatum....

1. Quae sit mens S.Congregationis circa renovationem facultatum retardatam absque culpa.

2. Concessa fuit Vicario Apostolico (Tunkini occidentalis) facultas

dispensandi in **1** affinitatis grada ex copula iüicita etiam lineae rectae cum his restrictionibus : *in occultis tamen et in foro interno.* Quaeritur utrum his verbis *in foro interno* seu, ut explicat P. Antoine *in actu confessionis sacramentalis,* intelligatur confessio cui in ipso actu coniungitur absolutio, an vero sufficiat confessio in ordine ad absolutionem in posterum recipiendam, quando scilicet sublatus fuerit obex qui cogit ad eam differendam et qui aliquoties diu durat.

R. Ad **1.** Facultates concessae valere etiam post elapsum tempus concessionis usque ad novae prorogationis concessionem.

Ad 2. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

S. C. de Prop. Fide - C. P. pro Syn. 26 Septembris 1821. Vic. Apost. Sutchuen. - De facultatibus concedendis Missionariis in exiiium pulsis.

Expono S. Congregationi quatuor missionarios huius provinciae Sutchuen. ultimo damnatos fuisse ad exiiium in provincias longinquas, ubi multi christiani huius provinciae antea fuerunt, variis temporibus, relegati. Quare hi missionarii petiverunt, ut concederem illis facultates necessarias, ut omnia munia apostolica erga praedictos christianos relegatos, et alios, qui sunt in locis illorum exilii, exercere possint... Quia in talibus circumstantiis versamur, ut facile possit contingere ut alii missionarii comprehendantur et in exiiium mittantur, et omnes huius provinciae missionarii multum desiderant scire quomodo in huiusmodi adiunctis se gerere debeant; tum etiam quia nos destituimur omni spe per litteras communicandi cum supradictis missionariis missis in exiiium, et instructiones ac decisiones S. C. ad eos mittendi, ut iuxta illas se gerant et munera apostolica obire possint: idcirco quaeritur :

1. Utrum Vicarius Ap. concedere possit missionariis sui districtus, damnatis ad exiiium in alienas provincias, facultates ordinarias et extraordinarias, ut illas exercere possint in locis exilii.

2. Utrum huiusmodi missionariis in exiiium pulsis, independenter a facultatibus obtentis a proprio Vic. Ap., competant aliae facultates ab ipsa Apostolica Sede illis concessae tanquam Missionariis Ap., praesertim si non constet illa loca esse alteri Episcopo subiecta aut propter nimiam longitudinem, vel aliud impedimentum, ad illum Episcopum recurrere non possint.

3. Quaenam sint huiusmodi facultates, et quomodo se gerere debeant circa illas quae nonnisi ad biennium vel aliud determinatum tempus concedi solent.

R. Ad i. Affirmative; sed exerceri nequeunt nisi de licentia Ordinarii, aut ob difficillimum accessum ad Ordinarium loci, aut ob deficientiam eiusdem Ordinarii.

Ad 2. et 3. Provisum in i.

S. Congr. Concilii 25 Aug. 1850.

AQUEN. De Episcopo titulari quoad suffragium ferendum.

Episcopus mere titularis non habet votum decisivum in Synodo-Provinciali nisi omnes et singuli Episcopi consentiant; neque supra ceteros gaudet praecedentia, licet ante consecrationem acceperit, nec considerari potest ut Episcopus exemptus.

S. Congr. Episc, et Regul. 6 Maii 1864.

DUBIUM de Episcopo regulari quoad regulam professam.

An et quomodo Episcopus Regularis teneatur ad Regulam servandam quam professus est.

R. Affirmative, ad praescriptum Constitutionis Benedicti XIII incipientis *Custodes ;* **nempe Episcopus Regularis tenetur observare regulas suae Religionis, quae materiam voti determinant : item tenetur alias regulas et observantias dignitati et officio episcopali non repugnantes eadem obligatione gravi vel levi observare, qua tenebatur antequam assequeretur dignitatem episcopalem : ita tamen ut in peculiaribus casibus iudicium ferre possit utrum cum dignitate et officio episcopali illa conveniant.**

S. C. Rituum. 16 Aprilis 1886.

Episcopus quoad anniversarium suae electionis.

An Episcopus teneatur speciali modo celebrare anniversarium suae electionis et consecrationis. Et quatenus affirmative, quomodo et quinam dies electionis habendus est.

R. Affirmative ad primam partem. — Ad secundam : uti satis edocet Caeremoniale Episcoporum. — Ad tertiam: dies electionis estille in quo provisio Ecclesiae episcopalis a Summo Pontifice publicatur in Consistorio.

S. C. Rituum 30 Ian. 1878. *Ép.* Mâfianopolitan.
Episcopi quoad collectam.

1. Utrum a clero collecta pro Episcopo dicenda sit et die consecrationis, et die electionis eiusdem Episcopi.

2. Utrum Episcopus electus dici possit ea die qua expeditae fuerunt Litterae in forma Brevis, quibus antecessor fuit translatus, an potius ea die qua ipse Coadiutor fuit nominatus in Consistorio.

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Diem electionis in casu et ad effectum collectae ab universo clero Marianopolitano faciendae, esse diem qua datae sunt Litterae Apostolicae in forma Brevis pro Coadiutoria cum futura successione.

Ex Littera Ap. Pii PP. VI 9 Decembris 1783 ad Episcopum Babilonensem
De Pallio.

Pallium quod ex lana contextum, ovis illius, quam Dominus aberrantem quaesivit inventamque humeris suis sustulit, pellem significat, ut Episcopus, qui Christum ipsum gerit, ipsius munere fungatur ; atque etiam ipso habitu illud omnibus ostendat, se boni ac magni illius Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit.

S. C. S. Officii. 7 Augusti 1749. - Ordinarii quoad facultates peculiares.

Sanctissimus mandavit quod in posterum non confirmentur peculiares et extraordinariae facultates, alias concessae et concedi solitae ad tempus Archiepiscopis, Episcopis et Missionum Praefectis nisi, exhibitis recentioribus decretis earumdem concessionum seu confirmationum.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

CONCORDIEN.

MATRIMONII

Die 29 Augusti 189i.

Sess. 24 cap. 3 De reform, matr.

COMPENDIUM FACTI. Coniugale foedus die 23 Octobris-an. 1881 solemni ritu ecclesiastico tantum celebrarunt Ioseph Pius Muzzin viduus, et Puella Maria Angela Martin,, ambo Dioecesis Concordiae : ritu ecclesiastico tantum inquam quia civiliter non contraxerunt. Sponsa iam a plurimis mensibus ante celebrationem matrimonii incoeperat timere ne Ioseph Muzzin impotens esset ad coeundum, eo quod audierat primam uxorem Iosephi Muzzin lamentari eius maritum esse impotentem. Quod vero timebat accidit. Nam prima nocte Muzzin omnia fecit tentamina consummandi causa matrimonium cum actrice Maria Angela, sed frustra. Maria hoc videns indignata ei dixit: ergo verum est te impoteniem esse! et curnam taliter me tradidisti? Et sponsus respondit : res nunc perfecta est ; et remedium non suppetit. Alia autem vice a sponsa redarguitus ait : si non es contenta elige, secreto, alium tibi bene visum hominem, qui te contentam reddat.

Sequentibus diebus, et noctibus per quinquaginta quinque circiter dies ambo hi sponsi consummationi matrimonii operam dederunt, semper vero inutiliter. Omnes adstantes et vicini admirabantur Mariam gravi animi perturbatione comprehensam. Id tandem ipsa manifestavit parentibus qui ad lares paternos illam revocarunt. Votis parentum consentit Maria, et libenter maritum deseruit. Volens autem esse mater ad curiam episcopalem Concordiae recursum habuit, quae postquam omnia acta processus ad tramites iuris confecerit, omniaque alia viderit ac perpenderit, sententiam edidit in

favorem matrimonii, eius validitatem declarans. Actrix ad S. Sedem appellavit. Transmissa ideo fuerunt ad S. Congregationem C. acta processualia.

Disceptatio Synoptica

VOTUM CANONISTAE. Imprimis animadvertatur existimo, ait Consultor, quod iudex delegatus curiae episcopalis Concordiae sententiam hanc edidit: iudico non existere impotentiam viri, et ideo indissolubile retinendum esse eiusmodi matrimonium.

Post hanc sententiam Episcopus eiusdem Dioecesis in sacra pastorali visitatione paroeciae Tiezzo, ubi natus est et moratur Ioseph Muzzin, die 20 Martii 1886 recepit extraiudicialiter confessionem eiusdem Iosephi coram testibus dicentis: ad protuendam propriam conscientiam declarare impotentiam fuisse ad actum coniugale, et adhuc superesse, nedum relativam sed absolutam ; quoad primam et secundam uxorem. Declarationem hanc iterum fecit sub iuramento coram oeconomo spirituali suae paroeciae.

Hisce praemissis, prosequitur Consultor, etsi ex inspectionibus videatur non existere impotentiam in Iosepho Muzzin, imo videatur eius matrimonium cum actrice esse consummatum; nihilominus ex omnibus simul depositionibus, et adiunctis extraiudicialibus et coniecturis contrarium satis deprehenditur: consequenter stat dicta impotentia.

Prima huius thesis pars evidentissime patet legenti depositiones quinque doctorum in arte medica,' qui iuridice inspexerunt partes genitales Iosephi. Hi uno ore, praemisso iuramento , affirmarunt: Iosephum praeditum esse sana et valida constitutione eiusque genitalia esse perfecta.

Obstetrices, quae corpus actricis inspexerunt sub sanctitate iuramenti deposuerunt: hymenem sponsae esse omnino deletum ita ut retineri possit matrimonium iam esse consummatum. Quamobrem ex inspectiönibus videtur non existere talis impotentia in Iosepho, imo eius matrimonium esse consummatum.

At ex omnibus aliis simul complexis in tabulis processualibus contentis et ex adiunctis extraiudicialibus et coniecturis, antecedens, absoluta et perpetua viri in themate impotentia coeundi satis deprehenditur.

Neminem fallit quod in hisce diiudicandis causis criterium non debet efformari ex uno vel ex altero actu, vel facto, vel dicto separatim sumptis, sed ex complexu omnium, quae in tabulis processualibus habentur, et ex animo quantum fieri poterit, quo testes et ipsi coniuges locuti sunt.

Revera solae inspectiones nil certo concludunt, cum sint omnino fallaces. Ipsi enim doctores in arte medica, postquam affìrmaverint genitalia viri esse perfecta, illico adiiciunt: de eius habilitate diiudicari nequit, quia adesse potest frigiditas aut deficientia eroticae sensibilitatis.

Pariter plures poscunt esse causae deflorationis in muliere, et plure? occasiones in muliere iuvene prolabendi in peccatum, praesertim, tempore, quo cum tali marito cohabitat, quamvis maritus ipse cum ea coire non possit. Angela Maria seu actrix ipsa revelavit stuprationes in se factas propriis manibus, et per manus ipsius sui mariti; et forte noluit prodere seipsam f atendo, commercium habuisse cum alio homine, animata a marito qui mulieri facultatem dedit alium habendi virum, dummodo e domo sua non discederet. Insuper obstetrices ex defectu hymenis in actrice credunt posse cum certitudine concludi quod eius matrimonium cum Muzzin fuerit consummatum. At eas fallit huiusmodi opinio: iuxta ea quae de hymene tradunt in arte medica, et chirurgica periti; Barzellotti *Oper, medie, legal, lib. 1 § 28*- Zacch. *lib. 4 tit. 2 qic. 1 n. 15:* et Mataxa in suo opere *Arte anathomica:* item Kenke in sua *Medie. iudiciaL § 176.*

Similiter alia singula separatim sumpta nequeunt pro certo concludere quoad talem impotentiam, et inconsummationem, uti nemo non videt. Attendendus est itaque complexus omnium depositionum, et adiunctorum, et coniecturarum ac praesumptionum, quae habentur in casu.

Et imprimis habemus quod maritus deposuit, matrimonium non explevisse, etsi id perficere pluries tentavisset. Similiter omnes testes maxime commendarunt bonitatem Angelae Mariae, et simul unanimiter deposuerunt, eidem plenam prae^ standam esse fidem. Audiamus nunc quid sub sanctitate iuramenti eadem actrix deposuit. Interrogata a Iudice respondit : quoties tentata fuerit matrimonii consummatio, saltem vicies per totum tempus, quo cum viro permansi, semper frustra actum esse mariti defectu.

Haec Actricis depositio perfecte respondet confessioni eiusdem Iosephi. Habemus itaque confessionem iuratam utriusque coniugis de impotentia, et de inconsummatione matrimonii iuxta *Cap. Laudabilem de frigid, et malefic.* habemus etiam quod Actrix statim reclamaverit iuxta *Cap. Accepisti de frigid, et malef.* Hisce adiungitur, quod nullum aliud motivum habuit Angela Maria, seu Actrix discedendi a marito : apud quem ab omnibus diligebatur. Adde etiam, quod maritus, ne uxor a se discederet ter proposuit, etiam coram matre actricis, ut haberet commercium cum alio viro. At si hic, seu Ioseph fuisset potens ad coeundum, nunquam profecto fecisset talem propositionem suae uxori, imo sola suspicio infidelitatis ira et furore in uxorem suam eum' succensisset. Ex confessione igitur utriusque coniugis, et ex dictis adiunctis clare concluditur impotentia Iosephi, consequenter inconsummatio eius matrimonii.

Huic utriusque coniugis confessioni additur septima manus propinquorum, et vicinorum. His igitur depositionibus testium septimae manus consideratis, et praedicta iurata amborum coniugum confessione cum notatis adiunctis merito in themate militat ius *Cap. Laudabilem de f ri g. et malefic. Si autem* quod numquam se invicem *cognoverint ambo fatentur* cum septima manu propinquorum vel vicinorum bonae famae, si propinqui defuerint* lactis sacrosanctis evangeliis* uterque iureiurando dicat* quod numquam per carnis copulam una caro effecti fuissent* et tunc videtur quod mulier valeat ad secundas nuptias convolare.*

Haec Iosephi Muzzin impotentia est ANTECEDENS. Ipsemet confessus est fuisse impotentem etiam cum prima sua uxore. Confirmarunt Antonia del Bianco mater primae uxoris Iosephi Muzzin, et pater dictae primae uxoris eiusdem Iosephi iureiurando confirmavit. Sic etiam Maria Calderan et alii. Nequit igitur dubitari quod haec Iosephi Muzzin impotentia fuerit antecedens relate ad secundum matrimonium cum actrice.

Est ABSOLUTA ; nam experimentum fecit cum duabus mulieribus, sed semper frustra. Est PERPETUA, cum neque remedia ei profuerint, ut ipsemet Ioseph Muzzin testatur. Quod si Muzzin in florida aetate annorum triginta quinque, non obstantibus opportunis remediis adhibitis, mansit impotens; potest cum morali certitudine affirmari, quod progressu aetatis suae futurus erit semper talis seu impotens. Quae cum ita sint indubitanter concludendum restat, matrimonium inter Angelam Mariam actricem, et Iosephum Muzzin esse nullum.

Non est autem novum, quod in ispectione mulier inventa sit corrupta, et eius matrimonium non fuerit a viro suo consummatum : aliae huiusmodi generis extiterunt causae, et hic Sacer Ordo sententiam edidit vel pro nullitate matrimonii, vel pro dispensatione matrimonii rati et non consummati, sicut in una *Corduben, Dispensationis matrimonii 20 Septembris 1760; Neapolitana Dispensationis matrimonii 15 Sept. 1827,* et alia *Neapolitana nullitatis, seu Dispensationis matrimonii 5 Iulii 1862.*

Ne longius tandem abeam, iterum animadvertatur velim, quod cum in themate, praeter iuratam coniugum confessio^ nem, roboratam a septimae manus testimonio pariter iurato, alia non desint adminicula, quae moralem pariunt certitudinem de non consummatione, prout sunt confessiones extraiudiciales a coniugibus emissae ante separationem; conclamationes mulieris, paucos post dies a matrimonii celebratione, et recursus ad parochum, confessio viri eidem parocho facta: malae suggestiones uxori a viro propositae ne ipsa

eum relinqueret: factum separationis ob viri ineptitudinern ad copulam: depositiones parentum primae eiusdem Muzzin uxoris. Quae omnia si attente perpendantur, non modo revelant matrimonium consummatum non fuisse, verum etiam omnem inter coniuges collusionem excludunt.

VOTUM THEOLOGI. Matrimonium in themate, ait iste, nulliter fuisse initum impedimento impotentiae, ex parte viri, peritia medicorum non obscure demonstrat. Etenim ex iure naturali et positivo impotentiae defectus nullum facit matrimonium. Obiectum enim coniugii est generatio prolis; si natura vel virum vel mulierem inhabilem ad prolem generandam effecit, ita ut maritalis copula haberi numquam potuerit, divortio per auctoritatem ecclesiae iis uti permittatur. Ita statutum est in iure *cap. Fraternitatis, tit. De frigid, et maleficiaos* et a Concilio Tridentino confirmatum. Impotentia laborat Ioseph Muzzin coeundi ; nullum igitur fuit matrimonium quod cum Maria Martin inivit. Peritia medicorum non obscure huiusmodi impotentiam declaravit. Praemittenda aliqua censuit Theologus, ut peritia medicorum sine ulla aequivocatione intelligatur.

Impotentia definitur inhabilitas ad habendam copulam carnalem perfectam, talem , quae fit per feminae vasis penetrationem et seminis in id effusionem. Ita docent Sánchez *lib. 7, Disput. 92. n. 7** Pirhing *h. t. n. 1,* cum comuni canonistarum sententia. Huiusmodi inhabilitas est vel naturalis seu intrinseca, vel accidentalis seu extrinseca. Illa ex naturae defectu, altera ex opera hominis provenit. Reiffenstuel *Ius. can. tom. IV in lib. decr. tit. XV De frig. et malefic*. Verum impotentia perpetua sive naturalis sive accidentalis quae absque mortis periculo, nec per media licita tolli potest, dirimit matrimonium, dummodo impotentia antecedens sit ; nec non absoluta scilicet quae respectu omnium alterius sexus personarum datur: non vero temporalis et subsequens. Impotentia vero respectiva non inducit impedimentum respectu omnium personarum, sed illius personae cum qua nequit copulari *cap. Fraternitatis 6, h. tit.* Sententia isthaec commuiiissima est apud canonistas.

Quomodo dignoscenda huiusmodi impotentia? 1. Ex peritia medicorum, 2. experientia triennali, 3. confessione coniugum, iuramento firmata, cum attestationibus fide dignissimis. - In hoc paragrapho de primo et secundo medio loquimur applicatis in casu. Iudex delegatus paupertate sponsorum medicos et obstetrices nosocomii civilis Portus Romatini •rogavit ut corpora sponsorum inspicerent, atque referrent. Pro parte viri omnes medici conveniunt, partem genitalem parvam esse et perfectam, nec apparere exterius aliquid deordinatum, et ideo aptum copulae videri nisi adsit frigi«ditas et deficientia eroticae sensibilitatis. Praeterea quamvis medici in iudicio differre aliquo modo videantur, omnes conveniunt esse Iosephum in actu impotentem. Dubium sane est si perpetua sit et incurabilis huiusmodi impotentia. Medici nesciebant quod testes deposuerunt, scilicet, Iosephum medelas adhibuisse ad corroborandam suam debilitatem, et nihil ipsi profuisse.

Verum medici cum inter se concordes sint in definiendo impotentiam Iosephi et in assignando causam inhabilitatis coeundi, unanimiter affirma at, Iosephum esse semihebetem. Status semihebetudinis non est nisi signum Rigiditatis, ut communiter physiologi docent. Onanismus debilitatem organismi generativi producit, sed deficientiae spirituum causa ^omnino occulta remanet.

Posito evidenti facto quod Iosephus coire non valebat, -etsi pars generativa externe appareret perfecta, nulla alia ratio poterat assignari nisi frigiditas, cuius signum semihebetudo est certissimum, vel carentia sensibilitatis eroticae; frigiditas nec haereditatur, nec procuratur, sed in constitutione naturali individui sita est. Sed posito quod ipsemet Iosephus confessus abusum fuisse onanismo, frigiditatem debilitate partis non posse unquam relevare dicendum opinor. Si in trigesimo quinto aetatis suae anno impotens est coeundi, quid erit labentibus annis? Et quidem nullam invenit mulierem quae civiles nuptias inire cum ipso vellet, ut -episcopus ipse testatur.

In iure scriptum invenitur *cap. Laudabilem ex decretali Coelestini IV et cap. Requisisti* quod a tempore celebrati coniugii si frigiditas prius probari non posset cohabitent per triennium. Non solum frigiditas Iosephi probata, est sicut hactenus diximus ex testimoniis medicorum; ipsi enim impotentiam admittunt, quamvis, excepto primo perito, spem languidam praebeant fore, remotis causis et adhibitis medelis, forsitan ut erigatur; sed etiam per triennalem cohabitationem cum prima muliere patuit eius impotentia cum morte uxoris suae, ut ipsemet confessus est. Salmanticenses perpetuam opinantur esse frigiditatem *(tom. IL Tract. IX* cap. XII).*

Verum in casu impotentia certissima est; dubitatur an possit sanari. Medici sustinent probabilius non posse. Est igitur huiusmodi impotentia perpetua vel temporalis? Si huiusmodi inhabilitas fuisset temporalis probabilitas maior esset pro recuperando calore; sed cum sit e contra, et spes-recuperandi potentiam quasi nulla est, dicendum opinor standum esse pro perpetuitate defectus.

Et quidem Ioseph, quamvis causas debilitatis moraliter impossibile est removeat, quia habitus in naturam convertitur, per annum usus est medelis et causas removit antequam in sponsam duceret Mariam Martin, ipse enim evulgatam famam suae impotentiae disperdere conabatur ; praesertim cum de huiusmodi defectu suo tam a Miria, quam a matre eiusdem interrogaretur; cum vero nihil ei profuisset, et alteram sponsam sibi unire non potuisset, ubi fundatur spes medicorum quamvis languida?

Sed consideranda sunt verba mulieris ingenue deponentis « alquanto eccitata, > hoc accidit in omnibus frigidis, et talis excitatio inutilis est, inferri enim nequit in mulieris vaginam. Pueri etiam debilissima alteratione carnis laborant, quae impossibilem coitum habere evidenter manifestatur.

Quid autem dicendum de defloratione mulieris? Sponsus, deponit quod *forsitan,* bis consummaverit matrimonium; mulier negat. Cui credendum? Illa minima excitatio, de qua

-testata fuit mulier, Ioseph semihebes definitus a medicis, quod fuisset consummatio opinatus est. Inspectionem corporalem mulieris ab obstetricibus factam in testimonium •veritatis revocemus oportet. Unanimiter obstetrices deponunt liymenem dilaceratum esse; ita ut matrimonium consummatum dici possit; eoquod haec dilaceratio fieri non potuerit neque digitis eius, neque mariti.

Sed e contra Maria Martin iuramento deposuit virum suum digitis eam déflorasse magno cum partis dolore. Ex depositionibus tam viri, quam mulieris habetur quod Ioseph periculis incontinentiae Mariam exposuit. Stimulis concupiscientiae agitata commorans cum viro suo, et ab ipso impulsa ad coeundum cum alio homine, probabilissime videtur, ipsam defloratam fuisse ; et forsan ab eo, cui desponsata fuit civili connubio.

Verum ab Episcopo interrogatus doctor Martelli an defloratio virginis tribuenda sit exclusive operi maritali vel •cuicumque causae illam efficienti, respondit posse aliam causam, praeter coitum , hymenem lacerare reliquiasque eius -disperdere.

Idem medicus testatur, Mariam Martin ex civili coniugio post annum fuisse praegnantem anno 1886, nam ipsa "tulit sibi virum anno 1885. Si fuisset Ioseph habilis iam sponsa concepisset. Sponsus, ait bis, consumasse matrimonium, hoc satis erat ut gravidam faceret mulierem suam. Hoc etiam valet pro argumento ad refutandam opinionem inspe•ctricium supra relatam. Si enim coitus maritalis interfuisset, Maria Martin saltem indicium dedisset suae gravidantiae, facta praegnans a Iosepho.

Depositionibus coniugum et testium evidenter apparet nullitas matrimonii in themate; etenim in quaestionibus impotentiae sponsi potiores testes sunt, quando ingenua eorum •confessio manifestatur. Mihi confessio sponsae, quam in primis reperimus, ingenuissima videtur. Ipsa laudat familiam viri sui, et dilectionem qua eam prosequebatur idem sponsus. Deponit quod antequam matrimonium cum Iosepho

Muzzin iniret a suo consobrino notitiam accepit de frigiditate Iosephi, et a sua conmatre, et ipsa domi rediens genitricem suam admonuit de huiusmodi re.

Deponit, virum suum consensum dedisse ut examinaretur a medicis. Si Maria quadam sagacitate, vel potius calliditate potiretur, haec verba non protulisset, quia demonstrant convinctionem sponsi suae habilitatis ad matrimonium. Verumtamen nunquam ad factum ultronei examinis sponsus processit. Imo et verbis, quae coram sponsa pronuntiavit suasio opposita deducitur; ait enim non petere vi aut metu, et quando connubium ipsi esset a Maria denegatum famulam, pro sua, domo advocaret, non aliam sponsam duceret. Si vere habilis esset ad coeundum statim ac sponsae eiusque matris obiurgationes adversus decorem suae conditionis acciperet, illico sponsam reliquisset.

Confitebatur igitur impotentiam suam antecedentem. Mirum non est si tetigerit suam sponsam Ioseph manibus suis r quia etiamsi frigidus, a concupiscentia tamen immunis non erat. Impetu passionis igitur tam vehementer eam tetigit ut hymenem eius deleverit. Concordat circumstantia huiusmodi cum opinione medici doctoris Martelli in antecedenti paragrapho relata, explicatque deflorationem mulieris. Ioseph quasi famulam suam retinere cupiebat Mariam Martin, nam ei obtulit consilium coeundi cum alio viro, ut ipsa sponsa confessa est, et ut paulo post ipse sponsus confirmavit.

Sed et depositionem sponsi audiamus; cum prima uxore ait, credo me consummavisse matrimonium, sed asserere nequeo. Si consummasset, conscientiam haberet de consummatione. Sed prima eius mulier parentibus suis dixit, sicut ipsi iureiurando deposuerunt: maritum suum omnino ineptum esse ad coeundum dum lamentabatur prima sua mulier stomacho laborare. Sed causa latens erat pollutio continua mulieris ope digitorum viri unde sanguinis effluxus ad partem superiorem corporis ducebatur, unde irritatio uteri communicabatur stomacho, et sanguis qui generationi deservit totam pulmonum compaginem compenetrans vasa expiratoria

clausit, per emocthisim effluxit foras ab ore, et feminam interemit.

Deinde sponsus narrat ea quae praecesserunt matrimonium cum Maria Angela Martin, et quae narrat perfecte congruunt cum depositione suae sponsae. Confirmat sponsus confessionem suae impotentiae cum prima sua uxore.

Ipsemet sponsus iureiurando testificatus fuit de bonis moribus uxoris suae, et declaravit eam amare, quamvis sit procul ab ea. Evidenter igitur patet, nullam fuisse causam separationis nisi viri impotentiam. Denique sponte Ioseph confessus est inhabilitatem suam coram parocho multo post iudiciariam depositionem.

Eminentissimi Patres, certitudo moralis non physica comitetur oportet criterium iudicis. Probationes adductae opinor sufficere ad producendam in mente moralem certitudinem. Quid fiet de muliere, quae iam illaqueata vivet concubinatus vinculis sub sanctione legis iniquae coram civili magistratu connubio contracto? Si vere, ut Ioseph impotentia laborat antecedente et absoluta, dignemini facilem-sponsae aperire viam ad ecclesiastici celebrationem matrimonii.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Maria Martin, in aetate annorum 22 constituta, Iosepho Pio Muzzin, 33 annos nato, die 23 Octobris 1881, servata sacrosancti concilii tridentini forma, nupsit: sed post quam quinquaginta circiter dies cum viro cohabitaverat, eum ad maritale opus ineptum proclamavit eique valedixit.

Die vero 13 Decembris 1882 ab episcopali curia matrimonium irritum renuntiari petiit: at infausto prorsus omine. Etenim neque concordiensis, neque alius quilibet iudex irritum declarare potest, matrimonium ob assertam viri impotentiam, cum ex quinque artis salutaris cultoribus, qui corpus Iosephi recognoverunt, quatuor PERPETUITATEM sin minus obiectae impotentiae certam haud habeant.

Lectissimus consultor theologus existimat quatuor praefatos medicos sanabilem Iosephi impotentiam adhuc sperare, quia nesciunt Iosephum medelas ad corroborandam suam

debilitatem incassum adhibuisse, teste Maria. Hoc ne sufficit ut censeatur insanabilis morbus? Quid quod Iosephus vel ab ipsa resipiscentia salutem sperare potest?

Nec confugias ad dispensationem super matrimonio *rato.* Praeterquam quod enim Maria hoc minime postulavit, eidem refragatur obstetricum testimonium quae uno vel ore referunt hymenem deletum esse, et tactus digitorum assertos non potuisse eiusmodi efficere deletionem.

Quaecunque autem suspicio abest, ne Maria per adulteria virginitatis iacturam fecerit. Nam bonos eius mores testes omnes commendant, quos inter Angela Villalta Calderan, quae actricem a sacro fonte levavit.

Eximii consultores theologus et canonista confidunt in coniugum confessione, *septimae manus* iuramento firmata. Non tamen advertunt, a veritate, tum coniuges cum *septimae manus testes,* quandoque aberrare. Mitto Iosephum, qui, nescio qua fide ductus, magna voce et bonis lateribus suam impotentiam suadere contendit, postquam in iudicio et extra iudicium testatus erat se plus semel cum Maria coivisse.

Maria ut sponsum impotentem declaret, retulit Iosephum sibi induisisse alium benevisum sibi assumere virum . . . . et hoc dixisse coram Dominico Villalta, propria matre et Petro Moras. Iam vero Petrus Moras iurat haec non audivisse verba.

Et quoniam sermo est de Petro Moras, videte, quanta ingenuitate narret iste veri haud similia : quando perrexi ad petendam Mariam Angelam, eius pater mihi respondit, contentum esse, eamdem dare in uxorem Iosepho, dummodo ipse sanus esset et matrimonio habilis.

Ecquis credet, actricis patrem, rudem hominem, rem ad praesentem controversiam apprime accommodatam, etsi cogitatu haud facilem, in mente volutasse et de ea sermonem cum fabro terrario habuisse, prima vice qua de Iosepho Muzzin loqui audivit?

Concludam: iudicium et testimonium peritorum ac obstetricum cum adversa actione e diametro pugnant. Con-

fessio vero coniugum, et testium *sep ti mae manus* dicta caecis oculis excipi nequeunt.

Hisce praemissis, duo sequentia proposita fuerunt diluenda.

Dubia

I. *An constet de matrimonii nullitate in casu:*

Et quatenus negative

II. *An sit consulendum SSmo. pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Congr. re disceptata sub die 29 Augusti 1891 censuit respondere: Ad I *Providebitur in secundo.* Ad II. *Affirmative, vetito* viro transitu ad alias nuptias, inconsulta sacra Congregatione.*

ROMANA

COMPENSATIONIS

Die 12 Septembris 1891.

Sess. 25 cap. 1 De ref.

COMPENDIUM FACTI. Volvente anno 1716, sacerdos Ioannes Angelus Magnoni, oppidi Cannara, assisiensis Dioecesis, quo decessit elogio, variis piis legatis institutis, haeredem suum dixit capitulum et canonicos S. Eustachii, *pro tempore.* Romae, ea indicta lege, ut ex integra haereditate erigi deberet praebenda canonicalis in dicta Collegiata S. Eustachii sub nomine canonicatus Magnoni. Pius testator ius sibi reservavit prima vice nominandi canonicum: in posterum eustachiano Capitulo idem nominandi ius delegavit. Modo hanc canonicalem praebendam a pluribus annis obtinet sacerdos Aloysius Ciocchetti, qui circa finem praeterlapsi anni, asserens varias impensas sustinere debuisse pro conservatione iurium et libertate beneficii, ad summam usque libellarum mille supra centum pertingentes, e re sua

duxit S. C. C. postulare, ut sui favore, et super beneficio ab se detento pecuniae illius restitutio decerneretur. Vacante diaconia SS. Eustachii et Sociorum Martyrum, rogatus fuit Emus Cardinalis in urbe Vicarius, ut audito capitulo, animi sui sensum hoc super negotio aperire dignaretur. Emus Vicarius, morem gerens, votum capituli, canonico Ciocchetti haud favorabile transmisit, atque considerans nullum afferri probationis argumentum neque ex parte sacerdotis instantis, neque ex parte capituli, opinionem suam pandidit, « ut singula iura elucidentur atque ita iustitiae locus fiat. »

Disceptatio synoptica

QUAE FAVENT PETITIONI. Prae primis orator commemorat, tralatitium in iure esse ecclesiastici beneficii possessorem usufructuario aequiparari, quare ut hic, non tenetur ille ad expensas quae simplicem et ordinariam administrationem excedunt. Boulant. *De peculio clericorum. Leg. 3 proel. 2* ff. de us u fructus;* eo magis in themate in quo illiusmodi expensae conservationem, iura, atque libertatem beneficii respexisse dicuntur. Hisce in iure praemissis, orator narrat in facto labente anno 1869 quaestionem coram Sacro Ordine ortam fuisse super turno chorali iuxta respectivam anxianitatem possessionis canonicorum et beneficiatorum, sacerdoti Aloysio opus fuisse sui canonicatus iura defendere, et inde sustinere sumptus, qui ad summam libellarum octoginta super octo conscenderunt. Sic pariter anno 1865 orta lis est super praecedentia aliisque iuribus canonicalibus; instanti sacerdoti opus fuit iudiciali contentione adsistere in gradu quoque appellationis protractae, et inde expensas iudiciales sustinere, quae, comprehensis defensorum honorariis, summam attigerunt libellarum biscentum et quinquaginta. Anno 1879, prosequitur orator, canonicus Magnoni, ne in poenas incideret ab institutore beneficii contra negligentes indictas, coactus fuit contra Eustachianum Capitulum iudicialiter agere, ab eoque summas ad canonicatum Magnoni

pertinentes repetere. Causa acriter disputata coram Sacra Ordine in *Romana reintegrationis diei 21 Iunii 1879,* refert debuisse de propria pecunia solvere non minus quam libellas nonaginta et octo.

Ex lege fundationis canonicatus de quo agitur in canonicalis praebendae augmentum cedere debent: 1. tertia pars redituum vacantis beneficii: 2. tertia pars proventuum durante beneficiarii absentia, ob quamcumque causam. Iamvero, die 11 Augusti anni 1873, sacerdos Ciocchetti petiit utrumque ab eius in beneficio antecessore Episcopo Valenziani,. qui Sacratissimo Principi supplici porrecto libello, absolutionem seu sanatoriam efflagitavit. Re ex decreto Sacri Ordinis diei 20 Decembris illius anni per compositionem absoluta, hodie sacerdos Aloysius expensarum reintegrationem expostulat in summa libellarum quatuorcentum et quinquaginta.

Narrat tandem sacerdotis Aloysii patronus, eum fuisse anno 1883 coram civili magistratu conventum ab adserto quodam beneficii Magnoni patrono passivo, ut ei. traderetur medietas saltem canonicatus, de quo actor petierat « lo svincolo » prout de indole et qualitate laicali. Res in longum cessit: in vim tandem praescriptionis regii Ministerii, quod audiunt « di Grazia, Giustizia e dei Culti » ecclesiastica beneficii natura confirmata, ac declarato proinde canonicatu immune a suppressione; approbatio negata fuit actioni vindicationis canonicatus eiusdem, favore cuiusdam Brunamonti. Verum, negocium coram auctoritatibus tam iudicialibus, quam administrativis per procuratores pertractatum, expensas attulisse permultas asserit, et harum redintegrationem quoque postulat actualis beneficii. Magnoni possessor in summa libellarum biscentum quindecim.

Ex hisce omnibus, concludit orator, prono veluti alveo fluere, instantem sacerdotem esse redintegrandam de omnibus-superius allatis expensis vel ad conservationem beneficii, vel ad sustinenda iura canonicatus Magnoni peractis, quaeque in complexum vim attingere affirmât libellarum mille ultra centum, prout ex documentis in actis exhibitis evinci au-

tumat. Adiicitur , contra petitionem possessoris beneficii, Magnoni non existere contradictorem. Etenim capitulum eustachianum ab Emo Urbis Vicario uti iam dictum est, lioc super negocio interpellatum, in sua responsione, licet .erga sacerdotem Oioccbetti se infensum praebuerit, declaravit iamen, se esse « quasi estraneo a quelle vertenze. » Hisce tamen neglectis, orator, capituli animadversiones contra sacerdotis Aloysii petitionem nullius roboris esse autumat. Advertit prae primis, nil illius intentioni officere si sero nihiis ius ad repetendas expensas, de quibus agitur, expertus est; illud siquidem in terminis a iure praefinitis non erat praescriptum, poterat proinde semper et quandocumque ei Iuberet praedictuum ius exercere. Neque vero, ex adversa fortuna iudicii redintegrationis anno 1879 peracti, metienda •sunt necessitas vel utilitas iudicium illud instaurandi ad effectum hodie negandi expensarum refectionem: etenim quolibet in casu providentia et prudentia beneficii suadebant •cautum et vigilantem esse in ipsius iuribus servandis et vindicandis, ne in poenas praesertim incideret contra negligentes a canonicatus institutore indictas.

Ad expensas tandem quod attinet pro beneficii libertate et conservatione peractas, quidquid sit de opinione eusta-chiani Capituli, nuper pandita, super indole et qualitate -canonicatus, advertendum, ait orator, huius possessorem conventum fuisse coram civili magistratu ab adserto quodam patrono passivo, ius inde et debitum habuisse se defendendi et beneficii libertatem vindicandi. Rem autem conficit, quod interposita auctoritas sacerdotis Ciocchetti intentioni favere declaravit, et canonicatum confirmavit a suppressione immunem.

QUAE PETITIONI ADVERSANTUR. Verumtamen e contra, adversus canonici Ciocchetti petitionem, nonnulla tum in facto, cum in iure animadverti possent. Ac in primis monendum duco Eustachianum Capitulum, licet in praesenti quaestione haud se immisceat cum interesse non habeat quoad praebendae bona, quae possessor canonicatus Magnoni

seorsim a mensa capitulari administrat, attamen ab Emo» Card. Urbis Vicario de mandato S. O. G. interrogatum, precibus canonici Ciocchetti votum prorsus contrarium emisisse. Miratur enim in primis pecuniae redditionem post plures annos postulari, et modo tantam cum, postremo tempore capitulari coetu penitus renovato, omnes illi defecerint qui de asserto legitimo expensarum iure, nec non de quibusdam facti circumstantiis congruenter aliquid referre potuissent.

Deinde vero verba canonici Ciocchetti singillatim expendens, negat ex pluribus iudicialibus causis ab ipso instructis aliquam utilitatem canonicali praebendas obvenisse vel obvenire potuisse; sive quia necessariae haud apparebant, sive quia solidis rationum momentis destituebantur. Nominatim vero adnotat in causa coram S. C. C. agitata anno 1879 contra capitulum, petitionem praefati canonici ad redintegrationem obtinendam, fuisse duplici conformi sententia, addita etiam clausula *et amplius,* penitus exclusam. Demum quoad expensas quas a se factas, ait, pro servando beneficio a fìsci latrociniis, autumat capitulum illarum necessitatem haud esse perspectam. Subdit enim: pertinebat ad capitulum patronum facere oppositionem « *svincolo* »; minime ad investitum, qui si proprio arbitrio inutiles fecit expensas, nunc tolerandae eidem sunt consequentiae. Capitulum vero, cui nunc primo nota fit quaestio haec, censet, facili de modo probari potuisse naturam ecclesiasticam Praebendae Magnoni, absque iuris consultorum extraneorum opera, absque expensis, et super omnia, absque praebendae detrimento.

In puncto autem iuris observandum esse hic agi de imminutione dotis beneficii, ac proinde de ea re quae utpote iuris odium habens, concedi non solet nisi graves et probatissimae extent rationes. Ast cum canonicus Ciocchetti, cui, utpote asserenti, onus probandi incumbit, petitionem S. C. obtulerit, ut scribit emus Cardinalis Urbis vicarius, « quin aliquid probet, > locum esse videretur dispositioni iuris in *cap. 2 De solutionibus: «* ad solutionem talium debitorum

ecclesias non teneri: » et iis quae decernit Innocentius *c. 4 De ficleius.:* « non teneatur conventus pro his aliquatenus respondere; nisi forte in utilitatem domus ipsius manifeste constiterit redundasse. » Et sane cum huiusmodi expensarum refectio alienationi bonorum beneficii aequiparari debeat, consequitur , praeter beneplacitum apostolicum, Ecclesiae necessitatem vel utilitatem requiri, quarum neutra iuxta verba Emi Vicarii et relata a capitulo, demonstrata videtur.

Verum dato etiam quod sumptuum, quos fecit canonicus Ciocchetti necessitas et utilitas in vado posita appareret, uon exinde forsan deducere fas esset, illum posse pecuniae summas a se solutas repetere. Docet enim Sancti, innixus cuidam resolutioni S. C. Episcoporum et Regularium *diei* 28 *Aprilis 1865** quod « in praxi servatur norma superius posita, ita nempe, ut gravare censeantur ipsum beneficium et per consequens etiam successores solummodo ea debita quae contracta fuerint cum solemnitatibus iuris. » *Praelect. lib. III tit. De solut.* Cum itaque canonicus Ciocchetti omnia proprio marte egerit, videretur non posse cum damno beneficii •et successorum expensarum refectionem modo obtinere.

Hisce adductis propositum fuit diluendum

Dubium

An et in qua summa constet de credito canonici Ciocchetti ita ut locus sit eiusdem redintegratam super bonis beneficialibus in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, recognita, sub die 12 Septembris 1891 censuit respondere: *Negative in omnibus et amplius.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Nisi gravissimae adsint causae, concedi non solere dotis beneficiorum imminutionem ; id enim habet odium iuris.

II. Ecclesiam non teneri ad solutionem debitorum, et ad refectionem expensarum, nisi evictum fuerit easdem fuisse utiles et necessarias, et praecessisse beneplacitum apostolicum.

III. In themate quum demonstrata non fuerit utilitas et necessitas expensarum, quarum exposcitur refectio, neque praecesserit ad id beneplacitum apostolicum, merito petitio excepta non fuit.

LEODIEN.

MATRIMONII

Die 12 Septembris 1891.

Sess. 21 cap. 1 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Die 14 Septembris 1871, in Leodiensi Dioecesi, Ioannes Baptista Gervais et Antonia Halkin, coram parocho et testibus, servata forma a Tridentino statuta, matrimonium contraxerunt ; vir quidem, quia mulierem certo diligebat, mulier autem, quia dote destituta, virum opibus satis sufficientibus affluentem, agnoscebat.

Circiter post annum, quo tempore fere quotidie maritalibus officiis operam dederunt, mulier virum dereliquit ob familiaria iurgia et contentiones. At post duos menses, restituta concordia, iterum maritaliter, ut prius, vivere coeperunt, donec, renovatis iurgiis, vir ipse mulierem deseruit; quod accidit sexto circiter post reconciliationem, mense.

Ita peracta secunda separatione, vir cum alia femina cohabitare coepit, et quidem ita manifeste, ut rem agnosceret Antonia Halkin, quae proinde divortium petiit a civili, Gubernio, ex capite adulterii. At quae divortium petiit, diu sine marito esse non posse experientia didicit. Hinc factum est, ut, quindecim transactis a separatione annis, de coniugio coram Ecclesia solvendo cogitaret. Ad hunc effectum Leodiensem Curiam adivit, ut probaret suum matrimonium cum Ioanne Baptista Gervais nullum fuisse ex capite impotentiae ex parte viri.

Rem egit episcopalis Curia; at sententiam tulit contra mulierem, apertissime docens quod neque constaret de non consummatione, neque de causis ad dispensandum. Imo adiun-

xit, quod etsi constaret de non consummatione; dispensatio tamen ut nociva retinenda esset in casu.

Hisce non acquiescens mulier ad hanc Sacram Congregationem appellandum duxit, fieri posse putans, ut id-certo obtineret, quod episcopalis Curia apertissime denegavit. Praesens igitur questio tota in eo est, ut videamus an ex deductis sententia Curiae Leodiensis sit in casu confirmanda vel secus.

Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. Et quidem quod sit omnino confirmanda argumenta omnia conclamant. Nam si sermo sit de impotentia viri, habemus peritos medicos, qui, inspectione peracta, illam vel indubitanter excludunt. Nullum, ait D. Deggeller, certum in viro impotentiae signum reperii: immo, subiungit D. Beblot, neque physice, neque moraliter, certa impotentiae signa apparent. Et licet D. Snijers asserat peractum a se examen etsi canonice sufficiens, completum tamen scientifice non fuisse; tamen et ipse fatetur nulla reperisse in viro impotentiae signa physice aut moraliter certa.

At non solum periti medici, sed ipsa mulier exclusit viri impotentiam, quando civile divortium petiit ex capite adulterii ; adulter enim impotens esse non potest. At, quaeso, quomodo potest mulier, longum post tempus a separatione, virum impotentem dicere, quando talem non agnovit tempore connubii, tum cum fere singulis noctibus conveniebant? Et notandum quod tunc temporis vir exprobravit mulieri quod retinendi seminis capax non esset: et mulier neque negavit, neque causam in viri impotentiam refudit.

Et quidem, ait nunc ingenua mulier, haec non animadverti, quia tunc talia ignorabam. Et quis est qui talia ignorabat? Illa, illa mulier, quae virilis membri necessariam conditionem integre agnoscebat, quaeque virilis congressus modum perfectum vel imperfectum iudicabat : illa talia igno-

rabat, quae, suadente viro-, expeditiorem ad copulam dispositionem vel factibus obtinere studebat, illa demum talia ignorabat, quae nunquam conquesta est de non satisfacía libidine, neque cum viro, neque eum matre, neque cum aliis, etsi familiaribus.

Scio equidem mulierem viri impotentiae causam referre non ad aliquod vitium substantiale et intrinsecum, sed potius ad impedimentum extrinsecum, scilicet ad ramicem, quo virum laborasse contendit. Et mirum, sapientissimi iudices ! Scit hodie mulier virum ramicosum fuisse, cum tamen id poenitus ignoraret quando simul conveniebat. Copulam nunc imperfectam fuisse dicit, eo vel quia viri hernia virile membrum ab ingressu prohibebat. Et tamen interrogata mulier, an in actu copulationis impedimentum hoc animadvertisset, negative respondit. Et quod maius, neque id animadvertit quando factibus in verendis operam dedisse fatetur. Vel igitur mentitur mulier dum asserit se viri herniam poenitus ignorasse ; vel dicendum eam talem fuisse ut maritali copulae non officerei.

Et ita quidem dicendum esse affirmant periti medici : qui inspecta viri hernia, etiam in eo statu auctae ab illo tempore molis; tamen concludunt eam nullimode copulationem impedire potuisse. Si igitur ponatur quaestio - *An constet de impotentia viri in easu ì* - nil aliud responderi posse videtu r quam : - *Negative.* -

Videamus nunc an constet saltem de non consummatione. Ut notum est, non consummatio tribus argumentis evinci potest, scilicet partium iuramento, inspectione corporis mulieris, et testimonio septimae manus. Atqui nullum horum probat in casu matrimonium haud consummatum fuisse. Non quidem partium iuramentum; nam dum mulier iuramento affirmat, veram copulam locum non habuisse; vir e contra eadem iuramenti sanctitate copulam perfectam fuisse contendit. Nil igitur ex tali iuramento concludi posse videtur.

At quid de inspectione corporis mulieris? Uno ore fatentur periti Medici mulieris genitalia in iis conditionibus re-

periri, quae praehabitam copulam nullimode excludant. Et notandum in hac Medicorum depositione, quod ipsi comparativum, ut ita dicam, iudicium protulerunt, scilicet inspectis genitalibus viri et mulieris. Notum est enim fieri aliquando posse ut vir etsi potens cum Caia, talis tamen non appareat cum Titia, idque eo vel magis quando mulier tali arctitudine laborat, et virile membrum talis est magnitudinis, ut congressus impossibilis evadat. Ian vero quod in casu vaginae arctitudo revera admittenda sit ex parte mulieris, acta processus demonstrant; at e contra virile membrum pariter tale fuisse, ex Medicorum iudicio, ut mediam magnitudinem non attingeret, eadem acta, idemque processus conclamant. Ex quo fit ut nulla appareat in casu maritalis congressus impossibilitas.

Hinc quando periti Medici docent mulieris genitalia in eo statu reperiri, qui praehabitam copulam non excludit ; haec verba intelligenda sunt de copula mulieris cum viro suo. Mulier forsan cum alio viro, cuius genitalia non in iisdem reperirentur conditionibus, convenire non potuisset: at cum viro suo plene convenire potuisse dicendum est. Si igitur signa repraesentat quod reapse cum aliquo convenerit; etsi per hoc non probetur cum viro suo convenisse, neque tamen excluditur. Immo , posito matrimonio , posito facto physico copulae quam saepissime habitae, posito quod viri genitalia cum verendis mulieris aptissime conve liant, posito quod mulier veram copulam habuisse manifestet, omnis ratio suadet ut matrimonium in casu revera consummatum fuisse dicamus. Et ita quidem ex illa morali certitudine, quae evidenter ex deductis exurgere dicenda est. Sed quoniam iuridice est nobis procedendum ; hinc, attenta etiam depositione Medici Petithan, qui docet difficile esse asserere, in casu, factum sequutae consummationis; tamen cum hoc factum neque ab ipso, neque ab aliis peritis medicis, certo argumento excludatur, hoc satis omnino est ut ad dubium « *An constet de non consummatione in casui* » responderi possit: *Negative.*

Quod confirmatur ex testimonio septimae manus. Licet -enim ex testimonio septimae manus illud ipsum eruatur quod ex partium iuramento, scilicet vel consummatio, vel non consummatio, iuxta quod testes deponunt vel in favorem viri vel in favorem mulieris; tamen si testium qualitas examinetur, videbimus graviores esse, ideoque praeferendos qui pro viro deponunt, quem quidem ab adolescentia agnoscunt, •cum quo nullam habent suspectam relationem, et de quo "testimonium dicunt quod sit, si non vir bonus, saltem *bonus vir.*

Cum itaque non constet neque de impotentia viri, neque de non consummatione matrimonii; hinc ad dubium:-/1?? *sit confirmanda sententia Curiae Leodiensis in casu?* - respondendum censerem cum praeclarissimo vinculi defensore : - *Affirmative.* -

VOTUM CANONISTAE. Imprimis, ait iste, in actis processus •sequentia non apparent: videlicet Decretum, quo constituuntur Defensor Vinculi, et alii Tribunal ecclesiasticum componentes : Iuramentum eiusdem Defensoris prout praescribitur in Bulla Benedictina: Decretum in singulis sessionibus : Citatio dicti Defensoris in unaquaque sessione : consequenter si revera fuerint omissa, acta processus ad tramites iuris non procederent, ac proinde vitiosa quoad formam. Certum autem est quod inspectio huius mulieris non fuit facta ab obstetricibus et matrona, sed a tribus in arte medicinae peritis separatim. Quoad hoc Episcopus dispensationem peti •cum circumstantiae illius loci, et forsan praeiudicia illarum* personarum haud permittunt ut talis inspectio per obstetrices et matronam fiat.

Hoc ad formam processus: ad valorem eiusdem matrimonii quod attinet dicam : *Non constat de inconsummatione matrimonii in themate.*

In casu nostro praesto est cap. 1. *de frigidis et maleficiatis.* Notentur verba. « *Illa autem si prior post annum, -aut dimidium, ad Episcopum, aut eius missum proclamaverit, dicens, quod non cognovisses eam, tu autem contra-*

riunì affirmas tibi credendum est* eo quod caput es mulieris; quia si proclamare voluit: cur tamdiu tacuit? cito enim* et in parvo tempore scire potuit* si secum coire* ***po-**** *tuisses.* » Actrix pacifice per annum cohabitavit cum marito,, et frequentissime rem uxoriam cum eo habuit; interrogata enim sub sanctitate iuramenti » an debitum coniugale marito reddidisti ? Respondit : « A prima die matrimonii, et, deinde saepissime, quoties id rogaverit, imo quasi singulis diebus. » Ac toto hoc tempore penitus persuasa erat quod maritus vere consummaret matrimonium. Interrogata a Iudice: putabas maritum posse matrimonium consummare? Respondit : ***Ita*** *est* eo tempore id* ***putabam.*** » Imo erat adeo persuasa ut a zelotipia capta traduxerit ad Tribunal civile maritum causa adulterii, .probaverit hoc adulterium, et propter ipsum solutionem vinculi consequuta. Interrogata « An maritus damnatus fuit in foro civili, et separatio decreta fuit unice propter causam adulterii? Respondit : PUTO QUOD-ITA SIT. » interrogata iterum « An tibi animus non fuit etiam invocare causam impotentiae ? Respondit : Nullo modo ». Post septem autem circiter annos a dicta separatione proclamavit, dicens, maritum esse impotentem ad coeundum. Quisquis videt, quam absona sit a recensito iure haec proclamatio. Causa tantae retardationis, ipsa ait, fuit « quia ignorabam quid hoc, consummatio matrimonii, esset. Quomodo potest supponi quod uxor in actis coniugalibus in se non sentiat conatus penis, et non sentiat penem ipsum claustrum virginitatis penetrare, in quo consistit potentia coeundi et consummandi? Si admitteretur haec suppositio, deberemus affirmare quod recensitum ius falsitatem diceret in illis verbis: *Cito enim et parvo tempore scire potuit* si secum coire potuisses.* Animadvertatur velim supra hisce verbis, uti nemo non videt, innititur tota haec dispositio canonica, cum sit ratio ipsius dispositionis. Igitur vel nescit quid. Actrix nunc dicit, vel est demens, quemadmodum maritus deposuit : « *dicebatur non esse integrae mentis.* > Vel sub specie simplicitatis est purum eius inventum, ut ad alias-

possit transire nuptias. In tribus hisce casibus est penitus reiicienda.

Maritus revera interrogatus a iudice « An matrimonium cum uxore tua consummasti? Respondit; Consummavi. » Iterum interrogatus: « An no veras initio matrimonii quanam in re consisteret matrimonii consummatio? Respondit: *Noveram.* » Tertio interrogatus « An ita consummasti matrimonium, ut exinde infans concipi et nasci possit? Respondit : *Hoc modo consummavi et quidem saepissime.* » videtur, ait consultor, quod hic iure merito repeti et applicari debeant illa alia verba recensiti iuris, videlicet : *Tu mitem contrarium affirmans tibi credendum est, quod caput es mulieris.*

Re enim vera perpendatur prima causa impotentiae, quam in medium affert Actrix. Haec nihil dicit de imperfeetionibus naturalibus penis mariti, ut puta de defectu erectionis, vel de debilitate, vel de nimia crassitudine, vel de defectu •eiaculationis: sed tantum adducit herniam, qua laborat maritus, per quam ipse impotens fuit, et nunc fit ad coeundum, «eu ad matrimonium consummandum. Ipsemet maritus interrogatus a Iudice sub sanctitate iuramenti, respondit: « Ista hernia *nullo modo impediebat consummationem matrimonii.* » In initio ac toto tempore matrimonii erat hernia tam parvi voluminis, ut eadem Actrix confessa sit, nunquam, in actibus coniugalibus cum marito suo illius praesentiam -animadvertisse. Doctores in medicina et chirurgia, qui ex mandato Iudicis ecclesiastici inspexerunt corpus Ioannis Baptistae Gervais, mariti Actricis, idest Deggeller, Bidlot, Snyers, praemisso iuramento, deposuerunt : « Quando hernia reducitur, penis est in statu naturali et ordinario. > Deinde testimonium scriptum unusquisque ex ipsis exaravit dicendo quod Gervais nullum exhibet signum impotentiae.

Cuinam modo fides praestanda, peritis seu doctoribus in •arte medica et chirurgica, an assertioni mulieris ignoranti s? Nemo sanae mentis huic secundae poterit fidem praestare. At si communis et irrefragabilis est doctrina Canonistarum

a Cosci relata *De Separat. Thori Coniug. lib. I cap. XIII n. 15,* his terminis: « Item credendum viro dubie impotenti, si perfectam habuisse copulam affirmet, et mulier neget, quatenus signa tantum dubia et ambigua, ,non autem certa impotentiae résultent, et *pro valore Matrimonii in utroque casu est pronunciandum.* » In corpore Ioannis Baptistae Gervais nullum signum, ne dubium quidem, apparet impotentiae, imo potentia coeundi a citatis doctoribus admittitur uti certa. Quanto magis ergo pronunciandum est pro valore matrimonii in casu?

Magni insuper facienda est in talibus casibus inspectio' in corpore mulieris, ceu praescribit ius, et tradunt Canonistae. Revera ipsimet supracitati DD. de mandato iudicis ecclesiastici inspexerunt partes genitales Barbarae Antoniae actricis et deposuerunt, copulationem locum habere potuisse.

Testes septimae manus ab actrice vocat, nihil aliud affirmant, nisi ea omnia, quae eis actrix dixit: si igitur nihili sint faciendae depositiones eiusdem Antoniae actricis, eo. minus attendendae sunt depositiones dictorum testium. Siquidem tunc revera testium depositiones sunt attendendae, quando statim post contractum matrimonium, idest secunda vel tertia die, vel intra eamdem hebdomadam, vel intra mensem rumor et vox secreto percurrit inter vicinos, quod vir vel femina ex coniugibus sit impotens ad coeundum, et hic rumor vel vox provenerit ex occulta lamentatione, vel ex aliqua expressione facta ab aliquo ex dictis coniugibus. Non vero quando, post septem annos a separatione, unus ex coniugibus incipit suspicari, ut in casu nostro, quod alter sit impotens; et manifestat hanc suam suspicionem aliis, et postea eos vocat in testimonium. Sic fecit actrix; consequenter ii testes nihil concludere possunt.

Restat itaque satis superque demonstrata thesis iam praemissa, nempe non constare de inconsummatione, imo satis constare de consummatione matrimonii in themate.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Ioannem Baptistam Gervais, cui, viginti septem annos nato,,

puella Barbara Antonia Haihin, in aetate annorum undeviginti constituta, die 14 Septembris 1871, rite nupsit, modo proclamat ineptum ad opus.

Ecclesiasticus Leodii iudex, cui negotium inquisitionis a sacratissimo Principe commissum est, re ad umbilicum perducta, neque impotentiam viri, neque actricis virginitatem certam habuit. In iudicis autem inquisitoris sententiam sine ambagibus descendunt eximii consultores theologus et canonista.

Et iure optimo merito. Nam tres periti, qui coniugum corpora recognoverunt, nec in corpore viri impotentiae vestigia, neque in mulieris corpore virginitatis argumenta invenerunt. Imo tantam in coniugum genitalibus convenientiam perspexerunt, ut quodcunque impotentiae vel *relativae* dubium, veri haud simile putarent.

Vir autem, quem locupletissima *septimae manus* testes fide dignum unanimi suffragio renuntiant, matrimonii consummationem nitide affirmat, quam actrix inficiato, sed facta, quae ipsam iugulant, denegare non audet.

Profitetur enim se in pace cum viro vitam duxisse *per annum.* Percontanti iudici « An debitum coniugale marito reddidisti? > reponit: « Ita, a primo die matrimonii et deinde saepissime, quoties id rogaverit, imo quasi singulis diebus, paucis tantum exceptis. » Ad quaestionem « Eo igitur tempore putabas maritum posse matrimonium consummare? > respondit : « Ita est ; eo tempore id putabam, »

Prosequitur iudex « An separationem a cohabitatione non rogasti a foro civili? > respondit: < Ita , mense Septembri 1873. » Iudex: Propter quamnam causam? » Illa: « Propter causam *adulterii:* > Iudex: « An ista separatio decreta fuit *unice* propter causam adulterii? » Illa: « Puto *quod ita sit.* An tibi animus non fuit etiam invocare causam impotentiae? *Nullo modo.* »

Huc quadrai *cap.* ***i*** *de frigid, et malefic,* < *Cur tandiu tacuitì cito enim et in parvo tempore scire potuit, si secum coire* (Ioannes) *potuisset.* » Ne Emi Patres superfluum labo-

rem fastidiarli, mitto alia et absque mora ad inscriptum dubium postulo rescribi - *Negative et amplius.* -

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sit consulendum SSmo. pro dispensatione super matrimonio rato et non consummto in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa sub die 12 Septembris 1891, censuit respondere: *Negative.*

EX QUIBUS COLLIGES I. Cum cito et in parvo tempore cognosci possit an copula perfecta locum habuerit inter coniuges, mulieri proclamanti, longum post tempus, quoad viri impotentiam, non esse facile credendum.

II. In themate futili innixam motivo mulierem proclamare quoad viri impotentiam, longos post annos, quum per totum annum ab inito matrimonio saepe saepius cum viro rem uxoriam habuerit, neque de consummatione matrimonii dubitaverit.

AQUEN.

PENSIONIS

Die 12 Decembris 1891,

Sess. 24 cap. 12 De refom.

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos Franciscus Gaglione postquam paroeciam loci Trisobbio in aquensi Dioecesi annos 24 circiter rexisset, vertente anno 1878, infensae valetudinis ergo, paroeciale ministerium dimittere coactus fuit. Ne autem ipsi congrua deesset sustentatio, instante Episcopo, Apostolicis Literis diei 25 Iulii 1878 pensio annua libellarum 600 super beneficialibus bonis praefato sacerdoti reservata fuit, cui deinde die 6 Martii 1879 et civilis potestatis placitum accessit.

Verum Episcopus die 7 Iulii 18/8 antequam preces Supremo Principi pro concessione pensionis transmitteret, ad

lites praecavendas voluit ut archipresbyter Gaglione spondere!, se successori et successoribus suis taxam á *ricchezza mobile ei AS. mano morta* restituturum. Qua syngrapha subscripta et habita gratia, paulo post paroeciae valedixit.

Vix ac in, patrio oppidulo sedem fixit, vexationes, fìsci praeveniens, publicum officialem vulgo « agente delle tasse » de obtenta pensione certiorem fecit, qui statim constituit ut tributum solveret « di ricchezza mobile > in annuis libellis 17,26. Interim tamen per biennium ipsi integra pensio libellarum 600 primum ab oeconomo, ut aiunt, beneficiorum vacantium, dein a novo parocho Dominico Negri persoluta fuit. Ast postea cum sacerdos Negri perpendisset pensionarium ex syngrapha superius relata teneri ad taxas pro virili parte archipresbytero re fundendas, hasque ad summam libellarum 108 quotannis attingere, putavit sibi fas esse praefatam summam ex libellis ^sexcentis in solutione detrahere. Haec origo quaestionis a partibus ad Episcopum delatae, ob quam sacerdos Gaglione primum metropolitanam Curiam Taurinensem et dehinc supremam Ecclesiae auctoritatem adire velle affirmabat; quae tamen quaestio ab aquensi Praesule tandem die 8 Novembris 1881 composita fuit; ceu apparet ex declaratione a partibus et a curiae cancellario subscripta. Compositio haec fuit : Parochus Negri sibi onus assumpsit solvendi dimidium taxarum *di ricchezza mobile e di mano morta,* in libellis 54; alterum dimidium incumberet pensionano Gaglione; qui solveret tantum 40 libellas quatenus obtineret exemptionem a taxa *di mano morta.*

Post haec res pacifice processisse videntur usque ad annum 1889, quo Episcopus Sciandra, qui compositionem fieri curaverat viam universae carnis ingressus est. Tunc sacerdos Gaglione, qui interim in dioecesi Ianuensi penates suos transtulerat, Episcopo novensili scribebat, ut archipresbyterum Negri adigeret ad integram pensionem libellarum 600 in posterum solvendam, simulque ad refundendas sibi summas praetextu taxae « di ricchezza mobile e di manomorta » pro praeterito detractas.

Cum vero Episcopus auctoritatem suam in istiusmodi negotium interponere nollet, ad S. C. C, ipso Ordinario suadente, res fuit delata. Hic archipresbyter Negri non modo pro reiectione petitionis actoris institit, sed insuper reoonventionem opposuit : petens ut pensio haec aptaretur parvis reditibus paroeciae; qui eam, uti nunc est, ferre omnino nequeunt.

Episcopus, de more rogatus, mandatum dedit Vicario suo generali, qui eodem munere penes antecessorem functus erat, ut S. C. C. rei statum aperiret. Qui morem gerens significabat, facta a sacerdote Negri relata veritate niti.

Postea vero cum iterum Praesul aquensis rogari debuisset ut plenius referret et sententiam suam panderet, retulit: petitionem sacerdotis Gaglione huic inniti conceptui, quod tempore collationis paroeciae nulla sibi facta fuerit mentio pensionis; dum idem recurrens confiteatur sibi onus imposuisse solvendi taxas *di ricchezza mobile* et *di mano morta* quatenus im ponerentur dictae paroeciae. His adiecit Ordinarius, Episcopum Sciandra censuisse imponere pensionem 500 libellarum, quod si permisit ut ea esset 600 libell, id evenisse ob obligationem solvendi taxas a pensionario assumptam; sacerdotem Gaglione nunc meliori frui sanitate et officium cum aliqua retributione Ianuae obtinuisse ; dum conventus Archipresbyter loci Trissobbio coadiuvatur a fabrica Paroeciae ut possit Viceparocho stipendium rependere.

Omnibus deinde relatis, in audientia SSmi diei 16 Noyvembris nuper elapsi, rescriptum prodiit: « *SSñ.tts remisit preces ad S. C. Concilii cum facultatibus necessariis et opportunis et cum clausula de aperitionis oris arbitrio adversus Litteras Apostolicas diei 25 Iulii 1878.* »

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO SACERDOTIS GAGLIONE. Hic animadvertit sibi, vi Bullae diei 25 Iulii 1878, quae in actis haud prostat, deberi annuam pensionem libellarum 600 absque ulla detractione. Siquidem nec vola nec verbum ibi reperitur de refu-

sione taxarum aut de potestate imminuendae pensionis Episcopo vel archipresbytero concessa. Iamvero indubium est,, ut animadversum fuit in *Firmana Onerum et Pensionis- diei 29 Augusti* huius anni, leges quibus pensiones,per Romanam Curiam imponi solent id exigere, ut integrae et liberae a quovis onere solvantur, uti etiam coram S. O. G. disputatum fuit in *Hortana Congruae diei 11 Aprilis 1807*et pluries in S. C. Episcoporum et Regularium atque nominatim in *Romana 20 Septembris 1878* (1). Neque dicendum videretur sacerdotem Gaglione ad id quod ius ipsi minime imponit, posse cogi vi pacti. Etenim declaratio, quam ipse in Curia, emisit, antequam pensionem consecutus fuisset, quaeque ab Episcopo dictata affirmatur, loquitur tantummodo de « im-
» posta di ricchezza mobile corrispondente alle lire seicento
» di pensione... ed anche la tassa manomorta qualora detta
» pensione fosse colpita. > Verum taxa « di ricchezza mobile » pensioni imposita ab ipso pensionario persolvitur in annuis libellis 17,26 ; taxa vero « di manomorta » quae moda tantum ab entibus, ut aiunt, moralibus exigitur, pensiones- minime respicit.

Cum igitur in praefata declaratione de vectigalibus pensioni impositis vel imponendis sermo habeatur, non vero de taxis, quae bona paroecialis beneficii attingere possent, consequens videtur iniustum esse sacerdotem Gaglione ad taxam « di ricchezza mobile > bis solvendam adigere, atque ab ea aliam taxam, quam adpromisi.t refundere tantum « qualora detta pensione fosse colpita, > modo repetere.

Inepte autem affirmari censet sacerdos Gaglione voluntatem Episcopi Sciandra aliam ab ea quae apparet fuisse. Nam praeterquam quod id haud bene perspectum est, inauditum esset in contractibus intentionem, non vero receptum loquendi modum, attendere. Et re quidem vera Card. De Luca *de alienai, disc. 48, n. 12* aperte tradit verba contrahentium seu pacta iuxta communem usum esse intelligenda, ita,

(1) Eecole Vol. XI, 894.

ut iis obligatio respondeat. Quod si aliud animo Episcopus -cogitaverit id minime officere censendum esse dicit, cum ex *cap. pastoralis de except.* paria sint tam non esse, quam non apparere.

Relate vero ad conventionem quae coram eodem Praesule inita fuit die 8 Novembris 1881, contendit sacerdos Gaglione nec conventionis nomen illi aptari posse cum Episcopo cogente facta fuerit.

Itaque in probatis habito quod huiusmodi conventio iussu Episcopi exarata fuerit, ac sacerdos Gaglione caruerit, in ea subscribenda, ea libertate quae in contrahentibus requiritur, indubium esset validam causam adesse pro rescissione contractus, ut omnes doctores unanimiter tenent, iuxta vulgatum axioma: « coacta voluntas, voluntas est in contrarium. » Reverentialem autem metum, qui praecise in themate ex allata actoris narratione adfuisse videtur, voluntatem adimere, in 'dubium revocari nequit, cum ad *Reg. 14 ff. de Regulis iuris:* « velle non creditur qui obsequitur imperio patris-vel domini. » Qui metus ut invocari possit pro dissolutione contractus non oportet ut adsit vera et realis magni mali illatio, sed sufficit mali periculum imminere, idest timor iustus •et probabilis illationis mali. *L. I* nec timorem ff. De eo quod metus causa et L 3 % Armis ff. de vi et vi armata etc.* Haec vero omnia in casu concurrere, attenta praecipue magna erga Praesulem sacerdotis Gaglione reverentia, nec non eius provecta aetate et infirma valetudine, apparere posset.

Quod si orator adstringi nequit ad taxas, de quibus controvertitur, archipresbytero Negri refundendas, ac conventio diei 8 Novembris debeat pro infecta haberi, consequi ex hoc -eidem oratori videtur detractas hactenus summas esse sibi restituendas. Sane, ut aiebat Card. De Luca *De Regul. disc. 68, n. 8. et disc. 106, n. 8,* restitutio facienda est eorum quae fuerunt indebite exacta, cum res aliena ad dominum clamet.

Relate ad alteram causae partem animadvertendum in primis est nunquam adversus Summi Pontificis Literas con-

queri licere, ut aperitio oris concedatur, nisi constet eas subreptionis vel obreptionis vitio laborare, ac Summum Principem in eis concedendis fuisse deceptum et circumventum. Card. De Luca *De Iur is d. dise. 8, n. 6.* 'Rota *coram Crescendo decis. 116 n. 5, et decis. 141 n. 1, et in Reatina Applicationis dotium super aperitione oris diei 17 Iunii 1735 § Ratio coram Rezzonico.* Imo, ut adnotatur penes S. C. C- in Nucerina Paganorum *diei 25 Augusti 1877,* nisi aliquae prodeant suspiciones revocantes in discrimen voluntatem Pontificis vel illius deceptionem, sive a falsa narratione sive a callida reticentia natam, nemo insurgere potest contra gratiam a Pontifice largitam, ne iniustae inutilesque lites foveantur potius, quam reprimantur. Iamvero, cum in themate, instante Episcopo, pensio libellarum 600 sacerdoti Gaglione fuerit a S. Sede concessa, ex hoc tantum cuiusvis deceptionis et callidae reticentiae suspicio exulare videretur. Verum equidem est parochum Negri asserere etiam Curiam aquensem fuisse deceptam dum dictis parochi Gaglione caecam fidem adhibens, S. Sedi retulit beneficii paroecialis reditus ad summam annuam libellarum 3000 pertingere; ast hanc assertionem solido fundamento destitutam esse pensionarius autumat. Recolit enim se beneficialia bona in melius redegisse, ac erogatis plus quam 12000 libell, in aedificiis reparandis agrisque excolendis, eorum proventus ad annuas libellas 3000 evexisse.

Haec autem veritate apprime niti tuetur, nedum quia Episcopus antequam preces Supremo Principi obtulisset, de his quae asserere debebat certior fieri voluit, sed etiam quia,, ut placitum politicae potestatis obtineretur, necesse fuit ut vir peritus relationem conscriberet eamque postea coram praetore, loci Carpeneto, iuramento firmaret. Praeterea res cognosci debuit a suboeconomo, ut aiunt, beneficiorum vacantium, qui certe haud praesumi videtur diligentiam aliquam licet in minimis omisisse. Concludit igitur nullum suppetere falsitatis indicium, atque proinde ea quae contra a parocho Negri oggeruntur, utpote inania, esse flocci facienda. Quod si postre-

mis annis sive ob temporum inclementiam sive alia ex causa agrorum foecunditas non ea fuit quae sperabatur; agitur de temporanea fructuum imminutione quae causam ad pensionem extenuandam ad iuris tramites praebere non potest. Ceterum cum sacerdos Negri fere per biennium, antequam archipresbyter loci Trisobbio renunciaretur, munus oeconomi spiritualis et administratoris bonorum temporalium in illa paroecia, obiverit, optime beneficíales reditus perspectos habere debebat, ac idcirco praesumi nequit onera assumpsisse quae beneficii vires excederent.

Denique dato etiam quod reditus paroeciales aliquantulum a libell. 3000 dis tarent, perpendendum esset ex ipsius hodierni parochi confessione, illos in summa libellarum bis mille computari posse, in ea scilicet summa quae longe congruam a sacris canonibus requisitam exsuperat, ac proinde neque ex hoc capite ad reconventionem roborandam concludens argumentum posse desumi. Versa vice sacerdos Gaglione -efflagitat S. C. C. ut prae oculis habeatur conditio senis sacerdotis qui in paroeciali ministerio exercendo vitam egit, et cui, pensione extenuata, media ad honestam sustentationem omnino deficerent.

DEFENSIO ARCHYPRESBYTERI NEGRI. Ad deductiones archipresbyteri Negri gradum faciens, in primis ea referre opportunum visum est, quae ille quoad syngrapham a sacerdote Gaglione, ante renunciationem, exaratam observat, nempe: declarationis diei 7 Iulii 1878 obiectum fuisse, ut Gaglione oneraretur taxis quae vulnerant pensionem in manibus beneficiati; nempe sicut beneficiato subtrahitur summa lib. 600 ita exonerari debuit de taxis quae 600 libellis subtractis respondent. Proinde declarationem dictam , a Gaglione subsignatam, minime se referre ad taxam quam demanium ab eo exigeret tamquam pensionario.

Ne igitur dicatur, Episcopum proposuisse et sacerdotem Gaglione subscripsisse syngrapham, scienter effectu destitutam, tenendum videretur sub contro versis verbis taxas, quibus parochus onerabatur, libellis 600 respondentes, fuisse com-

prehensas. Ad rem Card. De Luca *De Donat. disc. 34 n. 11:* « In quibuscumque viventium ac morientium dispositionibus vel actibus principaliter attendi debet, ut non cortex et formula verborum sed substantia veritatis inspiciatur, propterea apud Franch. *decis. 392 n. 2 et seqq.* et Merlin, *decis. 210 n. 7 et alios* habetur quod si contrahentes dicant facere contractum enphyteuticum, pacta vere et conditiones ostendant, illum esse potius emptionis et venditionis, non attendatur vocabulum, sed natura seu veritas actus. »

Praeterea, quidquid sit de huiusmodi prima declaratione, adeo claram esse censet parochus Negri conventionem inter partes coram Episcopo initam, ut inde saltem obligatio parochi Gaglione evidentissime scateat. Nec contra illius vim regerere valeret defectum libertatis, cum scitum in iure sit ad disputata a Voet *lib. 4, tit. 2, num. 14* et a Pitonio *Discept, eccles, discep. 110, num. 34;* metum non praesumi, sed esse ab allegante concludenter probandum. Iamvero nulla in casu huiusce metus probatio fuit allata, eo quia id quod sacerdos Gaglione gratis asserit, gratis negandum videtur. Insuper docente S. G. C. in *Oxomen. 14 Augusti 1880,* neminem latet, metum ad hoc ut excuset ab obligatione, debere esse talem, qui in virum constantem cadat: neque enim vani timoris ulla excusatio est *I. metus 6, 7, ff. quod metus causa. L. de Regul. 9:* nec sufficit quolibet terrore adductum quemquam timuisse /. *metus ff. ex quibus causis.* Unde Bossius *cap. 11 § 14, 16* statuit ad constituendum metum legaliter iustum nedum requiri « quod malum sit absolute et in se magnum et grave, sed etiam quod metuens non possit facile illud depellere aut illi occurrere. > Verum haec omnia excludi videntur non modo ab indole Episcopi Sciandra, sed a natura sacerdotis Gaglione, qui patronos adiverat et recursum ad Archiepiscopum et ad S. Sedem, ut ipse refert, iam paraverat.

Firma itaque maneat oportet conventio quoad taxas quae inita fuit die 8 Novembris 1881, cuius robur usque adhuc, scilicet vivente Praesule Sciandra, et ab ipso pensionario nec

in dubium fuit revocatum. Etenim ut habet *I. i, init. ff. de pactis,* nil magis humanae fidei congruit quam verba et promissa quae iam placuere serventur, a quibus profecto in casu sacerdos Gaglione resilire non posset. « Sicut initio libera potestas unicuique est habendi vel non habendi contractus, ita renuntiare semel constitutae obligationi, adversario non consentiente, nemo potest »: *L. sicut 5 Cod. de obligat, et nat.* Quibus omnibus addi posset, conventionem initam fuisse postquam partes controversiam instituerant, ideoque et transactionis naturam induere videtur, quae, ut pragmatici loquuntur, omnia priora iura et actiones extinguit et est in aevum servanda.

Post haec apparet et restitutionem summae usque adhuc vi praefatae conventionis pro taxis detractae, quam sacerdos Gaglione a S. O. O. petit, a parocho Negri denegari. Admisso enim legitimo iure huius detractionis, cum non amplius illi summae indebite soluti qualitas inesset, nulla actio ad eamdem repetendam dari posset. Ceterum observat parochus se transactione fretum, non modo bona fide omnes beneficii fructus consumpsisse, sed etiam aere alieno ob causas inferius dicendas praegravari, ideoque ad quamcumque solutionem modo imparem esse.

De reconventionali libello animadversum fuit tralatitium in iure esse, adversus Apostolicas Literas oris aperitioni locum fieri, si ad illas obtinendas quid necessarium non fuit expressum, vel si quid falsum allegatum: *Cap. Super Uteris de Rescriptis.* Hoc posito contendit archipresbyter Negri pensionem libellarum 600 fuisse beneficio paroeciali loci Trisobbio impositam, tum quia merita sacerdotis Gaglione in illius reditibus augendis exaggerata fuerunt, tum quia falso eosdem reditus ad tria millia libellarum pertingere expositum fuit. Et quod primum attinet, haud negat aliquam pecuniae summam in operibus perficiendis a sacerdote Gaglione fuisse impensam, at praeterquamquod inutile opus evasit, id perfectum fuit « alienando la rendita dei legato Boccaccio rap- » presentante il capitale di L. 2000 incirca. > Sumptus au-

tem quos in summa libell. 12000 fecisse asserit, si quidem hanc summam pertingunt, « si riferiscono a quelle consu-
> mate nella lite contro l'appaltatore Bistolfì; » ex qua profecto beneficialia bona haud meliora evaserunt. Quomodo vero sacerdos Gaglione beneficii bona administraverit, ceteris missis, patere edicit ex declaratione partiariorum agricolarum qui referunt, sacerdotem Gaglione, Beneficium renuntiando, eiusdem agros reliquisse in conditione deterrima.

Profecto hac agendi ratione, subdit parochus Negri, reditus beneficii, cum damno agrorum, favore sacerdotis Gaglione augebantur. Attamen neque ita in annua summa libellarum 3000 umquam computari potuerunt. Atque hic adnotat beneficii reditus, partim ex quibusdam debiti, ut aiunt, publici syngraphis aliisque determinatis exactionibus, partim agrorum fructibus coalescere. Cum priores summam annuam libellarum 1500 constituant, ut assertae libellae 3000 obtineri possint, deberent ceteri et aequalem vim attingere. Iamvero documenta exhibentur quae curia episcopalis recognovit, quaeque ad unguem ostendere videntur fructus agrorum, detractis cultus agrorum expensis, vix ad libellas 500 perduci posse. Quibus cum ceteris fructibus conflatis, reditus constituitur libellarum 2000, idest triente minor illo quem sacerdos Gaglione pro pensione obtinenda declaravit. Verum equidem est postremis annis fructus valde fuisse imminutos ceu municipalis auctoritas declarare haud dubitavit. Attamen non ex hoc capite praecipue, pensionis imminutionem videtur parochus efflagitare. Siquidem ipse instat potius in adulterata declaratione redituum, quam ipsius declarantis scripto mendacii arguere autumat. Profert enim computa fructuum agrorum, ipsius sacerdotis Gaglione manu conscripta et in cancellaria episcopali recognita, ex quibus huiusmodi fructus, annis 1872 et 1876 vix in libellis 500 assignari possunt. Unde cum ex suipsius ore iudicatum videatur, ulteriora addere superfluum ducit.

Hic autem perpendendum minime censet an congrua parocho, detracta pensione, salva maneat. Namque ad redu-

ctionem obtinendam id putat esse observandum num pro Literas Apostolicis assequendis falsum allegatum fuerit, idque ex iam deductis constare edicit. Unde affirmat quod si Episcopus et Summus Pontifex cognovissent reditus beneficíales non ad libellas 3000 sed ad 2000 tantum ascendere, pensio in summa valde minori fuisset constituta. Ceterum modo neque necessaria ad congruam sustentationem ex beneficii fructibus habere asserit archipresbyter Negri. Praeter ea quae de actuali frugum imminutione a municipali auctoritate fuerunt relata animadvertendum esse dicit se, ut rebus temporalibus paroeciae consuleret, haud modico aere alieno gravari debuisse. Hoc praecipue egisse ait ad domum paroecialem reficiendam, quam sacerdos Gaglione ita ruinosam reliquerat, ut adlectus peritus declaraverit « buoni solo i muri perime- » trali. » Consilium vero fabricae, quod, ut Episcopus innuit auxilium parocho praebet, iam ab anno 1885 coram Ordinario de eiusdem tenui oeconomica conditione conquerebatur.

Quibus praemissis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An et in qua summa pensionarius Gaglione teneatur refundere archipresbytero Negri taxas vulgo « di ricchezza mobile e manomorta » in casu.*

Et quatenus negative

II. *An eidem sacerdoti Gaglione ius sit repetendi pecuniam, quae ob praefatas taxas in solutione pensionis hactenus detracta fuit.*

III. *An intret arbitrium aperitionis oris super Apostolicis Literis diei 25 Iulii 1878 in casu.*

Et quatenus affirmative

IV. *An et quomodo sit locus reductioni pensionis in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii re discussa sub die 12 Decembris 1891, censuit respondere: Ad I *Affirmative ad formam concordiae diei 8 Novembris 1881.* Ad II *provisum.* Ad III *Negative.* Ad IV *provisum et amplius.*

EX QUIBUS COLLIGES. I. Neminem posse renuntiare obligationi semel constitutae, adversario non consentiente.

II. In themate obligationem solvendi dimidium taxarum, libellas 54, libere assumptam fuisse a presbytero Gaglione die 8 Novembris 1881.

COMEN.

INTERPRETATIONIS

Die 12 Decembris 1891.

Per summaria precum

COMPENDIUM FACTI. Iam ab anno 1874 in Dioecesi condensi plenam vim obtinent quaedam leges de vita et honestate clericorum, quae ab Episcopo Carsana, audito consilio capituli, sub nomine Edicti latae, confirmationem S. C. C. uteris diei 20 Ianuarii praedicti anni assecutae sunt, ac summis laudibus a s. m. Pio IX exornatae perhibentur. Inter alia vero ibi sequentia leguntur verba: « Nullius petitionem ad concursum beneficiorum admittemus, qui de peractis intra quadriennium spiritualibus exercitiis attestationem nobis non obtulerit. > Nuper igitur Ordinarius comensis quoad horum verborum interpretationem aliquantulum anceps, quaesivit ut S. C. C. expresse declararet, concursus -etiam, qui indicuntur pro beneficiis quomodocumque S. Sedi reservatis et affectis, huic dioecesanae legis praescripto absque discrimine subiici, < eo quod, ut ipse scribebat, ea lex unicum mihi praebeat in promptu medium pro minus piis sacerdotibus ad frequentandos, uti par est, spirituales secessus. »

Disceptatio synoptica

QUAE ADVERSANTUR PETITIONI ORDINARII. Diffiteri nequit, cuilibet habili ad beneficium obtinendum ius esse concursui se sistendi, ideoque S. Tridentinam Synodum *Sess. 24 c. 18 De reform,* innuisse, ut illi omnes advocarentur « qui vo-

lunt examinari. > Quod pluries et S. C. C. declaravit, et deinde confirmatum est a Summis Pontificibus Clemente XI Uteris diei IO Ianuarii 1721, et Benedicto XIV Const. *Cum illud* - ibi - « publico evulgetur edicto notitia concursus, quo omnes clare et aperte moneantur. > Ex quibus omnibus fas esset concludere ad mentem Garciae *De beneficiis p. IX cap. 2 n. 209 :* quando de iure nullum adest impedimentum quominus aliquis ad concursum admitti possit, non erit in potestate Episcopi talem non admittere, nec videtur valere constitutio Synodi dioecesanae vel provincialis, qua ius tale quaesitum perimatur vel imminuatur. Neque forsan dici posset in casu maiorem vim dioecesanae legi tribuisse Supremae Auctoritatis approbationem. Nam praeterquamquod ageretur de approbatione in forma generica, quae ad dispositionem a communi iure exorbitantem nequiret extendi, perpendendum est ibi de concursibus ad beneficia Supremo Principi reservata expresse mentionem haud fieri, ideoque illa verba utpote odiosa esse strictim interpretanda. Quoad necessitatem vero extensionis legis, uti unicum medium pro minus piis sacerdotibus ad frequentandos spirituales secessus, observari posset et alia media, verbi gratia poenarum canonicarum comminationem, praesto esse Episcopo ad finem suum semper et efficacius assequendum.

QUAE FAVENT PETITIONI ORDINARII. Nihilominus animadvertendum est Benedictum XIV in citata Constitutione *Cum illud* absque ullo discrimine beneficia parochialia S. Sedi reservata legi concursus subiecisse, atque idcirco iis etiam particularibus legibus quae in singulis dioecesibus praefatos- concursus moderantur. Cum igitur in themate agatur de Edicto ab Episcopo, audito capitulo, promulgatum, et, proinde iuxta doctrinam eiusdem Summi Pontificis *De Synodo dioecesana* robur constitutionum Synodalium obtineat, haud dubitandum videretur sub illius praescriptione omnes et singulos concursus pro paroeciarum provisionibus comprehendi. Eo vel magis quod ipsa S. Tridentina Synodus *loc. cit.* aliquatenus rem Episcopi prudentiae aut Synodi provincialis

legibus pro regionis more remiserit, et S. C. tenuerit, quos nec dignos nec idoneos Episcopos reputaverit posse ab examine reiici, nec de huiusmodi reiectione eos conqueri valere, *ut* in *Tarentina archipresbyteratus 7 Decembris 1720* et *S. Marci et Bisiniani Concursus 22 Iunii 1850.* Ceterum quoad aptiora media ad pietatem in clero fovendam Ordinarios posse prae aliis iudicium ferre ambigi nequit, ideoque eorumdem sententiam hac in re S. C. C. plurimi facere solet.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quid esset oratori respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita sub die 12 Decembris 1891, censuit respondere: *Legem dioecesanam in casu extendi etiam ad beneficia, quorum collatio spectat ad S. Sedem.*

MARSORUM

NOMINATIONIS

Die 12 Decembris 1891.

Per Summaria Precum.

COMPENDIUM FACTI. In postrema suae ecclesiae relatione ad S. C transmissa in capite *De Postulatis,* haec Episcopus Marsorum scribit : « Postulo ut in Collegiatis iam suppressis ab infausta suppressionis lege, ego possim aliquos -canonicos honorarios nominare absque consensu capituli, (quod nunc ad unum, duos vel saltem tres reducitur), et eos in possessionem immmittere: et ut ipsi noviter nominati vocem habeant et iura et honores ac si fuerint veri capitulares titulares. Et hoc ut chorus in aliquibus locis reviviscat, si neri possit, et functiones ecclesiasticae maiori solemnitate peragantur. >

Disceptatio Synoptica.

PETITA DENEGANDA VIDENTUR. Huiusmodi postulatum aperte in ius impingere videtur, sive quia nominatio cano-

nicorum ad honorem inaudito capitulo petitur, sive quia his canonicis honorariis vox in conventibus et cetera iura canonicalia tribuenda essent. Sane, ut ait Scarfantonius *De canon. lib. 1. tit. 14 num. 13,* « creatio dictorum canonicorum honorariorum non potest fieri* a solo Episcopo, sed in illa est necessarius etiam capituli assensus » et proinde iuxta Bouix *De capitulis cap. 16 § 4,* « ex admissa ut certa auctorum doctrina sequitur, nominationem canonici honorarii vel a solo Episcopo vel a solo capitulo factam invalidam remanere et irritam. > Quod constanti praxi S. C. O. docuit, ut eruitur ex millenis resolutionibus a *Fulginaten* 26 Februarii 1639* usque ad *Oritanam diei 18 Aprilis 1885.* In qua postrema integram ac salvam voluit iuris dispositionem S. Congregatio, licet ageretur de capitulo ab iniquis gubernii legibus suppresso et in quo proinde canonicorum numerus valde imminutus fuerat.

Praeterea inusitatum esset ac ipsi naturae canonicatuum ad honorem omnino contrarium praefatis canonicis vocem in capitulo ac cetera capitularia iuria concedere. Etenim canonici honorarii, seu dignitates ventosae, ut loquitur Fagnanus in, *cap. 25 Dilecto de Praeb. n. IO,* cum non sint veri canonici in re, sed in sola honorifica nuncupatione, nequeunt habere vocem in capitulo atque alia iura, quae canoniae de sui natura adnexa dicuntur a Card. De Luca *De canonicis disc. 6 n. 12 et disc. 47 n. 2.* Quae magis in themate prae oculis videntur habenda, eo quia petita concessioiura canonicorum adhuc in collegiatis suppressis existentium laedere posset, ac quaestionibus et dissidiis cum fraternae charitatis detrimento viam relaxare.

PETITA INDULGENDA VIDENTUR. EX adverso tamen observari posset postulatum Episcopi Marsorum potius quam rigore iuris esse inspiciendum attentis temporum et locorum peculiaribus adiunctis. Siquidem cum Praesul eum finem unice intendat ut divinus augeatur cultus et chorale servitium pluribus in ecclesiis reviviscat, atque id obtineri nequeat quin eius preces excipiantur, profecto lex haud videretur urgenda.

praesertim cum nec omnino causae deficiant ad gratiae concessionem. Sane cum in suppressis collegiatis plerumque, unus aut duo tantum adhuc supersint canonici, etiam numerum deesse apparet, qui ad validitatem capitularis conventus solet requiri. Nec abnorme est ut canonicis ad honorem cum iuribus canonicalibus etiam vox in capitulo tribuatur, aiente Card. De Luca *De canonicis disc. 19 n. 28:* « Habere votum in capitulo non facit canonicum, cum de consuetudine etiam simplices presbyteri possint huiusmodi praerogativam obtinere.

Praeterea facta per iniuriam Collegiatarum suppressio ab illegitima auctoritate non ademit ius Episcopo nominandi etiam modo canonicos illarum ecclesiarum, qui idcirco si praebenda destituti erunt non tamen ceteris canonicalibus iuribus privari possunt. Etenim ut docet Bonix *De capit, cap. 1 § 3.:* « canonia concipitur, et absolute subsistere potest absque praebenda; > canonia vero quae a praebenda non parum differt, est « ius habendi sedem in choro et vocem in capitulo ex electione in fratrem » Ceccoperius *Lucub. can. lib. 1 c. 2 n. 18'.* Unde licet in themate istiusmodi canonici, proprie loquendo, honorarii dici nequeant, quidquid sit de nomine ; Episcopi Marsorum postulatum in substantialibus videretur admittendum.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quid esset postulanti respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita sub die 12 Decembris 1891 censuit respondere: *Provisum per resolutionem 6 Tuli 1889;* (1) *idest non expedire.*

(1) Belata fuit Vol. XXII, 355.

PRATEN.

INDULTI

Die 12 Septembris 1891

Per Summaria precum

COMPENDIUM FACTI. Inter supplices libellos Congregationis diei 30 Maii, postremo elapsi, relatae fuerunt preces, quibus sacerdos Honoratus Bambini Cathedralis ecclesiae Pratensis canonicus, indultum lucrandi Matutini distributiones, licet absens a choro causa infirmitatis expostulabat. Tunc placuit EE. PP. rem ad alia comitia differre, commisso interim R. P. D. Secretario munere exquirendi ab Ordinario a quanto tempore orator esset canonicus, et quomodo sui canonicatus munia implevisset. Ordinarius respondit ; Canonicum postulantem canonicalis praebendae investitura fuisse anno 1884, choro de mane adfuisse tantum per primos sex menses primi anni, a capta possessione ; eumdem docere in Collegio Cicognini eisdem horis chori, et ideo raro divinae salmodiae adfuisse; docere etiam in Seminario dioecesano Theologiam dogmaticam et graecam linguam magna cum laude; optimis praeditum esse moribus; docendo autem apprime benemeritum esse de Dioecesi.

Allegata fuit etiam iurata medici fides, in qua legitur: oratorem aifici multis abhinc annis a *poliartrite;* a quo morbo manus pedesque ita deformantur, ut deambulatio tum ex praefato incommodo, tum ex diminutione virtutis visivae, praecipue horis matutinis et serotinis, incerta evadit. Unde peritus concludit, canonicum Bambini non posse diluculo domo egredi et ad matutinum servitium chori accedere, quin in manifestum periculum veniat, ac proinde Apostolicae Sedis indulgentia egere, eo vel magis quia incommodum insanabile sese exhibeat et videatur iam induisse morbi cronici naturam.

Hisce aliisque animadversis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra Cong. Concilii re disceptata sub die 12 Septembris 1891, censuit respondere: *attentis peculiaribus circumstantiis, iisque perdurantibus, pro gratia, ad, triennium.*

EX S. CONGR. S. R. U. INQUISITIONIS

DECRETUM quo statuitur, copulam carnalem, sponsalibus supervenientem, non amplius censeri, ex praesumptione iuris, contractum coniugalem, nec agnosci deinceps pro legitimo matrimonio illis in locis, quibus coniugia clandestina pro validis habentur,

Consensus mutuus, unde matrimonia iusta nascuntur, non verbis dumtaxat, sed aliis quoque signis exterioribus patefieri ac declarari potest. Quamobrem Alexander III (1), Innocentius III (2), et Gregorius IX (3), decessores Nostri, merito decreverunt ut carnalis copula, si sponsalia de futuro certa ac valida praecessissent, cum in iudicio tum extra iudicium pro vero coniugio haberetur, nisi impedimentum canonicum obstitisset. Et in hac iuris praesumptione tantum roboris inesse voluerunt, ut firmum ipsa statueret sanciretque ius, nec probationem contrariam ullam admitteret. Deinde vero matrimonia clandestina, id est non praesente Parocho et duobus tribusve testibus inita, quum Concilium Tridentinum (4) irrita infectaque esse iussisset, ius illud priscum, ut erat necesse, valere desiit ubicumque promulgata vel moribus usuque recepta Tridentina lex. Quibus autem illa locis non viget, in iis semper Apostolicae Sedis iudicium fuit, canones, quos indicavimus, ratos atque

(1) Cap. *Veniens,* de Sponsal.'

(2) Cap. *Tua nos,* eodem tit.

(3) Cap. *Is qui fidem,* eodem tit.

(4) Sess. XXIV, Cap. 1 de Reform, matrim.

firmos permansisse. Sed aetatum decursu, ex conscientia et cognitione christianorum sensim effluxere. Plures enim Episcopi ex iis regionibus, in quibus matrimonia clandestina contra fas quidem inita, sed tamen valida iudicantur, haud ita pridem rogati, quid populus ea de re sentire videretur, plane retulerunt, canonicam de coniugiis praesumptis disciplinam passim exolevisse desuetudine atque oblivione deletam : propterea vix aut ne vix quidem contingere, ut copula inter sponsos affectu maritali nec fornicario habeatur: eamque non matrimonii legitimi usum, sed fornicationis peccatum communi hominum opinione existimari : imo vix persuaden populo posse, sponsalia de futuro per coniunctionem carnalem in matrimonium transire.

His igitur rebus et causis, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, in rebus fidei Inquisiturum generalium, supra memoratos canones et alias quascumque iuris canonici ea de re dispositiones, etiam speciali mentione dignas, per hoc Decretum Nostrum abrogamus et abolemus, et pro abolitis et abrogatis, ac si nunquam prodiissent, haberi volumus.

Simul per has litteras Nostras decernimus ac mandamus, ut deinceps illis in locis in quibus coniugia clandestina pro validis habentur, a quibusvis iudicibus ecclesiasticis, in quorum foro causas eiusmodi matrimoniales agitari et iudicari contigerit, copula carnalis sponsalibus superveniens non amplius ex iuris praesumptione coniugalis contractus censeatur, nec pro legitimo matrimonio agnoscatur seu declaretur. Huius tamen auctoritate Decreti induci nolumus necessitatem formae Tridentinae servandae ad matrimonii validitatem, ubi illa forma modo non viget.

Datum Romae apud S. Petrum die 15 Februarii 1892, Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

MASSILIEN. Decretum beatificationis et canonizationis ven. Servae Der Sor. Annae Magdalenae Remuzat sanctimonialis professae ordinis Visitationis beatae Mariae Virginis.

SUPER DUBIUM

An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur?

Massiliae ortum duxit anno 1696 Anna Magdalena Remuzat,, Sanctimonialis ex Ordine Visitationis Beatae Mariae Virginis. Conspicua eius virtutum praestantia, praesertim vero admirabilis erga Sacratissimum Cor Iesu pietas ac devotio, nec non ardens studium in propagando ipsius Divini Cordis cultu, tum in toto Visitationis Ordine, tum apud Massilienses, praeclaram eidem sanctitatis famam compararunt. Haec autem sanctitatis fama, caelestibus quoque suffulta charismatibus atque prodigiis, quae huiusce fidelis suae Ancillae intercessione a Deo patrata ferebantur, post ipsius obitum, qui contingit anno 1730, nedum non intercidit, sed in dies magis mirifice excrevit. Quare factum est, ut Rmus Episcopus Massiliensis Inquisitionem super eiusdem Servae Dei fama sanctitatis vitae, virtutum ac miraculorum Ordinaria auctoritate tandem instituerit. Qua rite expleta, et ad Sacram Rituum Congregationem exhibita, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII benigne indulsit, ut de Dubio signaturae Commissionis Introductionis Causae praedictae Servae Dei agi posset in eadem Sacra Rituum Congregatione ordinaria, absque interventu et voto Consultorum, etsi nondum elapso decennio a die praesentationis informativi Processus in Actis ipsius Sacrae Congregationis, Hinc a me infrascripto Sacrae eidem Congregationi Praefecto Causaeque Relatore, ad instantiam Rmi Dñi Ca-

roli Nocella Protonotarii Apostolici, huiusce Causae Postulatoris, •attentis postulatoriis litteris Serenissimi Austriae Imperatoris, plurimorum Emorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Rmorum Antistitum Sacrorum, aliorumque Virorum tam ecclesiastica quam civili dignitate illustrium, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu, ad Vaticanum subsignata die coadunato, sequens Dubium discutiendum propositum fuit, nimirum : *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu, et •ad effectum de quo agitur?*

Sacra porro eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino, Caprara S. Fidei Promotore, rescribendum censuit : AFFIRMATIVE, SI SANCTISSIMO PLACUERIT. Die 19 Decembris 1891.

Quibus omnibus per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideliter relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit; propriaque manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae praefatae Ven. Servae Dei Annae Magdalenae Remuzat. Die 24 iisdem mense et anno.

CAL CARD. ALOISI-MASELLA, *Praef.*

L. 8 S.

VINC. Nussi, *Secretar.*

PARISIEN. Decretum beatificationis et canonizationis ven. servae Dei sor. Theresiae a s. Augustino monialis professae ordinis Carmelitarum Excalceatorum.

Instante Rmo Patre Fr. Dionysio a Sancta Theresia Définitore Generali Ordinis Carmelitarum Excalceatorum ac Postulatore Causae Beatificationis et Canonizationis praedictae Ven. Servae Dei Sor. Theresiae a S. Augustino, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Miecislaus Ledochowschi huius Causae Ponens, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu ad Vaticanum

subsignata die coadunato, sequens Dubium proposuit, nimirum : « *An constet de partitione Decretis sa. mè. Urbani Papae VIII super cultu non exhibito praefatae Ven. Servae Dei in casu, et ad effectum de quo agitur?* » Emi porro et Rmi Patres Sacris-tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, audito-que voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promo-tore, rescribendum censuerunt: *Constare.* Die 19 Decembris 1891-

Quibus per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino-Nostro Leoni Papae XIII fideliter relatis, Sanctitas sua Rescri-ptum Sacrae Congregationis ratum habere ac confirmare dignata est die 24 iisdem mense et anno.

CAI. CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. C *Praef,*

L. % S.

VINCENTIUS JNUSSI, S. R. C. *Secretarius.*

AQUEN. Decretum Sor. Paulinae Aloisiae de Pinczon du Sel institutoris Congregationis sororum nostrae Dominae de gratia a sancto Thoma de-Villanova nuncupatarum.

SUPER DUBIUM

An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur?

Praeclara sanctitatis fama, qua Dei famula Paulina Aloisia-de Pinczon du Sel vivens enituit, post eius obitum, qui anno 1820 accidit, adeo in dies aucta ac longe lateque diffusa est, ut ad ordinariam inquisitionem super eadem sanctitatis fama nec non virtutum ac miraculorum in Curia ecclesiastica Aquensi tandem deventum sit. Eiusmodi autem Inquisitione ad iuris tramitem absoluta, atque ad Sacram Rituum Congregationem delata, San-ctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII benigne indulsit, ut

de dubio signaturae Commissionis introductionis Causae praefatae Servae Dei agi posset in Ordinario ipsius Sacrae Congregationis Coetu absque interventu et voto Consultorum, licet nondum elapso decennio a die praesentationis Informativi Processus in Actis eiusdem Sacrae Congregationis.

Hinc Emus et Rmus Dnus Cardinalis Miecislaus Ledochowski, huiusce Causae Relator, instante Rev. P. Francisco Xaverio Cazenave, Procuratore Generali Parisiensis Seminarii Missionum ad exteros, attentisque Postulatoriis litteris plurium Emorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Rmorum Sacrorum Antistitum, aliorumque Virorum tam ecclesiastica quam civili dignitate illustrium, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens Dubium discutiendum proposuit, nimirum: *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur?*

Et Sacra eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, post auditum voce et scripto R. P. D. Augustinum Caprara, S. Fidei Promotorem, rescribendum censuit : *Affirmative, si Sanctissima placuerit.* Die 19 Decembris 1891.

Facta postmodum de his per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit; propriaque manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae praedictae Ven. Servae Dei Paullinae Aloisiae de Pinczon du Sel. Die 24 iisdem mense et anno.

CAL CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. C. ***Praef.***

L. * S.

VINCENTIUS Nussi, S. R. C. ***Secretarius,***

EX SECRETARIA STATUS

Gratiae seu dispensationes non defcent impetrari a Sede apostolica per telegraphum, sed in scriptis.

Monachii, die 5 Ianuarii 1892. — Illme ac Rme Domine. Ad nonnulla evitanda incommoda, quae hisce temporibus evenerunt, Emus Cardinalis a secretis Status mihi in mandatis dedit, nomine Sanctitatis Suae, ut Amplitudini Tuae, sicut et aliis Ordinariis in Germania signiflcarem, quod si quae gratiae seu dispensationes a sacris Congregationibus Romanis et ab aliis Ecclesiasticis Institutis impetrandae sint, eaedem non per telegraphum, sed in scriptis petantur. Hisce Amplitudini Tuae significatis, data occasione libenter utor, ut meae maximae observantiae sensus tibi ex corde tester.

Addictissimus servus.

f ANTONIUS, *Archiepiscopus Caesarensis.*

Illmo ac Rmo Domino Dno ADULPHO FRITZEN.
Episcopo Argentineensi.

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

MECHLINIENSI. Dubium quoad admissionem ad tertium Ordinem sancti Francisci.

A saeculis, imo a S. Francisci tempore, usus invaluit ut Episcopi, Sacerdotes, Nobiles, et plebei a Sacerdotibus Franciscanis vel aliis facultatem habentibus, privatim et seiunctim admittan-

tur ad habitum et professionem Tertii Ordinis saecularis S. Francisci, quin ad aliquam Congregationem Tertii Ordinis pertineant. Auctores hac de re tractantes censent quidem praeferendum esse, ut Tertiarii, qui possunt, alicui Congregationi adscribantur eique statutis diebus interveniant, propter commoda spiritualia quae inde consequuntur; simul tamen admittunt vestitiones et professiones, privatim factas, esse validas, et hanc sententiam Superiores maiores Ordinis S. Francisci etiamnum tuentur. Post Constitutionem *Misericors Dei Filius,* nonnulli Sacerdotes Archidioecesis Mechliniensis hac de re dubitare coeperunt et subest periculum, ut ex hac incertitudine zelus amplectendi Tertium Ordinem paulatim tepescat, praesertim apud Sacerdotes qui Tertio Ordini adscripti Congregationibus interesse raro possunt. Quapropter sequens dubium huic S. Congregationi Indulgentiarum proponitur:

Utrum valida sit vestitio et professio eius, qui a Sacerdote, habente facultatem, seiunctim ad Tertium Ordinem saecularem S. Francisci admittitur, quin alicui Congregationi adscribatur ?

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, relato dubio, rite perpenso, respondit : — *Affirmative.*

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 14 Iulii 1891.

J. CARD. D'ANNIBALE *Praef.*

L. % S.

A. ARCHIEP. NICOPOLIT. *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

PLAGENTINA

SOLUTIONIS

Die 12 Decembris 1891.

Sess. 7 cap. 14 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos Ioannes Vivaldi, frater minorum de observantia extra claustra, Apostolica venia, degens, initio anni 1890 Curiam placentinam adibat petens, ut parochus loci Muradolo, Lazarus Sanviti, ad solvendas libellas 560, quas sibi debitas esse contendebat, adigeretur. Exponebat enim se cum praefato parocho anno 1886 conventionem inivisse, vi cuius pro missa quotidie in paroeciali templo celebranda, nec non pro quibusdam muniis in parochi auxilium obeundis annua remuneratione libellarum 1100 rependendus erat. Hanc vero pecuniae summam, ratis portionibus libellarum 275 post lapsum cuiuslibet trimestris solvendam, se a mense Maio praefati anni ad mensem Aprilem 1888 integre recepisse fatebatur. Ast insequenti anno, qui fluxit ab initio Maii 1888 ad finem Aprilis 1889, quo tempore officium dimisit, sibi dumtaxat libellas 540 persolutas fuisse affirmabat. Addebat. insuper se omnia adhibuisse media, ut parochum Sanviti de adimplenda obligatione suaderet : illum vero debitum suum. ad libellas 285 coarctare, ac proinde reliquae summae solutionem constanter denegavisse.

Nam etsi per syngrapham id probare nequiverit, Sanviti, sategit tamen probare per iuratos testes, in iudicio instituto ad id in Curia piacentina.

Auditis testibus, cum iudex partes monuisset ut allegationes producerent, patronus parochi Sanviti asserens conventionem initam fuisse inter sacerdotem Vivaldi et consilium fabricae ecclesiae paroecialis, petiit ut et illud in ius

vocaretur, nec non hi omnes, qui conventionem subscripserant audirentur. Tunc die 31 Maii 1890 sententia interlocutoria dicta fuit, hanc petitionem reiiciens, atque die 11 insequentis Septembris, quin alii testes, quos parochus Sanviti, post publicatas aliorum depositiones, designaverat ad testimonium ferendum, admitterentur, declaratum fuit clausum processum ex officio.

Deinde pluribus utrinque deductis, die 13 Octobris 1890 sacerdos Vivaldi iuramentum sibi a iudice delatum praestitit autumans se non recepisse a Domino San viti lib. 275 pro mensibus Maii, Iunii, Iulii 1888.

Denique die 26 Novembris eiusdem anni sententia prodiit, qua parochus Sanviti damnatus fuit ad solvendas sacerdoti Vivaldi libellas 560, nec non iudicii expensas, quas ad summam libellarum 110 attingere ulteriori decreto statutum fuit. A piacentina sententia, tempore a iure statuto, parochus Sanviti appellationem coram S. C. C. interposuit.

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO PAROCHI. Ante omnia parochus Sanviti Vivaldio, utpote regulari, ius actoris partes suscipiendi denegat, qua de causa a iudicii limine, ut ipse ait, fuisset statim a iudice arcendus. Sane religiosus personam non habet standi in iudicio, et quae ab eo fiunt, sine praelati consensu, sunt ipso iure irrita et nulla, licet agatur de contractu, quem ante ingressum in religionem celebraverat. Navar. ***Comm.*** *2 De regul.*, Sánchez, Pirhing *lib. II, tit.-1, n. 29.* Nec temporanea venia degendi extra claustra quam exhibet, videretur iuxta receptam S. C. super disciplina regulari praxim, illi hanc facultatem et ius possidendi ac administrandi contulisse, cum indulta huiusmodi, stante votorum obligatione, stricte debeant interpretari.

At dato etiam quod partes actoris in iudicio suscipere posset, nulla tamen actio ipsi adversus parochum competeret. Conventio enim inter Vivaldium et consilium fabricae inita fuit, ac parochus tantum uti mediator vel ad summum

ut mandatarius interfuit. Id sacerdos Sanviti probare nititur -ex eo quod in art. 1 Decreti Imperialis diei 30 Decembris 1889 ab ecclesiastica auctoritate ratihabiti haec leguntur: « pertinet ad fabricam paroeciae consulere cunctis expensis tum pro materia > tum pro personis cultui necessariis. Recolit proinde summam libell. 1100 capellano assignatam, desumptam fuisse, quoad libellas 680 ex pio legato Dell'Ara, a consilio fabricae ecclesiae Cathedralis suppeditato, quoad alias libell. 220 ex nonnullis reditibus, consentiente Episcopo, a pio opere paroeciali tributis, ac tandem reliquas libell. 200 a collecta paroecianorum. Quibus assertionibus robur addere censet non modo syngrapham diei 30 Ianuarii 1889 aliasque, in quibus Vivaldius pecuniam accepisse fatetur « pro adimplemento legati *D air Ara* » ; sed etiam privatam illius epistolam, in qua pecuniae solutionem a fabricae praeside expostulat, « iuxta pacta conventa, et obligationes sibi impositas a Fabricae moderatoribus et a rectore Sanviti. » Dubitationem vero omnem adimere putat bina quae allegat documenta, scilicet decretum quo administratores pii legati Dall'Ara Vivaldium in capellanum nominaverunt et resolutio consilii fabricae qua summa libell. 200 ipsi, si paroeciani defecerint, adpromittitur.

Quod si parochus Sanviti a iudice interrogatus se conventionem cum Vivaldio iniisse non denegavit, id ita intelligendum esse affirmat, ut documenta allata demonstrant, nempe se pro fabricae consilio egisse ac, ea quae ab eo fuerant decreta, executioni mandasse. Quare iniusta sententia interlocutoria piacentini iudicis videretur utpote e diametro pugnans cum aequitate et codicis Gregoriani dispositionibus: *§ 85 seq.*

Post haec ad intrinsecum quaestionis meritum devenientes, animadvertendum est, solutionem libell. 275, circa quam praecipue controversia versatur, satis probatam videri ex iis quae testes sub iurisiurandi sanctitate deposuerunt. Omnes enim indiscriminatim testantur, parochum Sanviti, labente mense Iulio 1888, pecuniae summam Vivaldo misisse, quod ceteroquin ex ipsius recipientis confessione, sacerdoti Ricci

facta, abunde eruitur. Huius vero summae quantitas, cuius receptionis syngrapha nunc amissa fuit, liquet ex iis quae retulit testis Gambazza, quam attenta aetate, moribus et religione nulli suspicioni obnoxium parochus proclamat. Contra quam proinde nec famulatus exceptio valeret, cum, ut docet Pihring *Lib. II Tit. De test, et attest.,* Mascardus *De probat.* aliique, etiam famulorum testimonia admittenda sunt, cum veritati eorum nihil possit opponi et agatur de re quae intra domesticos parietes acta fuit. Quod si aliati testes in facto solutionis concordes, inter se aliquantulum differunt in minoris momenti adiunctis, id minime officit, teste Schmalzgrueber *Lib. II Tit. XX* § *III n. 106:* « neque obstat quod in circumstantiis temporis, loci, et aliis discordes sint; concordes sunt enim respectu eiusdem finis. > His autem testibus et alios adiungere parochus Sanviti cupiebat, ut res plenius in vado poneretur, ast secunda productio a iudice vetita fuit. Atque hic proinde et suas elevat querimonias, recolens ex iure canonico plures testium productiones permitti, scilicet usque dum veritas innotescat. Quod si petitio producendi novos testes, a parocho Sanviti facta fuit postquam iudex, proprio marte, ad publicationem priorum attestationum devenerat, id in eius damnum minime vergere deberet, cum ulterior testium productio fieri adhuc possit « si non utraque pars in publicationem consenserit, quia publicatio sic facta non est rite facta et consequenter nulla. > Schmalzgrueber *loc. cit.*

Verumtamen haec omnia iuxta parochum Sanviti fere ad abundantiam dicta essent, eo quia putat onus probandi Vivaldio, utpote actori incubuisse, cui oneri cum haud satisfecerit, esse locum tritae iuris regulae: « actore non probante reus absolvitur. > Iniuria igitur videretur iuramentum fuisse actori a piacentino iudice delatum, sive quia nulla nec semiplena probatio ab illo fuerat praestita, sive quia e contra per testes iam factum solutionis probatum fuerat. Quod si testium dicta haud valuissent ad omne dubium a iudicis animo removendum, parocho Sanviti iuramentum deferendum fuisset

ut plena evaderet ab eo allata semiplena probatio. Nec aliter tenendum esset etiam in hypothesi a tribunali ecclesiastico admissa quod Vivaldius semipiene probaverit: nam iuxta ea quae tradit Schmalzgrueber *Part. III tit. XXIV § 14 n. 4.* € Si semiplena 'probatio allata est ab utroque, » iuramentum deferendum est reo, ut patet ex § *sane cit. » loc. et I. admonendi 31 ff. h. t.* >.

Adnotat denique plures defectus, nec tantum quoad formam in acta processualia irrepsisse, ex quibus et aliud argumentum ad sententiam infirmandam desumi posset. Ac primo conqueritur eo quod nonnulla documenta ab adversario exhibita haud ostensa fuerint, qua de re non omnia media ad defensionem parandam sibi praesto fuisse affirmat. Dolet insuper sacerdotem Ricci in ecclesiastico tribunali praesentem adstitisse, cum reliqui testes deponerent, ac illum deinde contra iuris leges ad testimonium ferendum fuisse admissum. Praeterea, quod magis est, iuramentum actori delatum fuisse apparet postquam die 11 Septembris iudex declaraverat clausum processum ex officio; cum e contra ante conclusionem in causa, uti Doctores tradunt, deferri debuisset. Verba autem iuramenti non ita fuisse praescripta, ait, ut optatae probationi responderent.

DEFENSIO VIVALDI. Altera autem ex parte inepte modo proponi videtur exceptio, qua persona standi in iudicio Vivaldio denegatur. Agitur enim de exceptione dilatoria quae non in gradu appellationis, sed in ipso iudicii limine idest ante litis contestationem, ut eruitur ex *cap. 4 De excepi.* proponenda fuisset. At praeterea Rescriptum exhibetur quo Vivaldio ad hoc, ut familiae suae indigentiis subvenire posset indultum vulgo *di secolarizzazione* « quamdiu asserta perduraverit necessitas > a S. C. super Disciplina Regulari concessum fuit. Iamvero si, ut docet Schmalzgrueber *Part. III tit. I lib. IIj* regularis extra claustra degens superiorum venia v. g. studiorum causa, partes actoris suscipere potest, quia, ait, concessa licentia commorandi extra monasterium, praesumitur etiam licentia peragendi ea quae sunt necessaria,

ut pacifice vivat et sua iura conservet; ne gratiae Supremi Principis omnis effectus adimatur, profecto dicendum est iure repetendi coram iudice quod sibi debebatur Vivaldium minime carere.

Nec maius robur inesse alteri exceptioni videretur, qua parochus Sanviti contendebat Vivaldium non secum, sed cum fabricae consilio conventionem iniisse, ideoque et illud esse ad iudicium vocandum. Nam cum ipse die 20 Februarii 1890 obligationem a se assumptam iudicialiter confessus fuerit, non poterat deinde contrarium asserere iuxta Abbatem in *cap. praeterea 7 de testis cogend.* quia « confessio in continenti potest revocari non ex intervallo >. Hac autem confessione omnia argumenta in contrarium allata penitus destrui videntur, eo quod « confessio est plenissima probatio, ita ut superet et infringat omnes alias probationes factas per testes et instrumenta in favorem confitentis contrarium. » Schmalzgrueber *Part. III Tit. XVIII* § *2,* Rota in *nov. p. 3 decis. 758 n. 2* decis. 191 n. 62 p. 4 tom. 1 decis. 157.* Ceterum, quidquid sit de iis qui parocho pecuniam ad mercedem capellano persolvendam suppeditabant, quae sacerdos Sanviti deduxit nonnisi sponsionem partialem seu cautionem consilii fabricae ad summum ostenderent. Quod confirmatur epistola a parocho Vivaldio missa die 2 Febr. 1889.

In vado igitur posita conventione a parocho cum Vivaldio inita, haud inficiandum esset onus probandi factum solutionis ad San vitum pertinere. Verum equidem est generatim loquendo probationes ab actore in medium proferendas esse, ast uti egregie tradit Scmalzgrueber *loc. cit. tit. XIX § 2,* « Si reus opponat exceptionem affirmativam, h. e. si excipiendo aliquid asserat ex. gr. si petitus solutionem a creditore dicat se iam solvisse, tunc suscipit in se onus actoris quoad oppositas a se exceptiones. » Ratio est quia agere -is videtur qui exceptione utitur, et reus, iuxta vulgatum axioma excipiendo fit actor *I. agere I. ff. de excep. praescript. etc.* Parochum vero in solutionis peractae probatione defecisse placentinus iudex tenuit.

Neque iuridicis rationum momentis fulciri videtur parochi Sanviti querimonia quoad vetitam ulteriorem testium productionem. Sane in *cap. fraternitatis* et *cap. cum .venisset Be test, et attesi,* nec non in *Novella 94 c. 4,* aperte editur, post publicationem attestationum non posse testes produci, quia, ut doctores explicant, adest periculum ne aliqui testes subornentur, si partes ex publicatione intelligant priores non deposuisse secundum expectationem suam. Publicationem vero depositionum in themate factam fuisse partibus saltem tacite consentientibus ex processualibus actibus apparet.

Praeterea animadvertendum est non modo parochum Sanviti in probatione defecisse, sed plures et validas ex allatis documentis contra ipsum praesumptiones exurgere. Si enim inspiciantur syngraphae acceptae pecuniae a Vivaldio exaratae, in quibus hic se creditorem libell. 275 affirmat, dum reliquas summas « in acconto > solutas fuisse pluries scribit, haud presumendum videtur parochum iis tantum ad vitandas lites acquievisse, nec irregulares acceptilationes semel et iterum missas propulsasse. Insuper licet haud impossibile fuerit parochum Sanviti libellas 275 labente mense Iulio, ac alias libell. 150 die 6 Augusti insequentis Vivaldio persolvisse, autumat tamen iudex, attento forsan illius oeconomico statu, duas solutiones tam brevi temporis lapsu peractas probabilitatis speciem haud praeseferre. His accedit informis epistola a parocho sine subscriptione exarata et capellano missa. Ex qua epistola, quamvis sine die et consule, apparet ita parochum scripsisse ante ultimum trimestre, idest postremis diebus Ianuarii 1889, et tunc temporis Vivaldium plurium libellarum creditorem existere; quod profecto post solutionem mensis Iulii 1888, scribi non potuisset.

Iamvero si ex rubrica *cap. 2 tit. Be praesumpt.* « ex violenta praesumptione fertur definitiva » et ex *cap. 10 eiusdem tit.* < efficacior probatio requiritur ab eo qui probare vult illud quod non est verisimile, » haud videretur sententia piacentina in iuris praescripta impingere eo quod semi-

plenam probationem ab actore fuisse praestitam iudicavit. Perperam autem asseritur iuramentum esse deferendum reo: nam ut monet Gregorius IX *cap. 36 De iureiur.* « praesumptione faciente pro illo (actore) reo deferri potest ad ostendendam suam innocentiam iuramentum, nisi iudex, inspectis personarum et causae circumstantiis, illud actori videat deferendum. > "Unde Pirhing *h. tit.* putat rem hanc esse iudicis arbitrio relinquendam, « ut cui putat esse aequius ad veritatem obtinendam illud deferat. >

Tandem relate ad irregularitates quae in processu admissae dicuntur, observari posset, formulam iuramenti respondere exceptioni propositae a parocho Sanviti declarationem < d'ufficio chiuso il processo > non conclusionem in causa sed tantum finem discussionis importare; reliqua vero solida probatione destitui, ac utpote gratis asserta posse gratis negari.

Quibus animadversis propositum fuit diluendum

Dubium

An sententia curiae episcopalis placentinae confirmanda vel infirmanda sit in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita sub die 12 Decembris 1891, censuit respondere: *Sententiam esse confirmandam et amplius.*

EX QUIBUS COLLIGES. I. Confessionem rei in iudiciis plenissimam efficere probationem; ita ut superet et infringat omnes probationes factas per testes et instrumenta in favorem confitentis contrarium.

II. Parochum in themate, iudicialiter confessum esse, obligationem a se assumptam fuisse, et ideo illum non alium satisfacere debuisse assumptae obligationi, et probare factum solutionis a se peractae.

ARETINA

IURIUM

Die 23 Ianuarii 1892.

Sess. 25 cap. 6. De reform.

COMPENDIUM FACTI. Pervertustae Cathedrali Aretinae in colle extra civitatem positae, Innocentius III cleri et populi votis annuens ut < concordiae civitatis et utilitati ecclesiae > consuleret, ecclesiam urbanam S. Petri maioris uniebat, atque apostolicis Litteris, datis kalendis Maii 1203, praeposito et canonicis veniam dabat, ut .cum omni iure et privilegiis ad eamdem ecclesiam transirent ibique résidèrent. Tunc, cathedrali ecclesia infra moenia translata, forsan initium sumpserunt controversiae inter illius clerum et insignem ecclesiam S. Mariae Plebis, quae usque adhuc, ut scribit Episcopus Albergotti, principem locum Aretii tenuerat et remotae cathedralis vices gesserat.

Dimidio ferme saeculo elapso, Guilelmus Episcopus animadvertens « quanta inter ipsas (ecclesias) hactenus discordia perduraverit occasione festivitatis beati Donati patroni nostri, quae principaliter voluit in utraque ecclesia celebrari, et propter quaedam alia per quae in civitate Aretina duo videbantur esse capita velut monstrum : nonis Maii 1250 decretum tulit, in quo haec statuebat : « dictam Plebem cathedrali Ecclesiae perspeximus uniendam, et unimus, addimus, et aggregamus, communicantes eidem Plebi honores Ecclesiae Cathedralis;.... decernentes,.... canonicos ecclesiae utriusque canonicam in utraque ecclesia obtinere, ac vicissim et communiter admitti ad lectiones, tractatus, negotia, et contractus; ita tamen quod per illud unitum humaniora privilegia, et laudabiliores consuetudines ecclesiae utriusque communiter, et aequaliter in ipsis ecclesiis a canonicis praefatae Plebis subsint praeposito aretino, et obedientiam, et reverentiam praestent et faciant eidem debitam et devotam, sicut canonici ecclesiae cathedralis; et quod praepositus et canonici

apud dictam Plebem residentiam faciant, quando et sicut eis placuerit et viderint expedire— Volumus insuper et mandamus quod singuli canonici suis singulis praebendis et beneficiis alias assignatis contenti existant sicut inter eos nunc observatur et est hactenus observatum ». Huiusmodi vero decretum ab utroque capitulo subscriptum. Innocentius IV ratum habuit, ac cum insertione totius tenoris Litteris diei 30 Octobris 1250 confirmavit.

Verum ex iis haud animorum concordia fluxit. Siquidem anno 1252 capitulum S. Mariae Plebis admitti contendebat « ad secreta capituli in ecclesia aretina et ad quotidianas distributiones et ad aequalitatem praebendarum cum canonicis ecclesiae aretinae; > cui tamen quaestioni, cum Romanus Pontifex cardinalem Aegidium iudicem dedisset, Plebanus Archipresbyter nuncium misit. Postea occursit sententia Cardinalium Medici et Salviati in Brevi Clementis VIII diei 8 Iulii 1596 praeinserta cum clausula *sublata* et decreto irritanti, in qua unio a partibus acceptata et per plures annos effectum sortita in pristinam observantiam revocatur et restituitur ita ut « eidem collegiatae ecclesiae S. Mariae Plebis eiusdemque capitulo et canonicis honores et privilegia dictae ecclesiae cathedralis censeantur et sint communicata et competant et competere intelligantur, et canonici collegiatae ad instar cathedralium habeantur, nominentur et reputentur ». In eadem sententia praeterea decernit « electiones, tractatus et negocia utriusque capituli, salvis infrascriptis, separatim pertractari debere in unaquaque ecclesia et capitulo, prout ad alterutrum spectant et pertinent.... quod in synodo pariter eligantur et electi intelligantur archipresbyter et decanus collegiatae ecclesiae, quibus pariter ac praeposito et canonicis ecclesiae cathedralis seu ex eis eligendis tam a Sede Apostolica, quam ab aliis cognitiones causarum et executiones literarum et aliorum quorumcumque similium committi possint.... In processionibus, etiam synodalibus, mortuariis, et aliis quibusvis actibus, et locis, in quibus utrumque capitulum, dignitates, et canonici convenient, et

tam sub uno vexillo, quam duobus servari mandamus, ut praecedant et praeeminentiam habeant praepositus, archidiaconus, primicerius et decanus cathedralis, et successive archipresbyter collegiatae, deinde canonici cathedralis, postea vero decanus et canonici collegiatae, et successive mansionarii cathedralis, et demum mansionarii collegiatae , prout de praesenti in aliquibus servatur— Item dicimus et declaramus quod, quotiesqumque contigerit canonicos utriusque ecclesiae simul reperiri in altera ex dictis ecclesiis, vel occasione processionis, vel mortuariorum, vel alia quavis causa, canonici cathedralis resideant et sessionem habeant a cornu evangelii, archipresbyter autem et canonici collegiatae a cornu epistolae, in aliis vero actibus archipresbyter recognoscatur in quinto loco, ut supra dictum est etc. ».

Post huiusmodi sententiam, et alia, anno 1639, partibus iterum contendentibus lata fuit a Caesare Argelo camerae auditoris locumtenente, capitulo S. Mariae Plebis omnino favens^ in qua effectus unionis ita enucleabantur : « reliqua omnia tamquam communia et commune interesse concernentia ab utroque capitulo simul unitim et coniunctim tractanda fuisse et esse, atque tractari, explicari, ac simul conveniri debere, velut in electione vicarii sede episcopali vacante: item in receptione novi episcopi, et possessione ei tradenda in perceptione et participatione spoliorum episcopi defuncti etc. ». Quae quidem sententia cum cathedralis ecclesiae capitulo haud 'arrisisset, quaestio apud S. R. Rotae auditorium deducta fuit, ubi pluries et coram pluribus agitata, favore capituli S. Mariae Plebis definita fuit.

Etenim die 1 Aprilis 1647 sententia prodiit R. P. D. Albergati decernens : « Unionem, Litteras Apostolicas et sententiam praefatam (nempe R. P. D. Ar geli auditoris camerae tunc locumtenentis) ad pristinam illarum observantiam revocandas, reducendas et restituendas fore et esse, prout restituimus, reducimus, et reponimus et observari mandamus in omnibus ac per omnia, prout in illis continetur ac disponitur: honoresque, privilegia et iura quaecumque

dictae cathedrali ecclesiae S. Petri, illiusque capitulo et canonicis quomodolibet competentia, competiisse etiam et competere ecclesiae S. Mariae Plebis, eiusque capitulo et canonicis; ac fuisse et esse communicata et communia, perinde ac si dicta duo capitula essent unum corpus et unum et idem capitulum, unitaque universaliter et indefinite sub uno capite; videlicet in eo quod negotia communia et commune interesse concernentia ab utroque capitulo simul unitim et coniunctim tractentur; in electione Vicarii, sede episcopali vacante, in receptione novi episcopi et possessione ei tradenda, in perceptione et participatione spoliorum Episcopi defuncti, in eo quod idem modus, qui servatur in ecclesia cathedrali et in ecclesia S. Mariae Plebis tam in eundo, quam in sedendo, et stando observetur in omnibus ecclesiis Civitatis Aretinae et in aliis, in quibus dicta duo capitula simul intervenire contigerit >.

Cui et alia accessit die 8 Martii 1652 coram Verospio superius relatam confirmans — Ibi —; < Quae quidem nostra diffmitiva sententia tamquam tertia et conformis, remedioque appellationis minime suspensibilis, in rem transivit iudicatam; ad cuius et aliarum praecedentium sententiarum et rei iudicatae inde secutae executionem procedere volentes... monemus... sub iisdem infrascriptis sententiarum poenis vos DD. Canonicos et Capitulum Cathedralis ecclesiae S. Petri Civitatis Aretinae ex adverso principales quatenus... ¡dictas unionem, Litteras Apostolicas et sententiam per bo. me. Cardinales de Florentia et Salviatum latam, prout in eis continetur et disponitur, observetis; dictosque DD. Canonicos et Capitulum ecclesiae S. Mariae Plebis de Aretio principales tam praesentes quam futuros, tamquam unum corpus et unum capitulum vobiscum facientes, honoribus, privilegiis et iuribus vobis competentibus, et aequaliter communicatis uti, frui, gaudere et potiri permittatis et sinatis. Ipsosque indifferenter in electione Vicarii sede episcopali vacante, in receptione novi episcopi, in possessione ei tradenda, in perceptione et participatione spoliorum episcopi

defuncti, vobiscum simul et coniunctim recipiatis et admittatis etc. ».

Deinde per aliquod tempus contentiones siluisse videntur, quin tamen diuturna animorum concordia induceretur. Namque die 13 Iulii 1743 Apostolicus Nuntius, Florentiae degens, episcopo Aretino scribebat : ut colligeret rationum momenta capituli Cathedralis et Plebis ad tollendas controversias et lites, quae inter eadem capitula continuo agitabantur. Nihilominus ex actis minime apparet an Supremi Principis voluntas executioni demandata fuerit.

Insuper die 8 Augusti 1744, Flavius Chisius Camerae Apostolicae auditor ad instantiam cathedralis capituli, in suo monitorio declarabat, nullum alium titulum quam canonicorum collegiatae, quo in sententia Cardinalium Medices et Salviati et successivis rotalibus decisionibus canonizati fuerunt, canonicis S. Mariae Plebis competere, ac « propterea nullum ius, nullamque actionem sibi competere concathedralem nominare etc. ». Nihilominus cum deinde iidem canonici libellum quemdam Congregationi SS. RR. porrexissent, ecclesiam suam renuntiare haud dubitarunt « Concattedrale Aretina » atque eodem titulo ipsa S. C. die 3 Iulii 1745 in rescribendo usa fuit.

Mox anno 1746 Litterae Apostolicae s. m. Benedicti XIV in forma Brevis prodierunt, in quibus duo S. C. Rituum decreta infra exponenda, ac per totum praeinserta approbantur et confirmantur, ac illis < inviolabilis Apostolicae firmitatis robur » adiicitur. Praedicta vero decreta ita se habent. In primo diei 21 Iulii 1668, petentibus canonicis S. Mariae Plebis, num vi unionis, regulares civitatis Aretii deberent incedere in funeribus sub eorum cruce, prout incedere debere declaratum fuerat sub cruce capituli cathedralis, responsum datum fuit: « *Non suffragari privilegium cathedralis ecclesiae S. Petri capitulo ecclesiae S. Mariae, nisi coniunctim procedant* ». Aliud vero datum die 22 Septembris 1745 est. « SSmus Dnus Noster Benedictus XIV mandavit expediri Decretum per secretariam Congregationis

sacrorum Rituum, in quo declaratur attentatam, irritam et nullam esse denominationem concathedralis a canonicis Sanctae Mariae Plebis Aretinae de recenti usurpatam, atque insuper huiusmodi denominationem in decreto eiusdem Sacrae Congregationis iam sub die 3 Iulii proxime praeteriti edito, per errorem Secretariae ipsius Sacrae Congregationis fuisse adhibitam, prout vigore praesentis Decreti declaratur ». Apostolico tamen Brevi civilem potestatem suum placitum denegasse, capitulum ecclesiae cathedralis affirmat.

Quadriennio post sedatis animis, utrumque capitulum simul preces eidem Supremo Pontifici porrigebat, ut ad mutuam concordiam fovendam quaedam honoris insignia sibi conferre dignaretur. Quibus benigne annuens Benedictus XIV, Apostolicis Litteris VI Idus Augusti 1750, canonicis « cathedralis ecclesiae Aretinae ac... Ecclesiae S. Mariae Plebis nuncupatae, eidem cathedrali ecclesiae perpetuo unitae » petita insignia concedebat.

Quaenam vero consequens observantia fuerit, praesertim quoad iura a rotalibus decisionibus capitulo S. Mariae Plebis assignata, ex partium disceptatione patebit. Hoc tantum commemorare praestat, Episcopum Fiascaini die 14 Maii 1857 in quibusdam litteris commendatitiis, S. Sedi transmissis scripsisse: capitulum s. Mariae Plebis frui in praxi iisdem privilegiis distinctionibus, praerogativis quibus fruitur aliud capitulum Cathedralis; ac in postrema electione Vicarii capitularis et sequenti novi Episcopi possessione utrumque capitulum insimul partem habuisse.

Latis recentiori aevo, a civili potestate iniquis legibus, quibus collegiatae ecclesiae in Italia suppressae declarabantur,. capitulum S. Mariae Plebis, ut indictam extinctionem effugeret ad supremum status consilium provocavit, contendens suum canonicorum collegium, utpote concathedrale haud esse suppressioni obnoxium. Et re quidem vera propitiam semel et iterum obtinere valuit. Ast Regium, ut aiunt, demanium, in Ecclesiae rebus demendis peritissimum, animadvertens ex lege civili duodecim tantum canonicos in una-

quaque cathedrali servandos esse, ex his sex capitulo S. Petri ac totidem capitulo S. Mariae Plebis assignavit, Tum canonici ecclesiae cathedralis, ne dimidiam patrimonii sui partem amitterent et ipsi ad idem status consilium recursum habuerunt, a quo edita prius sententia penitus revocata fuit. Mox capitulum S. Mariae Plebis, postquam die 17 Iulii 1876 bonorum suorum iacturam fecisset, ecclesiastica auctoritate consentiente, coram laicis iudicibus fiscum condixit, qui et capitulum ecclesiae cathedralis ad litis communionem vocavit. In tribunali Aretino res capitulo S. Mariae Plebis prospere cessit, eique causa adiudicata fuit. Sed cum fiscus et capitulum S. Petri ad florentinam appellationis aulam provocassent, ibi magistratus aretini sententia exauctorata est die 5 Iulii 1887.

Paulo post, archipresbytero S. Mariae Plebis e vivis sublato, cum canonici S. Petri in suspicionem venissent, aliqua verba in Apostolicis Litteris novae archipresbyteratus provisionis irrepsisse, quae graviter laederent iura Cathedralis huius, ut aiebant, protestationem Plebano Capitulo transmiserunt, quo die electus archipresbyter in sui beneficii possessionem veniebat. Hinc iam discordes animi ad praesentem quaestionem conflagraverunt. Namque ineunte mense Iunio 1890, capitulum S. Mariae Plebis in supplici oblato libello iura vi unionis et iudicialium sententiarum sibi competentia recolens, Supremum Principem deprecabatur ut dignaretur praemonere Canonicos s. Petri ne in posterum valnerarent iura confratrum Plebis, praesertim casu quo eligendus sit Vicarius capitularis. Quae cum canonicis S. Petri innotuissent, indeterminata eis petitio capituli S. Mariae Plebis visa est, atque a S. C. postulaverunt: ut decernere dignaretur, Capitulum s. Petri Apostoli esse solum, verum et effectivum capitulum Cathedralis aretinae; et ecclesiam s. Mariae Plebis non esse cathedralem, aut concathedralém; et consequenter Capitulum huius Ecclesiae, non frui aliquo ex iuribus et praerogativis, quae privative pertinent ad capitulum Cathedralis. Tum capitulum S. Mariae Plebis pri-

mum libellum magis enucleans, iteravit se petiisse ut definiretur : < capitulum ecclesiae s. Mariae Plebis Aretinae alteri capitulo ecclesiae cathedralis aeque principaliter esse unitum: ita ut utatur, fruatur et gaudeat omnibus iuribus, honoribus, et privilegiis ipsi capitulo ecclesiae cathedralis competentibus et aequaliter communicatis, atque admitti debeat in electione Vicarii, sede ep isoopali vacante, in receptione novi episcopi in possessione ei tradenda, nec non in spoliorum participatione ipso praedefuncto, ut denique idem modus in incessu atque sessione adhibitus ab utroque capitulo servetur aretinae civitatis ecclesiis, quibus contigerit interesse. Quod tandem Arretii cathedralis est una, et duae ecclesiae sunt unitae quoad cathedralitatem (S. Rota *2 Decis. 1 Apr. 1647 cor. Corrado),* per quam unionem utraque ecclesia pro unica cathedrali constituitur » *(8 Maii 1652 coram Verospio).*

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO CAPITULI S. MARIAE PLEBIS. Patronus huius Capituli memorans petitionem suam, nedum totidem sed amplioribus verbis pluries a legitima auctoritate, et praesertim a decisionibus ac sententiis S. Rotae, quarum ultima in rem iudicatam transivit, fuisse sancitam, contendit, illam tanta evidentia fulgere, ut adversarii tamquam temere litigantes sint condemnandi. Deinde vix leviter attingit Episcopum Guillelmum Ubertinum, anno 1250 decreto superius relato, Ecclesiam S. Mariae Plebis, praevio consensu, in scriptis dato, ab utroque Capitulo, Cathedrali univisse et aggregasse, non modo quia « in Civitate Aretina duo videbantur esse capita velut monstrum, > sed etiam quia ob hostiles incursus eadem Cathedralis Ecclesia « remanserit desolata et clericorum solatio defraudata ; » quod quidem episcopale decretum ab Innocentio PP. IV in Apostolicis Litteris ex toto insertum, confirmationem et robur accepit. Innuit pariter, unionem ad observantiam revocatam fuisse per sententiam, inde ab anno 1596 latam a Cardinalibus

Alexandro de Florentia et Antonio Maria Salviati, de mandato S. P. Clementis VIII, qui deinde die 8 Iulii eiusdem anni sententiam ipsam confirmavit cum clausula sublata et decreto irritanti, ac postmodum sententiam hac super re a Caesare Argelo latam; quae omnia EE. PP. innotuerunt.

Rogat deinde ut perpendantur duae postremae decisiones ac sententiae, quae a S. R. Rota hac in re prodierunt die 1 Aprilis 1647 et die 8 Martii 1652, ex quibus prima prostat in *part. V Recentior, sub n. 37,* altera vero in *part. VI. Recentior, sub n. 224,* quarum sententiarum praecipua pars iam in facti specie relata fuit. In illo enim S. Auditorio die 1 Aprilis 1647 R. P. D. Albergatus definitive sententiavit unionem et sententias ad pristinam observantiam esse revocandas, et id capitulo S. Mariae Plebis quod hodie petitur competere decrevit, scilicet « honores, privilegia et iura quaecumque dictae Cathedrali Ecclesiae S. Petri illiusque Capitulo et canonicis quomodolibet competentia. > Huic vero sententiae pro parte canonicorum S. Petri acriter ex utroque validitatis et iustitiae fundamento impugnatae et pleniorem confirmationem et in tertia instantia accessisse memorat oraculo eiusdem Supremi Tribunalis coram Verospio, qui etiam, ut executor postremam sententiam minime appellationis remedio suspensibilem in rem iudicatam transiisse declaravit, et sub comminatione poenarum eius observantiam praecepit.

Iamvero compertissimum esse in iure adnotat, rem iudicatam pro veritate haberi, eamque • finem controversiae imponere, ita ut nemo amplius contra ipsam audiri possit. *Capp. 2> 4 et 20 De sent. et re iudic. cap. 5 De dolo et contum., leg. 25 De stat. hom., leg. 207 De regul. . iuris. S. H. C. in Bononien.* - In *Interpret, rescrip. 14 Maii 1881* (1) *I. 1 ff. De re iudic.* Rebuff. *tract, de appel, art. 1 gloss. 2 n. 18 tom. 3.* Scaccia *De appell, qnaest. 12 -n. 6.* Res enim iudicata facit de albo nigrum et de nigro album, et aequipollet cuicumque privilegio, pa-

(1) Eecole Vol. XIV, 347.

ctioni vel instrumento, ut aiunt Felin. *in cap. Quoniam contra n. 31 De probat. Sara*[1]*, conr. 61. n. 2.* Rota *coram Pamph. dec. 218. n. 6. et coram Priolo dec. 411 n* 5j et seq.*

Quae omnia magis in themate obtinere existimat, eo quod res iudicata ex plus quam biscentinaria observantia, nempe ad nostra usque tempora, robur accepit. Etenim iam inde ab initio, cum quidam clericus aretinus nomine Fabritius Guidi de Romanis in decimo quinto dumtaxat aetatis anno constitutus, dum adhuc sub iudicibus lis esset, ad canonicatum et praebendam S. Mariae Plebis esset nominatus, sequuta re iudicata, opportunam sanationem ac dispensationem ab Apostolica Sede illum implorare debuisse refert, eo quia « canonicatus et praebenda praefati non amplius collegiatae sed cathedralis ecclesiae existant, et propterea sacrum subdiaconatus ordinem adnexum habeant. » Quam quidem dispensationem concessam fuisse edicit ab Alexandro VII. Litteris datis die 18 Iunii 1655, sub muniniine « sigilli plumbei pendentis cum cordulis capitulum S. Mariae Plebis constanter partem habuisse enarrat in electione Vicarii Capitularis, sede episcopali vacante, in perceptione spoliorum Episcopi praedefuncti, in receptione novi Episcopi et in ceteris negotiis quae a cathedralium capitulis expediri solent.

Assertam vero hanc observantiam, innumeris documentis apud S. C. depositis, invictissime ostendi affirmat.

Si quae vero facta ex adverso opponuntur, nihil aliud, iuxta patronum, évincèrent nisi canonicorum S. Petri pertinacem animum, quo iura aliis quaesita laedere et debitam mandatis Apostolicis obedientiam detrectare conati sunt. Ceterum huiusmodi facta, quot et quantacumque demum fuerint, validum argumentum adversariis suppeditare non posse, luculenter erui animadvertit ex citata S. Rotae *Decis. 224 part. XI recent, nn. 5 et seqq.* - ibi -« Unio effectum sortita convincitur ac executioni demandata..... successive vero a S. M. Clemente Octavo Pontifice motu proprio confirmata sub clausula sublata ac irritanti decreto, et cum,

derogatione expressa consuetudinum quarumcumque facientium in contrarium, ex quibus non solum quilibet usus contrarius omnino censetur abrogatus, ad *Text. in cap. causas, C. De transactPet in L ff. eod. tit. etc.,* sed adempta praeterea facultas novum inducendi per actus praefatae confirmationi repugnantes, ut notat Felin. *in cap. cum accessissent n. 30 De Constitut.,* Alex *cons. 196 n. 13 lib. 2,* Ruix *cons. 13 n. 13 lib. 2* Gonzal. *ad regul. 8 gloss. 67 n. 12 etc.* aliterque interpretandi, ut notant Doctores, in *cap. Quia diligentia De elect. etc.* - Hinc vero corruere videntur actus omnes contra unionis observantiam ex adverso deducti, sive sententiam praecesserint, sive eamdem fuerint subsecuti, dum utroque casu ab Apostolicis Litteris irritantur, neque plenarie probantur executi vel privative quoad alterum capitulum collegiatae peracti >.

Nec quidquam contra facere autumat duo decreta S RR. Congregationis relata et approbata a Benedicto XFv m Brevi diei 11 Iunii 1746. In primis enim maxime dubitandum censet de validitate Brevis, utpote quod, si illum audiamus evidentissima subreptionis et obreptionis indicia praeseferat. Enimvero dici inibi recolet « attentatam, irritam et nullam •esse denominationem Concathedralis a canonicis S. Mariae Plebis Aretinae de recenti usurpatam: » quod longe admodum a veritate alienum proclamat. Siquidem memorat, ipsos S. Petri canonicos ante annos non minus quam bis centum et quadraginta, seu non minus quam nonaginta quinque annis ante datum Breve, denominationem cathedralis seu concathedralis ultro ecclesiae S. Mariae Plebis tribuere solere, contendentes imo ipsius capitulo non substantialia iura, sed tantum honorificam cathedralis denominationem competere. Id evinci contendit, nedum ex relatis, sed praesertim ex alia S. Rotae Decisione die *2* Iulii 1651 coram Corrado, quae edita prostat in *Part. XI Recentior, sub n. 156.*

Sane ibi sub. *nn. 5 et seqq.* haec habentur: « Nec obstat quod unio praefata non fuerit in pristinam observantiam plenarie atque absolute et substantialiter restituta, sed

tantum quoad honorificam cathedralis denominationem ac praerogativam dictae ecclesiae S. Mariae ac eius canonicis communicata, ut ex tenore eiusdem sententiae multipliciter ponderato interpretantur informante pro canonicis cathedralis. Nam huiusmodi interpretatio adversari prorsus videtur rationi et verbis, iustoque ac recto illius sensui. Rationi siquidem, quia certum est quod unio praedicta antiquitus facta fuit pro bono pacis, ut duo capitula in unum corpus vere et realiter redigerentur ad evitandas contentiones et scandala, quae ex eorum divisione pro veniebant..... Verbis autem, quia ut patet ex supra relatis, dicta unio revocatur ac restituitur in pristinam observantiam vere, realiter et cum effectu, non autem ad solam praetensam honorificentiam ac denominationem. Sensui demum sano ac recto; quia cum antiqua unio, cuius vigore antedictae duae ecclesiae in unam cathedralem, eorumque capitula in unum corpus vere et realiter redacta erant, ut ex illius lectura constat, fuerit per dictam sententiam ad pristinam observantiam revocata et restitutae censetur utique praefatae ecclesiae cum earum canonicis in eo ipso statu, loco et gradu integre reposita, in quo fuerunt productae ac unionis vigore constitutae (praeterquam in solis actibus in eadem sententia exceptis), iuxta L. *Quod si minor etc....* ita ut iura quaecumque ipsi cathedralis dignitati adnexa_____utriusque ecclesiae canonicis tamquam unicum cathedrale capitulum .constituentibus pariformiter sint communia et aequaliter competant, iuxta *Gloss. in cap. Et temporis etc*_____Illa vero, quae ad unumquodque corpus atque collegium a dignitate cathedralis abstractum spectant, peculiaria remaneant... Id enim non censetur absurdum in hac materia, in qua maxime attendi debet tenor unionis ac sententia et voluntas Summorum Pontificum illas approbantium et confirmantium. *Bald. cons. 359 etc.* »

Iamvero, concludit orator, cum ex his pateat non minus quam nonaginta quinque annis ante Breve datum vel ipsos adversarios cathedralis denominationem ecclesiae S. Mariae Plebis ultro concedere, profecto non intelligitur quanam

ratione huiusmodi denominatio ibi attentata ac de recenti usurpata dici potuerit. Ne igitur sapientissimo Pontifici Benedicto XIV gravis iniuria inferatur, tenendum patrono videretur obiectum Breve nonnisi per subreptionem atque obreptionem extortum fuisse, ac proinde ipsum Breve irritum ac nullum esse.

Verum dato etiam praefatum Breve nullo irritanti vitio laborare, nihil, si illum audiamus, adversarii proficerent. Inibi enim de nomine tantum agi contendit, idque deducit ex verbis : « attentatam, irritam, et nullam esse denominationem concathedralis. » Hic autem controverti memorat non de nomine seu denominatione, sed de re, idest de communione iurium, honorum ac privilegiorum cathedralitatis.

Atque hic recolit patronus huiusmodi denominationem « capituli ecclesiae canonice et perpetuo unitae cathedrali » ipsum Benedictum XIV tribuisse ecclesiae S. Mariae Plebis in alio Brevi diei 14 Augusti 1750. Quin imo, pergit, cum olim et praesertim diebus 12 Maii et 14 Iunii anni 1748, capitulum S. Petri nomine collegiatae dumtaxat ecclesiam. Plebis appellasset, declarare subinde debuit, die 22 Augusti eiusdem anni, « appellationem seu denominationem collegiatae irrepsisse per errorem et inad verteilter, et propterea velle haberi pro non expressa vel apposita; cum scilicet: sic denominari et appellari non debeat, sed appellari et denominari debeat ecclesia S. Mariae Plebis perpetuo canonice unita cathedrali Aretinae, prout appellatur et denominatur in actis curiae episcopalis. »

Praeterea in altero ex decretis in ipso Brevi praeinsertis enuntiari adnotat : « Stante quod dictum capitulum S. Mariae fuerit unitum anno MCCL per Episcopum Aretinum dicto capitulo cathedralis cum communicatione omnium honorum, privilegiorum et praerogativarum, » quae e diametro pugnant cum hodierno canonicorum S. Petri libello quo omnia iura et privilegia cathedralitatis Plebano capitulo denegantur.

Verumtamen et graviora perpendenda esse monet pa-

tronus. Iam EE. PP. innotuit executoriale decretum a R. P. D. Verospio post tertiam conformem sententiam latum quod ita concluditur: « Nos in vos_____ac contradictores quoslibet, et rebelles ac impedientes ipsos DD. canonicos et capitulum ecclesiae S. Mariae Plebis. . . . super praemissis in aliquo, ipsosque impedientibus dantes auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte directe vel indirecte per se vel alium seu alios ex nunc, prout ex tunc, et e converso singulariter et in singulos, dictis canonicis monitionibus praemissis, excommunicationis : in quarumcumque vero ecclesiarum et monasteriorum capitula et etiam promulgamus ». Et inferius adiicitur « Et si forsan (quod non credimus) dicti DD. canonici et capitulum cathedralis... parere et obedire neglexerint aut recusaverint, poenas sententias et censuras praedictas in eos, ut praefertur, latas damnabiliter incurrendo... mandamus quatenus praefatos RR. DD. canonicos et capitulum. . . . ceterosque contradictores.... sic excommunicatos publice denunciet et ab aliis... denuncian faciant.... » Nec satis; sed addi insuper, tradit orator, maximam aggravationem et reaggravationem poenarum, ac tandem invocari ipsum brachium saeculare.

Hisce positis, se praeterire, ait patronus, modernos canonicos S. Petri, licet multo quaesito colore et ingenio, auxilium fisco dedisse ad complendum spolium ecclesiae et capituli S. Mariae Plebis. Quaerit tamen num ipsi dum in praesenti stant controversia, et praesertim si in huiusmodi oppositione persistant, effugere censendi sint suprascriptas poenas et censuras in vim rei iudicatae et apostolica auctoritate latas. Atque huiusmodi interrogationi obvium putat responsum, si perpendatur vera causa, quae illos ad contradicendum movet, quam subobscure in suis litteris diei 2 Augusti 1890 interseruisse edicit, ubi legitur, capitulares S. Mariae Plebis preces SSmo porrexisse ut obtinerent « assistenza e difesa nella conservazione e nelF esercizio dei loro pretesi diritti dopo la sentenza della Corte Civile di Appello di Firenze del 18 Giugno e 5 Luglio 1887 ». Quorum verbo-

rum sensus erui existimat ex iis quae praepositus Iosephus Conti, « nella sua qualità di deputato alle liti del R. Capitolo di S. Pietro in Duomo, » die 23 Novembris 1885 coram laico iudice proferre non dubitavit, videlicet : « attesoché qualunque potessero essere gli effetti della unione del capitolo collegiale di S. Maria della Pieve al capitolo della cattedrale di S. Pietro, questo è ben certo che ogni effetto della unione stessa venne necessariamente a cessare per le disposizioni della legge del 15 Agosto 1867, che resero impossibile la combinazione dell' unione, ordinando la soppressione di tutti i capitoli delle chiese collegiate ».

Porro dum EE. PP. de istiusmodi causa iudicium remittitur, ea refert orator quae ad rem tradit Baldus in *Margarit. ad Innocent, loco repertor. in verbo Civitas*-*A*- « Civitas, collegia, ecclesia, omnia ista possunt destrui auctoritate superioris causa cognita, et tunc perdunt omnia privilegia civitatis et collegii etc. Si autem de facto a praedonibus, latronibus vel tyrannis etc. opprimatur, capiatur et destruatur monasterium, ecclesia vel civitas, tamen sine ullo corpore materiali vivit quodam intellectu, et extat anima, ut ita dicam, sine corpore et retinet omnia privilegia; et cetera iura, quae durabant habitu, reducuntur ad actum ipso iure. Et est ratio differentiae, quia quando de iure destruitur, titulus cassatur, sed facti calamitas titulum non aufert neque nomen. » Cui concinunt Lotterius *De re Benef, lib. 1, qu. 14, num. 107,* Piton. *Discept. Eccl. 8, n. 17* etc.

Tandem tam perspicua esse, ait patronus, quae hucusque disseruit, ut minor quidem sed sanior pars ipsius capituli S. Petri facinoris particeps contra ecclesiam Plebis esse noluerit. Nam, ut patere ait ex ipsis adversariorum litteris ad S. C. C. datis die 2 Augusti 1890, ex duodecim canonicis tres citati « con espressione di causa » comitiis capitularibus minime interfuerunt; quartus, licet intervenerint, a ferendo suffragio abstinuit; quintus autem ab oppugnanda plebani capituli petitione absolute abhorrendum esse censuit.

DEFENSIO CAPITULI S. PETRI. EX altera vero parte capituli cathedralis patronus asserens, capitulum s. Mariae Plebis contendere, unionem ab Episcopo Guilelmo quodammodo inter duas cathedrales fuisse initam, in primo suo orationis capite demonstrare aggreditur praefatam s. Mariae ecclesiam numquam ante unionem cathedralitate praestitisse. Memorat enim vetustam cathedralem extra civitatem saeculo quinto aedificatam fuisse, ibique moram fecisse Episcopum et canonicos usque dum anno 1203 ecclesia S. Petri eidem cathedrali fuit unita. Illam vero longe aliam esse ac ecclesiam S. Mariae Plebis nedum evinci, ait, ex innumeris documentis allatis, in quibus ipsi sub nomine episcopii vel domi vel canonicae S. Donati designatur, sed etiam auctorite commentarii Episcopi Albergotti, ubi huiusmodi opinio refellitur. Ceterum ex decreto unionis anni 1250 atque ex ipsis verbis quibus Episcopus Guilelmus usus fuit, luculenter eruitur in civitate aretina duo videri non tamen reapse adesse capita. Sed haec quae et in synopsi historica seorsim circumferenda expenduntur hic tantum innuisse sufficiat.

His praemissis, orator ostendere satagens per decretum unionis, ecclesiam S. Mariae Plebis cathedralitatis dignitatem ac iura acquirere non potuisse, recolit ex Devoti *Inst. Ub. 2. tit. 14 sect. 2 §. 18* unionis triplicem esse speciem, nempe subiectivam, incorpora ti vam ac aeque principaliter, quae postrèma fit « iure coaequali, cuiuslibet natura et statu non immutatis » et ut scribit Card. De Luca *Miscel. disc. 1 n. 19* « in cathedralibus praesertim magis in usu est ». Iamvero pacificum esse dicit inter partes, hic non agi de unione subiectiva sed totam quaestionem quoad duas alias species versari. Orator tuetur in casu unionem aeque principalem existere, ita tamen ut utraque ecclesia suam, ut antea naturam et iura retineat, ac unum utrique sit caput, ac proinde excludendam censet adversariorum sententiam, qui unionem incorporativam simul cum aeque principali concurrere, si illum audias, admittunt.

In iure igitur recolit unionis aequae principalis effectum

esse ut utraque ecclesia in eodem statu maneat prout ante unionem, et ita ut scribit Francés *De ecclesia cath. cap. 8 n. 143* « si una ecclesia erat cathedralis, altera abbatialis, praelatus erit episcopus unius et abbas alterius : *argument., textus in cap. 2 de relig, domib,* quia per talem unionem ecclesia non mutat statum: *c. Felix 16 qu. 1 et per text. in c. De quorum, de consecrat, dist. 1.* etc. •» Gagliardi *de benefic. cap. 4 n. 5.* Quod adamussim factum fuisse existimat in unione Episcopi Guilelmi, in qua cum statuitur « quod archipresbyter et canonici praefatae plebis subsint praeposito aretino eique obedientiam et reverentiam praestent, » iam cuique sua iura integra manent, alteri primatus, alteri inferioris ordinis.

Praeterea immutationem status deprehendi etiam affirmat nedum ex eo quod in unione Episcopus decreverit, ut singuli canonici suis singulis praebendis et beneficiis alias assignatis contenti existant, sicut inter eos nunc observatur, et est hactenus observatum: « sed etiam ex sententia Cardinalis Aegidii, pontificii legati et cardinalium Medici et Salviati qui renuntiarunt electiones, tractatus et negocia utriusque capituli, salvis infrascriptis, separatim pertractari debere, in unaquaque ecclesia et capitulo, prout ad alterutrum spectant et pertinent >. Monet autem, infrascripta quae in decreto sequuntur, nihil aliud commune omnibus designare quam honores iusta ratione inter capitula distribuendos in sedendo vel indicendo, cum vel in eamdem simul ecclesiam vel in idem funus, easdemque publicas supplicationes conveniant. Tum anno 1643 luculentius aliud accessisse adnotat cum, duobus tantum canonicis in cathedrali Aretina residentibus, Pius II quatuor canonicatus in eadem ecclesia de novo creaverit et.erexerit. Verum sicut multi plebani canonici tunc existentes haud obstaverunt ne Summus Pontifex divini cultus imminutionem et detrimentum in cathedrali doleret, ita postea novos canonicatus utrique pariter ecclesiae minime assignatos fuisse constat.

Perperam igitur, adurget patronus, adversarios funda-

mentum unionis in unum corpus in sententia cardinalium Medices et Salviati ac in uteris Clementis VIII constituere. Siquidem ibi tantum de praecedentiae lege sermo est, quae potius distincta corpora et subiectionem capituli S. Mariae Plebis innuere videtur. Nec obiici posse, ait, hic praeeminentiam occurrere quae in omnibus capitulis ratione dignitatis vel praebendae inter unius corporis membra viget: siquidem verba quae ibi leguntur: < canonici cathedralis resideant et sessionem habeant a cornu evangelii, archipresbiter autem et canonici collegiatae , a cornu epistolae » non inter personas sed inter corpora praeeminentiam adesse demonstrarent.

Adversariorum autem sententia, qua tuentur unionem aeque principalem per confusionem factam fuisse ita, ut cathedralis quidem ecclesia S. Petri permanserit, sed utrique capitulo iura cathedralitatis assignata fuerint, iuxta patronum iuridicis rationum momentis destituitur. Nec dicant, pergit, unionem aeque principalem et in unum corpus fieri posse iuxta rerum adiuncta : namque si tot fierent unionum species quot rerum adiuncta occurrunt, nihil unquam ex iure definitum «dici posset, ut animadvertit Pitonius in *disc, eccl. 9 n. 40* - ibi - « Hactenus in iure nostro non fuit adita nisi unica species unionis aeque principalis, quando scilicet fit unio quoad Praelatum dumtaxat, non quoad ipsas ecclesias, earumque iura et praerogativas, ut non solum docet Glossa etc. sed et omnes communiter canonistae >.

Ast dato etiam, hanc unionem mixtam, aeque principalem et in unum corpus, sive per distinctionem et confusionem quandoque fieri posse, non tamen inde sequeretur quod facta fuerit. Animadvertit autem ex iure ipso atque ex obvia ratione constitui, unionem mixtam exulare quoties in litteris unionis praecipiatur iura cuiusque collegii intacta manere, et per easdem litteras non laedi, ut demonstrare sategit, allata auctoritate Pitonii *cit. disc. 9 num. 4,* qui se refert ad Card. De Luca *in Miscellan.,* Pacian., Castropal. etc. Iamvero si textus unionis Episcopi Guilelmi conferatur,

apparere edicit, ita eam factam fuisse ut quaelibet corporum confusio removeretur. Atque adversarii qui in civili appellationis iudicio Pitonium invocabant, insidiose vel saltem erronee argumentatos fuisse existimat, cum loco ab eis citato praefatus auctor aliter omnino senserit.

Ceterum ipsam unionis causam, quae mens et anima est totius dispositionis adversariorum intentioni refragari putat. Praesumi enim nequit, iuxta patronum, Episcopum ecclesiae suae dignitati ac praesertim iuribus praeiudicium inferre voluisse, paulo postquam Innocentii III decreto contra adversarios « cathedrali S. Petri, eiusque canonicis principatus omnis perpetuo addictus est. » Imo etiam constare observat, Episcopum, eo consilio unionem fecisse, ut cathedrali ecclesiae opem ferret. Canonicos autem Cathedralis S. Petri ad iuris tramites de suo consensu requisitos illum praestare haud renuisse, et unionis decretum et Innocentii IV literae aperte fatentur. Quare, ratiocinatur patronus, aut praesumendum est canonicos cathedralis qui, dum nihil adipiscebantur omnia sua iura plebano capitulo conferebant, amentia laborasse, aut commixtio in unum corpus est penitus removenda. Communicatio enim inter summum et infimum dari non potest, et si commixtio in unum fiat, ex parte capitis diminutio habebitur, ex altera augmentum cum maioris imminutione. Concludit igitur iura omnia cathedralitatis quae in ecclesia S. Petri erant nec abrepta nec imminuta per unionem fuisse : ecclesiae vero Plebis quae antea non erant, non accessisse.

Quod vero in specie attinet unionem ecclesiae collegiatae cum cathedrali , monet status mutationem vel ante vel in actu unionis in alterutra contingere debere. Itaque, ait, in unione inter collegiatam ecclesiam et cathedralem, si erectio collegiatae in cathedralem praecesserit, utraque pariter iure cathedralitatis potiretur : si nec praecesserit, nec in actu ipso luculenter definiatur, ab hisce iuribus perpetuo removebitur. Ad rem Panormitanus *in cap. Novit, Ne Sede vae. num. 6:* € Si unitur ecclesia inferior ecclesiae cathedrali, nec exprès-

se erigitur in cathedralem, tunc ista inferior remanet in suo statu, et sedes est apud primam dumtaxat. » Oui consonat Piton, *in cit. disc. 9 num. 42.* Atqui, subiungit orator , nihil est in litteris unionis quod erectionem ecclesiae Plebis in cathedralem vel levissime attingat. His addit, nec ullo modo potuisse Episcopum hanc erectionem inducere cum compertum sit, teste Rota in *dec. 784 cor. Molines num. 1 :* « erectionem ecclesiarum cathedralium, beato Petro eiusque successoribus Pontificibus esse reservatam > De Luca *De praeemin. disc. 7 num. 45;* Barbosa *Iur. eccl, lib. 1, cap. 2, De Pot. et auct. Summi Pontif. num. 137;* Bouix De Capitulis *pag. 189 etc.* Inepte vero obiici autumat quinque elapsis mensibus post decretum Episcopi,' Litteras Apostolicas accessisse Innocentii IV, quibus Pontifex unionem sancivit, ac propterea quidquid contra legem commissum fuerat, ita sanaverit. Namque cum ibi haec verba prostent : « Quod ab eodem electo provide factum est, in hac parte ratum et gratum habentes, illud auctoritate apostolica confirmamus; •» sequitur praeter ea quae gesta fuerant, idest decretum unionis, Apostolicas Litteras protendi non posse. Cum autem ibi de collegiatae in cathedralis erectione mentio nulla fiat, nulla posset quoad hoc invocari sanatio.

Ulterius contendit patronus statum cathedralitatis privative ad S. Petri capitulum pertinere, attenta etiam perenni saeculorum consuetudine. Ad hoc innumera congerit testimonia ex authenticis documentis excerpta, in quibus ecclesia S. Petri, modo cathedralis, maior ecclesia et Episcopatus Aretii, modo aliarum ecclesiarum civitatis et dioecesis aretinae caput et mater denominatur, dum ecclesia S. Mariae tantum collegiatae aut Plebis nomine designari consuevit. Cum autem huiusmodi distinctae denominationes ad haec usque tempora in privatis et publicis actibus, et praesertim ab Episcopis et ab ipso Romano Pontifice in suis litteris passim adhibitae demonstrent, iuxta patronum, capitulum S. Petri videntibus et vigilantibus adversariis

sexcentuni annorum spatio in conditione primatus et cathedralitatis fuisse versatum, profecto ad eam adstruendam et saeculorum consuetudinem concurrere inficiari non posset. Ad rem Rota in *dec. 849 cor. Molines n. 29* - ibi: - « Ex hac igitur diversa denominatione canonicorum arguitur totalis inter illos separatio, et quia titulus capituli cathedralis fere semper datus conspicitur canonicis S. Iustinae et non illis S. Antonini, dicendum est cathedralitatem fuisse in illam omnimode translatam, ex relatis per Francés *De eccl. cath. cap. 8 num. 176.* Tanto magis quia ecclesia S. Antonini recensetur iuxta dictum historicum inter alias collegiatas, prout semper in posterum hac collegiatae nuncupatione fuit nominata, quod excludit cathedralitatem: Rota *cor. Cerro dec. 587 num. 5 et dec. 56 num. 33 par. 19 rec. »*

Quibus omnibus etiam ex monumentis, unde Plebanum Capitulum praesidium mutuatur, robur accederet. Siquidem sive in unionis decreto, sive in sententia Cardinalium Medices et Salviati et in ipsis Clementis VIII litteris, duae ecclesiae et capitula non tantum S. Petri et S. Mariae, sed etiam cathedralis et collegiatae vicissim nuncupantur. Ast neque ad evidentiae fastigium, canonicorum Plebis confessionem deesse patronus monet. Etenim et illos anno 1671 post rotales decisiones cathedralitatem privativam ecclesiae S. Petri agnovisse recolit in transactione «. inter perillustrès et revmos canonicos et capitulum ecclesiae cathedralis et perillustres et revmos canonicos S. Mariae Plebis civitatis Aretii, » et postea rursus in capitulari consulto diei 17 Septembris 1750, cum simultatum et quaestionum finem promiserunt.

In quarto suae orationis capite demonstrare nititur patronus, rotales decisiones vel ad universale ius cathedralitatis non pertinere, vel posterioribus Sanctae Sedis definitionibus fuisse obliteratas. Ac in primis censet illas haud rei iudicatae exceptionem parere. Siquidem, ut tradunt Paulus et Ulpianus */. 12* L 13, I. 14 ff. De excepi, rei iud.*

ut haec exceptio locum habeat oportet praesertim eamdem causam agi.

Iamvero in rotali iudicio duo disputata fuisse recolit: primum utrum unio vigeret nec ne, et Capitulo Plebis prodesset : alterum, in quibus prodesset. Ita in prima decisione *2 Iunii 1645 cor. Ghislerio «* A qua sententia cum fuerit interposita appellatio et causa mihi commissa , sub die 18 Maii 1642 proposui dubium - An supradicta unio suffragetur et in quibus . » Definitum autem fuisse enarrat unionem non ad omnia cathedralitatis iura capitulo S. Mariae Plebis suffragari, sed in quibusdam tantummodo casibus peculiari mentione expressis. Sane adurget orator, primae actionis sententiae plures huiusmodi casus admiserat, ut patet ex decisione *2* Iunii 1645; verum postea, die nempe 8 Martii 1652, ex decem casibus primitus admissis, ceteris reiectis, quinque tantum excepit. In secunda enim decisione « electio subcollectoris spoliorum revisio computorum facienda eidem subcollectori... deputatio seu electio universalis canonicorum per episcopum facienda pro visitatione Dioecesis locorumque piorum, examine ordinandorum et approbatione ad beneficia » Plebano Capitulo haud assignata fuerunt. Ast in causa quae modo coram S. C. C. agitur, numquam cathedrale capitulum unionem oppugnasse affirmat, neque tantum, ut ex ipso canonicorum S. Petri libello patet, de aliquibus, sed de universo cathedralitatis iure disputatur. Cum igitur iuxta patronum, non una eademque sit causa, frustra reiiudicatae exceptio ex rotalibus decisionibus desumeretur.

Verumtamen, animadvertit, quidquid sit de veteris iudicii finibus, in rotalibus decisionibus verba interdum occurrere, quae ad plenum ius cathedralitatis et ecclesiarum coniunctionem in unum corpus referuntur. Attamen asserit, in S. Auditorio ad damna praecavenda, quae ex inconsultis animadversionibus in decisionibus occurrere poterant, usitatam semper distinctionem fuisse inter ea quae substantiam causae respicerent, et ea quae incidenter praeter iudicii terminos elaberentur, ita ut illa tantum attendi deberent, haec

scriptori decisionis, non iudicum suffragio adscribi. Rotam Fanen. *Restii, in integrum 4 Martii 1853 cor. de Witten §. 11. Decis. 299 coram Seraphino §. ult. et Decis. 498 n. 9 cor. Dunozett.* Unde concludit : aut contra mentem iudicum extensor decisionum aliqua posuit verba et arbitrio munus excessit; aut officium laedere noluit et verba iuxta sententiam accipi debent.

Haec vero quasi ad abundantiam dicta censet orator, cum post decreta C. SS. Rituum in Brevi Benedicti XIV praeinserta, omnem vim veteres sententiae amisisse videantur. Iam EE. PP. innotuit Apostolicum Breve anni 1746 una cum praefatis decretis, quae omnia lata fuisse memorat patronus, tum ad intemperantiam adversariorum qui etiam SS. RR. C. deceperant compescendam, cum ad delendum monstrum concathedralitatis, ex quo tot controversiae dimanaverant. In his vero monumentis de universo agi cathedralitatis iure patronus contendit, idque sive ex petitionibus Plebani Capituli, sive ex verbis quibus S. C. usa fuit, deducere nititur.

Temere autem contra Apostolicas Litteras obiici observat obreptionis vitium, quasi altera tantum parte audita prodierit. Namque Apostolicus in Hetruria Nuntius die 13 Iulii 1743, ut in facti specie notatur, Episcopo scribens, mandabat « di communicare questa notizia a tutti e due i capitoli, acciò ognuno di essi per la sua parte mi faccia avere stragiudizialmente un sommario delle proprie ragioni. » Imo vero, anno postmodum elapso, Flavius Chisius monitorium in adversarios tulerat : « Mandamus per praesentes quatenus decimaquinta die ab exequutione praesentium computanda, compareant Romae in iudicio legitimo coram Nobis etc. » Quibus fastigium accedit ex eo quod Brevi adiecta fuit clausula « sublata » et decretum irritans , quibus positis , adversariis fas haud esse dicit absque venia Pontificis placitum in discrimen adducere. Temere pariter opponi censet quod Benedictus XIV posterioribus litteris aut factis quod ante decreverat de universali iure cathedralitatis improbaverit ;

siquidem concessio honoris insignium nullum argumentum suppeditare potest. Eo vel magis quia in ipsis concessionis litteris, uti superius relatum est et distinctio inter cathedralem et collegiatam aperte enuntiatur, et Plebani ipsi canonici paulo post declaraverunt « che nella enunciativa dell' emanato Breve per tale indulto non hanno che opporre,.... ma contentarsi di quanto hanno presentemente e che possedono ».

Nec regerere valeret, si patronum audiamus, ecclesiam S. Mariae Plebis utique cathedralem non esse, attamen omnibus cathedralitatis iuribus pollere. Equidem, uti ex partium libellis atque ex dubio eruitur, in hodierna quaestione iura cathedralitatis sibi vindicat S. Mariae Plebis capitulum quae obtinere non posset nisi cathedralis vel concathedralis existat. Ceterum, animadvertit, paritatem inter utrumque Capitulum excludi ex ipso decreto unionis, in quo Plebanis canonicis iungitur t subsint praeposito Aretino et obedientiam et reverentiam praestent et faciant eidem debitam et devotam... ita ut sit unum caput in ipsa ecclesia, » nec non ex eo quod cathedralis canonicis permittitur, quod « apud dictam Plebem residentiam faciant quando et sicut eis placuerit, et viderint expedire, » quod vicissim adversariis haud concessum reperitur. Praeterea in Constitutione Clementis VIII non alternativa sed primatus capituli cathedralis in procedendo mandatur; atque huiusmodi primatum in reliquis ex Episcoporum visitationibus, nec non ex quadam transactione quoad spoliorum Praesulis Salviati perceptionem abunde erui existimat. Inter haec praesertim commemorandae veniunt Litterae Apostolicae Alexandri VI, in quibus praeposito et canonicis ecclesiae cathedralis vestes diversae ab illis, quibus etiam Plebani canonici utebantur, concessae fuerunt, ideo ut distinctio inter maiorem ecclesiam et inferiores adesset.

Demum patronus obiectioni occurrens quae post haec de unionis inutilitate proponi posset, tuetur in casu capitulum ecclesiae S. Mariae Plebis alteri capitulo cathedralis aeque

principaliter fuisse unitum, cuius unionis effectus est, ut duo unita corpora in omnibus ut ante distincta maneant, sed uni capiti subiiciantur, ut docent De Luca *De praeem. disc. 29 n. 29, De parochis disc. 35 n. 5. Barbosa Iur. Eccl. Univ. lib. 3 cap. 16 n. 21* Francés *De eccl. Cath. cap. 6 n. 134.* Hanc autem praecise fuisse mentem Gulielmi Episcopi eruit patronus ex eo, quod Plebis capitulum cathedralis praeposito subesse iusserit. Ceterum iuxta ea quae habet SS. RR. C. decretum, unio etiam suffragari observat quoad honorum communionem quoties coniunctim procedant, ast minime in iis negociis quae ad privativam cathedralitatem pertinent, sive ad iurisdictionem capituli cathedralis.

Praesertim vero relate ad electionem vicarii capitularis, sede vacante, quam plebanum Capitulum sibi etiam nunc vindicat, adnotandum ducit, agi de actu iurisdictionis, qui absque cathedralitate exerceri nequit, uti ostendere satagit auctoritate Card. De Luca *in Adnot. ad S. C. T. disc. 31, n. 1 seq.* nec non Leuren, in *Foro Benef. t. III. tract, de cap. sed. vae. c. 1 q. 455.* Enarrat autem cohaerenter ad haec, vacante sede aretina, iurisdictionem semper nomine capituli cathedralis fuisse exercitam, velut innumera documenta et ipsa sigilla quibus Curia et Vicarius capitularis utitur absque exceptione demonstrant. Tametsi observat, cum voluntas ad incognita et eo minus ad ea quae non sunt ferri nequeat, haud tueri potest Guilelmum Episcopum implicita voluntate Plebano Capitulo contulisse ius, quod ante Tridentinum non aderat. Iure enim antiquo iurisdictio, defuncto Episcopo, per canonicos in communi gerebatur, et propius ad casum, antiqua monumenta docent, « quod cum moritur Episcopus Aretinus, remanent vicarii in spiritualibus praepositus, archidiaconus et primicerius >. Neque Rotam, ait, conferre potuisse capitulo S. Mariae Plebis partem iurisdictionis, de qua et sententia cardinalium Medices et Salviati omnino silet, eo quod S. Auditorium unum poterat, voluit ac dixit, expendere scilicet, in quibus unio suffragantur. Praeterea monet orator, Breve Benedicti XIV , nisi

nil statuisse dicere velimus, dum cathedralitatem capituli S. Mariae Plebis negabat, et eiusdem ecclesiae canonicos ad iuris praescripta et ad ordinem restituendum ab electione Vicarii capitularis consequenter arcebat.

Neque demum ad praescriptionem confugere posse adversarios autumat orator. Namque eo tempore quod inter Tridentinum et rotales decisiones fluxit, ut documenta plura abunde docent, canonici S. Mariae Plebis nonnisi perraro et haud absque contentionibus in electione Vicarii capitularis partem habuerunt. Observantia autem post Litteras Apostolicas Benedicti XIV frustra invocaretur, quia constat eis a civili Hetruriae gubernio placitum iniuria fuisse denegatum; ac proinde cum contra non valentem agere, praescriptio non admittatur, nullum inde argumentum erui fas esset. De Angelis *Praelect. Iur. Can. lib. 2 tit. 6* Insuper vulgatum est ex Riganti *in reg. 4. Cane. Ap.* § *6 n. 52 seq.* Pontificis Litteras cum clausula *sublata* et decreto irritanti praescriptione utcumque immemorabili haud infringi posse. Tandem in praxi, cum nostro aevo dominantium leges regium placitum etiam in Vicariis capitularibus requirant, timendum putat orator, ne in casu quod electio cumulative fiat, denegetur *exequatur,* ut aiunt, electioni quae in civilem remiudicatam impingeret.

Quod si plebanum Capitulum, utpote iurisdictione carens, partem in Vicarii capitularis electione nequit habere, consequi ait patronus, idem tenendum esse de consectariis, videlicet de receptione novi Episcopi et de possessione ei tradenda. De participatione vero spoliorum, post transactionem iamdiu initam inter duo capitula, inutile censet disceptationem instituere.

Hisce adductis in utramque partem, propositum fuit diluendum

Dubium

An constet de cathedralitate privativa Ecclesiae S. Petri civitatis Aretinae, ita ut illius Capitulo tantum competant

omnia iura, privilegia et honores cathedralitatis; seu potius eidem Capitulum S. Mariae Plebis ita sit aeque principaliter unitum, ut praefata iura, privilegia et honores utrique cumulative sint adscribenda.

RESOLUTIO. Sacra Congr. C. re cognita sub die 23 Ianuarii 1892 censuit respondere : *Non constare de cathedralitate Ecclesiae s. Mariae Plebis; sed constare de unione capituli eiusdem Ecclesiae Capitulo Cathedralis Aretinae ad formam rei iudicatae rotalis: et amplius.*

EX QUIBUS COLLIGES. I. Capitulum s. Mariae Plebis honore cathedralitatis destitui ; sed frui, tamquam unum corpus et unum capitulum honoribus, privilegiis et iuribus competentibus capitulo Cathedralis.

II. Et ideo utrique capitulo, competere indiscriminatim ius eligendi Vicarium capitulare, Sede vacua, recipiendi novum Episcopum, ipsique tradendi possessionem, percipiendi et participandi spolia Episcopi defuncti.

ENGOLISMEN.

MATRIMONII

Die 12 Deeembris 1891.

Sess. 24 cap. 1 De refor. matrim.

COMPENDIUM FACTI. Die 6 Iulii 1865, in Ecclesia s. Leodegarii Urbis Compiniacensis, dioecesis engolismensis, iuxta ritum S. M. E. per verba de praesenti, matrimonium licite et valide contraxerunt Dominus Ioannes Oscar du Vignaud et Domina Sophia Magdalena Lecoq de Boisbaudran. Vix autem viginti diebus transactis a matrimonii celebratione, mulier coniugale domicilium, non amplius instaurandum, reliquit, inutiliter implorata semel, iterumque et tertio, a civili Tribunali, separationis sententia ; donec aliquot post annos , instante viro , civile divortium pronuntiatum fuit,

reiecta penitus actione reconventionali mulieris, eique expensis adiudicatis.

Post haec, repetito supplici libello, institit vir apud episcopalem Curiam engolismensem, ut dispensationem peteret a Summo Pontifice super matrimonio rato et non consummato. Episcopalis vero Curia preces remisit ad S. C. C. quae ex Audientia SSmi, sub die 28 Martii 1887, eidem Curiae commisit, ut processum construeret, usque ad sententiam exclusive, super non consummatione et super causis ad dispensandum, servatis in substantialibus Benedictina « *Dei miseratione* » et Instructione S. C. C. et cum facultate I° subdelegandi, quatenus opus esset; 2° dispensandi, si id casus ferret, super inspectione corporis mulieris; et 3° compulsando si necessitas cogeret, testimonia edita in civili processu.

Disceptatio Synoptica.

VOTUM THEOLOGI. Quaerendum mihi est, ait consultor, an ex deductis duo illa probata maneant, quae ex iure constare debent, scilicet et matrimonium revera consummatum non fuisse, et causas adesse ad dispensandum gravissimas. In hac autem inquisitione perficienda, cum quaestio tota circa factum versetur, hoc unum ex iure animadvertam, scilicet non consummationem matrimonii satis constare, quoties ad illam evincendam conspirent partium iuramentum, unanimes testium depositiones tum quoad factum ipsum, tum quoad partium veracitatem, et demum gravia adminicula ex ipsis causae, ut ita dicam, visceribus desumpta. Hoc adeo clarum est, et cetera ex iure adeo forent in casu inutilia, ut vos certo taedio afficerem, si illud probandum, et haec exponenda vel summatim assumerem.

Itaque ad factum quod spectat, matrimonium non fuisse consummatum ipse docet in themate actor, qui, licet fateantur se pluries matrimonialibus officiis operam dare voluisse, et licet subdere non dubitet se eo usque devenisse ut virilibus tangeret pudenda mulieris; tamen, iuramenti religione interposita, omni asseveratione affirmat, maritalem congres-

sum locum nunquam habuisse , idque ob adversos conatus, quibus viri petitionibus semper et contumaciter restitit mulier. Haec autem omnia, ut acta processus legenti patebit, talibus verbis exposuit vir, quae veritatis characteres omnino praeseferant, et omnem dubitandi locum evidentissime excludant.

Et iure quidem; testes enim omnes quos vocant, septimae manus, de viri veracitate plenissimum testimonium dicunt ; ita ut ne unus quidem adfuerit, qui illam vel saltem in dubium revocandam putaverit. Et notandum quod cum inter testes duo Parochi inveniantur, scilicet Archipresbyter Berbecillensis , et Curatus Castri novi, hi nedum de viri, sed etiam de aliorum testium veracitate testimonium dixerunt, aientes, omnes quidem commendabiles esse, quosdam vero inter ipsos speciali religione ac pietate fulgere.

Et parum esset, testes Actoris veracitatem iuramento affirmare, si de facto ipso non sequutae consummationis testimonium non dicerent. Atqui contrarium omnino accidit; testes enim omnes ex parte viri uno ore, matrimonium haud consummatum affirmant, asserentes se id didicisse vel ab ipso viro, tempore non suspecto, scilicet ante et immediate post coniugum separationem; vel a quadam fide digna muliere, quae tunc temporis ut familiaris degebat apud Coniuges ipsos; vel denique a publica fama, cum factum notorium esset etiam quoad speciales circumstantias ; ita ut cordatorum hominum admirationem excitaret, uti accidit Archipresbytero Berbecillensi, qui factum et circumstantias apud omnes pervulgatas invenit ab ipso primo in sui Paroeciam ingressu. Quo igitur iure dubitari poterit de facto non sequutae consummationis, quando illud , interposita iuramenti religione, et vir probus fatetur, et testes deponunt omni exceptione maiores?

Et siquidem dubitari posset, iam in promptu essent tot et talia adminicula, quae ad facti veritatem evincendam per se sola sufficerent, imo redundarent. Coniuges sequamur, dum ex Ecclesia redeuntes , statim post celebratum matri-

monium, propriam repetunt domum, cum parentibus et amicis epulaturi. Nescio quo fato , audit mulier nolle virum suum in coniugalem domum recipere iuvenem quamdam, quam ipsa vehementissimo diligebat affectu. Haec audiens ira exardescit, virum adit, et, furore magis quam verbis alloquens, nisi puellam in domum recipiat, se infra octo dies separationem petituram minatur. Renuit vir et iure quidem , ne scilicet familiare bonum periclitaretur. Sed eheu miser ! ibi discordiarum invenit originem, ubi pacem se inventurum sperabat.

Nil igitur mirum , si prima nuptiarum nocte , cum vir debitum peteret, illum non amplexibus , sed morsibus receperit indignata mulier, et ita eiusdem petitionibus obstiterit, ut thalamum relinquere , et noctem in sella ducere vel inhumana coegerit. Factum deposuerunt, inter alios, testes qui in ipsa coniugali domo manebant, et, ut ita dicam, de visu, quia morsuum cicatrices propriis oculis adspexerunt. Et ita quidem viginti illis diebus , quibus coniuges simul permanserunt. Quo tempore ita abfuit animorum concordia, ut mulier vel per fenestram e domo exire tentaverit.

Nec satis; peracta enim separatione, mulier tribus vicibus viri domum repetiit, non alia de causa , nisi ut virum callide cogeret ad talia perficienda , quibus ipsa uti posset apud laicos Iudices ad obtinendam separationis sententiam. Hinc scimus mulierem conspuisse virum, virum colaphis caedisse mulierem, et eorum animos ita fuisse interdum commotos, ut ipsos urbanos milites coegerint adesse, qui mulierem e domo expellendam putarunt. Hos, hos igitur Coniuges, inter se aliquando convenisse putabimus ?

At quid immoror talia enarrando, cum ipsa mulier, licet nolens, argumenta evidentissima praebeat ad factum e vincendum non sequutae consummationis ? Scire oportet, mulierem aliquando adiisse R. P. D. Episcopum, ut solutionem peteret matrimonii sui, asserens et affirmans illud etsi ratum , numquam tamen cum viro suo consummatum fuisse. Quod si postea, mutato animo , nedum a solutione petenda recessit, sed insuper se contumacem reddidit, cum, instante

viro, a Iudice vocaretur; id unice fecit, ne adversario, sic virum vocabat, prodesset. Sed eheu! inconsulta mulier! et qua ratione potuisses viro tuo prodesse, si certo scivisses, et argumentis probare potuisses matrimonium revera consummatum fuisse? Nonne ex tuo te iudicas ore, dum talia vel improbe effaris ?

Alia omnino est causa inquirenda contumaciae mulieris. Sciebat enim callida mulier nonnulla adesse , quae si ipsi fuissent obiecta, victas manus dare debuisset. Nam cum Vir, in civili Tribunali , ipsa praesente , factum asseruisset non sequutae consummationis , non fuit ipsa mulier , quae rem silentio suo confirmavit, dam toto iure denegare debuisset ?

At me poenitet, dixisse quod mulier silentio suo rem confirmaverit : non silentio , sed apertissimis verbis- dicere debuissem. In supplici enim libello, quem civili Tribunali remittendum curavit, nedum supposuit matrimonium revera non fuisse consummatum ; sed huius rei causam in virum ipsum refundens, comprobandum assumpsit se eiusdem petitionibus satisfacere noluisse, quia nefanda petebat. At qui rei causam exponit, nonne rem ipsam confirmare censetur? Esto quod mulier non satisfecerit, quia vir iniqua petebat. At quid de causa, quando quaestio solum respicit factum, et factum iure supponitur quando de eiusdem causa inter partes disputatur? Sive igitur licita, sive nefanda petierit vir, hoc in themate manet probatum , mulierem scilicet satisfacere noluisse. Quomodo igitur consummavit si numquam satisfecit ?

Nec satis; cum enim mulier rem totam narraret in quadam epistola , quam ad -Socrum misit, postquam retulerit verba, quibus in civili Tribunali vir factum asseruerat non sequutae consummationis , sermonem in suspenso reliquit, quin factum ipsum negaret, et quin causam eiusdem adduceret, cum tamen utrumque facere debuisset, quia epistolam ad seipsam defendendam conscribebat. Scio equidem hanc epistolam recognitam a muliere non fuisse; quippe in iudicium non comparuit. At si non recognovit mulier, admisit

tamen ipse Vinculi Defensor, qui cum mulieris scripturam agnovisset, sinit ut epistola in actis insereretur.

Cum itaque habeamus directas probationes ex iuramento viri et testium depositionibus, cum evidentissime constet de viri, aliorumque testium veracitate; cum denique in harum probationum confirmationem habeantur adminicula gravissima, inde exorta ex ipso facto mulieris, quae virum aversata est a primo matrimonii momento, quae omne studium in eo posuit, ut occasionem captaret ad resiliendum a matrimonio, quae evidentissimis argumentis non sequutam consummationem pluries admisit et recognovit; cum, inquam, haec omnia habeantur, pronum erit deducere, ad factum quod spectat satis constare de non sequuta consummatione.

Non me latet, Eminentissimi Patres, plura et gravia in contrarium afferri posse a cl. Vinculi Defensore, quae si insoluta manerent, Actoris causae non parum nocere possent. Operae igitur pretium erit ea saltem delibare, ut veritas meridiana luce clarior patescat.

Itaque praecipuum argumentum, quod afferri posset in favorem mulieris desumitur ex depositione Dominae Lydiae Péronneau, quae factum sequutae consummationis admittere visa est, quando asseruit se audivisse, paucos post dies a matrimonii celebratione, mulierem sibi dicentem, quod forsan uterum ferret, et quando adiunxit se id didicisse etiam a matre et ab amita, quae factum omnino ut certum tenebant. Verum quanti haec facienda sint sequentia demonstrabunt.

Et I° sciatis oportet, Sapientissimi Iudices, hanc Lydiam Péronneau, esse illam ipsam iuvenem, quae fautorum extitit causa malorum, ab ipso primo matrimonii die, quando vir renuit morem gerere uxori suae, quae illam apud se in coniugali domo retinere volebat. Quid igitur mirum si talis testis nonnulla contra virum deponat in favorem mulieris?

Quae et quanta fides eadem testis mereatur docet Archipresbyter compiniacensis, dum iuridice interrogatus respondit se Lydiam, si non mendacem, saltem suspectam habere,

praecipue in praesenti causa, in qua absolute sine ullo partium studio esse non posse dixit. Et quid si, cum aliquibus testibus, relationes inter Lydiam et mulierem haud honestas fuisse • supponamus ?

Et revera quod in casu Lydia fidem nullam mereatur, inde patet quod eius depositio saltem ut contradictoria habenda sit. Nam initio asserit se nihil scire quoad factum consummationis ; licet sciat coniuges etiam in itinere eodem lecto usos esse. Deinde adiungit mulierem sibi dixisse quod forsan in utero gestaret; imo idem se audivisse fatetur a matre et ab amita. Tandem omnium immemor concludit afferens verba, quae prolata dicit a suo con sobrino medico, Edoardo Gay, ex quibus resultaret consummationem impossibilem fuisse, forsan ex impotentia viri. At, quaeso, quomodo ei credendum, quae de iisdem loquens coniugibus, virum impotentem supponit, feminam in utero gestare dicit, et utrum inter se convenerint se ignorasse fatetur? Voluitne de crimine accusare mulierem ? Sed tunc matrimonium cum viro suo haud consummatum fuisse patebit. Et si crimen exclusit, quomodo conciliari poterunt impotentia viri, gestatio mulieris, et ignorantia sequutae consummationis?

Sed haec omnia explicantur, si Lydiam in hisce omnibus asserendis mendacem fuisse probetur. Atque ita esse acta processus conclamant. Nam interrogatus Edoardus Gay an revera protulerit verba illa, quae fuerunt a Lydia enarrata, nedum negavit se verba illa protulisse, sed insuper adiunxit, se neque mulierem vidisse, ideoque neque fundamentum habere potuisse ad illa verba proferenda.

Pariter si consulamus depositiones Lydiae Matris, videbimus , illam nullimode proferre potuisse verba , quae eius nomine a Lydia relata fuerunt. Dum enim asserit Lydia matrem suam admisisse factum sequutae consummationis ; Mater e contra iuridice interrogata respondit, se nihil vidisse et nihil audivisse, ex quo resultaret mulierem vel praegnantem, vel virginem fuisse.

Ut itaque ad conclusionem de veniamus, illius certe testi-

monium est omnino reiiciendum, de quo constat: I° ipsum in causa esse cum una parte contra aliam ; 2° dubiam saltem in casu praeseferre veraeitatem; 3° contradictoria testificatum fuisse; imo 4° et falsa. Atqui in casu nostro constat I° Lydiam in causa esse cum muliere contra virum ; 2° ipsam , ex Parochi sui testimonio , saltem in praesenti causa fidem nulla mereri ; 3° eiusdem testificationes esse inter se contradictorias; imo 4° esse prorsus et omnino a veritate alienas. Ergo Lydiae testimonium, quod attinet ad praesentem causam, utpote irritum et nullum est omnino, et ab omnibus reiiciendum.

Equidem posset hic cl. Vinculi Defensor retorquere argumentum, vel saltem *ad hominem* argumentari, eadem asserens circa quamdam viri depositionem, quae iuridice neque probata, neque recognita fuit. Dixerat enim vir sibi dictum fuisse a Dno Advocato Roy de Biotte quod mulier extimuerat Advocato suo Dno Peyrecare medicale documentum suae virginitatis, quod tamen fuit ab Advocato reiectum, utpote argumentum Clienti suae contrarium. Haec cum resultarent ex Actis Processus, decrevit ecclesiasticum Tribunal, instante Vinculi Defensore , ut audirentur hi duo Advocati ad obtinendam facti confirmationem, quae tamen obtenta non fuit.

At miror, potuisse ecclesiasticum Tribunal illos vocare ad testimonium dicendum, qui ratione officii, secreti lege tenebantur, cum horum unus causam dixisset pro muliere, et alter pro viro, apud civile tribunal. Hinc est quod iuridice interrogati, uter respondit se prorsus nescire ea, quae dicta a proprio cliente occulta remanere debent.

Verum quidem est 1. advocatum mulieris negasse expressis verbis, se vidisse medicale documentum virginitatis eiusdem; 2. utrumque advocatum pariter negasse se cognoscere nomen medici, qui tale documentum dedisse asserebatur; at, quaeso, quid aliud respondere poterant ? Dubitativa enim responsio nonne fundamentum praebuisset ad supponendam documenti existentiam?. Et quidem, sapientissimi Iudices, quod attinet ad nomen medici, uter advocatus re-

spondere debuit se illud nescire; at notate differentiam responsionis cum actum est de documento virginitatis: dum enim advocatus mulieris se illud vidisse negavit; e contra advocatus viri tantum se id non meminisse fassus est. Et iure uterque ita respondit; nam, ad tutandam secreti legem, sufficiens erat ut advocatus viri rem denegaret, quin tamen rei possibilitatem destrueret; e contra advocatus mulieris et rem et rei possibilitatem destruere debebat.

Haec autem cum ita sint, omnibus apertissime patet ex horum responsionibus nihil omnino concludi posse neque contra virum, neque contra mulierem; negativae enim responsiones, attentis peculiaribus adiunctis, negativum tantum praebent argumentum, quod in casu nullius esse roboris totum ius conclamat.

Una itaque remanet audienda Lydiae mater, de cuius veracitate plenissimum testimonium dixit Archipresbyter compiniacensis, et quam ab ipsa Lydia inductam fuisse in favore mulieris iam alibi observavimus. Si quod igitur argumentum adduci posset in favorem mulieris certe desumendum esset ex huius testis depositionibus, quas omni esse exceptione maiores, nemo certe denegabit. Atqui haec testis est illa ipsa, quam supra denegasse audivimus, quae a Lydia eius nomine enarrata fuerant. Et quid insuper haec addit in suis depositionibus? Addit, ex propria scientia, quod coniuges inter se nullo amoris vinculo afficiebantur; addit ex aliorum relatu, quod mulier noluit cum viro decumbere, ita ut veluti amens cubiculum circuirei ad hoc evitandum. At quid haec probant, nisi mendacem Lydiam fuisse, dum talem testem induxit in favorem mulieris? Nonne haec aperte confirmant illa omnia, quae a viro, eiusque testibus, iuramenti interposita sanctitate, enarrata fuerunt?

Esto quod adiungat Lydiae mater se audivisse a muliere quod Burdigalae fuerit a viro reiecta, et noctem coacta in sella ducere, cum tamen sciamus contrarium omnino accidisse. At quid mirum quod potuerit mulier falsum enarrare Lydiae matri, ut seipsam contra virum defenderet? Cete-

rum sive vir mulierem, sive mulier reiecerit virum, hoc manet'certe probatum, scilicet ipsos non convenisse : quod tandem erat demonstrandum.

Sive igitur considerentur ea, quae pro viro, sive inspiciantur ea, quae pro muliere in actis afferuntur, factum non sequutae consummationis est omnino et pro certo retinendum; 1. quia ita iuramento affirmarunt vir et testes ab ipso inducti, de quorum veracitate dubitari non potest: 2. quia hoc probant gravia adminicula, provenientia ex ipso facto mulieris : 3. quia contraria Lydiae depositio est omnino reiicienda utpote contradictoria et mendax : 4. quia adductum advocatorum testimonium, contrarium nullimode demonstrat. 5. demum quia unica testis ex parte mulieris, mulieri ipsi nocet et viri depositiones confirmat.

At constat ne de causis ad dispensandum? Probe scitis, Sapientem iudices, inter causas ad dispensandum, principem locum obtinere animorum aversionem et odium; ita ut quoties haec verificentur soleat summi Pontificis apostolica benignitas in ipsa matrimonii dispensatione substantiale remedium invenire.

Hanc autem animorum aversionem, hoc detestabile odium de facto verificari inter coniuges, de quibus agimus, res est adeo clara et manifesta, ut de ipsa dubitari non liceat. Absit a me, ait vir, ut in gratiam cum uxore redeam ; eorum enim animi ita aversabantur, ut pacificatio impossibilis appareret dominae Ludovicae Drilhon, idque ex mala mulieris voluntate, ut asseruit dominus Anatolius de Fradin, vel ex circumstantiarum complexu, ut docuit dominus Leopoldus Vacquier. Ceterum ipsa mulieris contumacia, ipsa voluntas non accedendi ad Iudicem ecclesiasticum ne adversario seu viro suo prodesset, studium inutiliter positum a civili Iudice ad animos reconciliandos, ut ipsa narrat mulier in epistola ad socerum, satis superque demonstrant impossibile omnino esse coniuges inducere ad coniugalem vitam iterum instaurandam.

Cum itaque satis constet, tum de non consummatione matrimonii, tum de causis ad dispensandum, dubio in calce proposito responderem, ait consultor, *affirmative.*

VOTUM CANONISTAE. Sibi duo inquirenda esse, ait Consultor, nempe an consummatio matrimonii adfuerit, et si adsint causae pro dispensatione a matrimonio rato. Ab instante comite Oscar de Vignaud datur pro certo, nullatenus a sponsis hunc consummationis effectum fuisse consequutum: quoniam vix dum in coniugale cubiculum convenerunt, ita iurgati sunt, ut acerrima supra modum inter eos discordia exarserit. Huiusmodi dissentionis ratio, non eadem, sed diversa tam a parte viri, quam a mulieris parte adducitur.

Oscar revera enarravit, quod sero nuptiarum, eodem momento, quo thalamum ascendebat, sponsa in eum irruens, dentibus arripuit illius scapulam; et propterea coactus fuit in cubiculari potius sella, quam lecto pernoctare; dum interim Sophia minabatur praecipitare se per fenestram. Ipsa vero adversum maritum ad laica tribunalia litem agens, per causidicum exponi iussit, quod eadem nuptiarum primaeva nocte delusam se sensit in desideriis et affectibus suis. Contumeliam passa in proprio sponsae decore; habita ceu de plateis muliercula ab immani marito: cui pro viribus obstitit desperanter, et colluctando ad repellendas ignobiles effrenatasque violentias, quibus ille malis cupiditatibus eam appetere conabatur. In tam impari lucta, ipse prosequitur, comes De Vignaud erat contorquens sponsae manus, et os eius, ut taceret, gravabat scapula. Quam, cum non aliud extaret effugium, ut se ab eo extricare valeret, dentibus appetii t, et momordit.

Quaerimus utrum cum talibus animorum dispositionibus et sinistris effectibus dici possit, vel detur suspicare, istiusmodi coniuges attigisse tamen matrimonii finem, corporumque coniunctionem.

Inficiari nequit sponsum repetitis conatibus ad coniugalem copulam uxorem provocavisse; atque id etiam egisse ratione, ut alius testis affirmat, quia sibi intererat patrem effici: cum ex prolis propagatione partem haberet in pingui familiae Lecoq haereditate. Quod autem Oscar ad hoc conatus sit, intelligitur certo, ex multis affirmationibus extan-

tibiis in processu; praesertim modo ex declarationibus suis coram laico iudice, adstante eadem sponsa Sophia ; nec non ex illius constitutis apud ecclesiastica tribunalia, manifestantis se ita ad ipsam accessisse, ut interiora acta explere valeret, nisi illa continuo, quominus faceret, impedivisset.

Cum interim Sophia coniugem accusasset voluisse ab ea turpia, quaesitum fuit utrum propria coniugum acta fortassis ipsa nesciret. Ast, ultra iam dictum , ob amicissimae suae confessionem, indicium fieri potuit non ignorasse. Non ideo explicare docemur illam istius repugnantiam, quam constanter maritus deplorat; et est nobis inexplicabilis contradictio. Transeant quaecumque esse potuerint primae sponsi prodivitates maritales, ab ea criminatae tamquam eiferatae et nefandae; sed ex his, quae exarata leguntur, clare noscitur, quod sponsus tandem aliquando quaerebat actiones coniugibus honestas, et ab ea nunquam tamen concessas. Videtur igitur Sophiam habuisse tamquam turpia et nefanda coniugum opera.

Causa igitur inconsummationis de ipsorum matrimonio, causa proxima atque absoluta, si matrimonium reapse inconsumptum remansit, deprehenditur profecto quod fuit mulieris negativa voluntas, eiusque contraria agendi ratio.

Invitatus a laico iudice comes Oscar ad aliquam explicationem exhibendam super tantam et incomprehensibilem mulieris aversationem : *eam dixit aegrotam.*

Revera, et ad processus complementum, valde utiliter successisset aliqua declaratio de huiuscemodi nominata aegritudine. Quae declaratio forsitan istum Sophiae paradoxalem operandi modum reserare et solvere potuisset. Equis utrum ageretur de aliqua corporis imperfectione, cura capaci vel minime, qua iuvenis sponsa laborabat, et prae verecundia revelare retinuit actutum; sed postea inter coniugales illecebras et fiduciarios actus viro suo patefaceret? Medicus civitatis, vocatus a marito et cum quo illa sermonem habuit de propriis perturbationibus, iuravit consideravisse So-

phiam quasi decentem; dentibus oíFendisse maritum, paratamque se per fenestram proiecturam, potiusquam res maritales admittere, quibus cogebatur.

Ideoque, sive velis ob physicam, sive mavis ob moralem impotentiam, huic matrimonio adhuc conditio superest rati et minime consummati.

Haec assertoria quaestio, pateret, sine ulla mentis haesitatione, ex explorato iudicio, idest ex inspectione a peritis personis decenter exercita in mulieris corpore, quod reperietur internera tum adhuc; et usque ad praesens in virginitatis flore constitutum. Ipsamet tamen declaraverat se actionibus non subiecturam, quas laicum tribunal, ut eadem referebat, censuerat infandas, et respuendas; a quibus itaque habita fuit tam aliena, ut reputatum sit opportunius derogationem a Summo Pontifice obtinere, ut in similibus casibus quam illam requirere de huiusmodi experimenti probatione. Aliis ergo argumentis serviendum est ad decernendum inter consummationem effectam, et asservatam integritatem.

Valde autem difficile captu evadit, quomodo post grave et male eventum primae nuptiarum noctis, potuerint isti coniuges, sine comite iter facere, continuatis diebus pariter versari, in uno cubiculo se recipere, et iacere una simul usque in eodem thoro: quomodo, inquam, hoc potuerint, sentitur arduum, nisi credatur eorum animos in gratiam invicem rediisse, et sponsalem amicitiam instaurasse. Unde fiducia tanta, post talem ac tantam aversionem? Non est relatum quod sponsa separari maluisset, vel renuisset peragrare cum homine a se habito tam brutali et odioso. Si secum manebat, si vivebat simul, si sequebatur, ipsa sperare debuerat, consecuturam esse ab eo aliquid, et, Ungatur etiam, eamdem ab obiectis illi malis actibus resipiscentiam.

Non est autem in tali coniectione pensanclum, quod sponsus ne se quidem contineret: et nollet potius obtinere quidquid inter coniuges honestum est. Ille pluries requisisse maritalia et ad sponsam blande accedens partes proprias ad suas exterius admovisse fatetur. Certo certius post haec ma-

gis apparet congruenter et naturaliter sentire, matrimonium, de quo agitur, consummationem adeptum esse. Verum maritus operam perdidit et matrimonium tantum ratum remansit.

Ex parte vero Dominae Lecoq cognoscitur eam iussisse deponi quod, si ipsa cum coniuge tot dies constiterit et apud illum versata fuerit, hoc egit spem in corde conferens, maritum se forte correcturum et ad sponsam evasurum humanum. Sed aliter, ait, res successit; dum imo illa debuit ex experientia pati virum quotidie peiorem, et pervertentem conditiones de innocenti amicitia; cum ipse sit a malis habitudinibus depravatus.

Verum etsi ex istis quamdam excusationem caperet facilitas unde Sophia acquievit et morem gessit agendae vitae cum coniuge; demonstratur equidem magis, ex sua confessione, quantum eius animus, post illam malesuadam noctem et deinceps, durus evaserit; suoque viro ita refractaria usu conversa venit, ut etiam ex hoc veracius fiat, quod asserit Oscar, illam ei nullo unquam modo rependisse maritales blanditias, debitumque coniugii continuo negasse.

Quid sibi volunt isti sponsorum sermones, nisi habendi sint quales explicitae confessiones? Etenim si ad istas adiungantur quae ab illis patefactae sunt circa dissidii originem; videtur ab utroque fieri super istud indubia confessio. Fatentur enim ambo huiusce dissidium sumpsisse principium vix dum ascenderant thalamum ; et sponsa subiungit, quod hoc revera successit ob tentatus super eam nefandos coniugis actus. Itaque, si tentamen istud occurrit in primo instanti et operavit dissidium, nunquam compositum ; ergo nullius anterior actus, etiam honestus, praesumi potest; atque per consequens nec maritalis coniunctio. Ex illorum igitur producta conversatione excluditur potius consummatio de eorum matrimonio, et magnopere firmatur inconsummatio.

Nihilo secius assertae consummationi favet exaratum in processu testimonium Lydiae, quae cum fuerit Sophiae in intimis, declaravit quod haec olim ei aperuit, se forsitan esse utero gravem.

Sed scire iuvat, ex brevitate, quod Lydiae depositio de suspicione sapit; et videtur magis supposita quam verax.

Matri refert confidenter, quae a suis repetitis questibus certiorata, declarat cum iuramento, incomprehensibilem sibi nurum extare; nihilominus, ipsius aversationis causa, certum esse matrimonium filii permansisse inconsumptum.

Refert etiam notis et amicis quotquot sibi **offerunt** cito post primam noctem nuptialem. Et omnes isti, viri probata honestate praediti, et praevio iureiurando cuncti securo animo professi sunt, comitem De Vignaud nequaquam consummavisse matrimonium ; constanterque adiungentes, quod ita successit inexplicabili suae coniugis causa, eiusque agendi ratione.

Declarat eadem pluribus Parochis; et confessus est proprio Episcopo; et nunc solemniter supplici libello exposuit ad Summum Pontificem, affirmatione affirmando sui matrimonii inconsummationem ; quare ipse ait : invocare pontificiam dispensationem, tamquam iustitiae actum, sive sententiam. Dictio equidem immodica, sed excusabilis in laico homine; quae tamen demonstrat **in** eo inesse super inconsumpto opere perfectam convinctionem atque certam notitiam.

Pensare vero oportet, quomodo propter impedimentum de rato, Oscar alligari tantum conscientia sentiat; cum interim ei, quoad civiles effectus, praesto sit laica sententia, quae facultatem praebet ad divortium suo libito procedendi.

Quando igitur falso penes Pontificem assereret, non obtineret utique solutionem, quam efflagitat; sed adstringeret conscientiam potius ex titulo subreptionis, et adhibiti iuramenti. Quod non datur praesumere, positis honestatis et religionis qualitatibus, quas in illo communiter, interpositoque sacramento, asseverant toti viri probi, qui ex experientia argumentum conficiunt. Noluit ille massonum sectae nomen dare. Gloriatur religione catholicum esse ; et profitetur nunquam desciscere a paterna pietatis virtute.

Coram praedictis a Comite De Vignaud declarationibus, quae ad intima coniugii opera spectant, stat illud profun-

dum, arcanumque silentium, quod super inconsummationis argumentum servatum est a Sophia. Nullam prorsus scripturam praebuit ; et nihil vel affirmando vel negando locuta est; aeque ac nemo dixit vel contradixit ius eius vel obtutu, quasi ab eadem negatum aut affirmatum fuisset.

Ad laica tribunalia causam agens, plures insimulationes adversus coniugem in aciem protulit; satagens vindictam referre contra illas, de quibus ab ipso Comite redarguebatur. Inter easdem accusationes crebro recursabat repudium ab ipsa constanter oppositum, ne matrimonium assequeretur naturale propositum; et propterea eadem ferebatur ac si coniugii denegasset uti iuribus suis. Et cum ita perageret, mirum est, quod nihilominus nunquam illam ad obiecta respondentem audivimus, deviantem interim incongruis argumentis meritas incusationes. Quapropter Sophiae silentium, tamdiu , tantoque studio prosequutum , inducit in animum moralem convinctionem de matrimonio revera inconsumpto, quod noluit affirmare et negare nequivit. Affirmavit autem, quoniam ipsa tacuit ; quando loqui, seu respondere debuerat.

Cur tacuit? Istud certe inusitatum silentium aliquam causam ex parte Sophiae habere debet. Et una reapse proponitur in processu, quae consistit in suo erga maritum insuperabili odio; quippe quae sibi persuadebat iuvare illi, eiusque precibus apud Pontificem, si ipsa confiteretur matrimonii inconsummationem; credens aliunde eidem, novisque votis eius nocitura, si desit ista confessio, quae a se omnino dependet.

Ergo fatetur quod, si se submittere!, daret utique argumentum favoris coniugis, quod dare renuit; demonstrant scilicet in semetipsa matrimonium suum ratum, minime fuisse consumptum. Et ita supplet derogato experimento.

Nihilominus ex dictis forsitan daretur adhuc arguendi modum, quod nempe explicite et absolute uxoris confessio super actum inconsumptum, deesse videatur. Et verum quoque posset esse huiusmodi verbum apud aliquos canonistas,

qui strictissime tenent ad observantiam; sed non obstat; cum credita deficentia aliter obiterque suppleatur.

Episcopus cum primus ad Summum Pontificem praesentant supplicem libellum, quo Comes De Vignaud humiliter postulabat, ut dignaretur dispensare cum eo super matrimonium ratum et non consumptum, hanc daclarationem sua manu exàrabat: « Et ipsam uxorem vidimus et audivimus: introducta enim civili instantia, ira excandescens, iniuriam pro iniuria reddere, *et dispensationem super matrimonio non consummato expostulare voluit*, deinde abstinuit tum timore expensae subeundi, tum praesertim ex odio erga maritum, utpote credens ipsi ad alias nuptias transire iam parato huiusmodi dispensationem valde arridere. Quae et inconsummationem matrimonii constanter asseverat, et ipsa nocte nuptiarum iurgia enata ».

Vicarius autem dum ad Sacram Congregationem remittebat acta processus sibi commissi, adiecit: < Ceterum meum est dicere, tempore anteacto, dum me et Revmum Episcopum engolismensem pluries adivit mulier, semper inconsummationem matrimonii sui ab ipsa, absque ulla tergiversatione fuisse assertam. Imo et mihi retulit factum in actis processus allegatum, cuius probationem habere non potuimus; factum • scilicet inspectionis proprii corporis a quodam medico olim peracta, dum scilicet a marito iam separata vivebat, et testimonium virginitatis ab eo medico scriptis datum. »

Causae adduoendae pro dispensatione obtinenda, sunt odium mutuum; iudicum civilium sententia; nec ullo modo partes reconciliari posse.

Odiositas, quam in animis habere coniuges de Vignaud ad invicem demonstrarunt, nullum noscitur extare modum, cuius virtute humana valeat extingui; sed ideo ad fruendam vivendi, suo quisque ingenio, tranquillitatem, iidem ipsi sibi, vi legum, induxerunt; rite se invicem separantes et in separatione secum legitime traducentes actionem de civibus iuribus.

Quoad vero iudicia, quae se habent veluti obtenta a laica

potestate, mihi ritibus canonicis studendo, modo non imperant ut sint magni facienda; eoque magis quoniam cernimus in quantam abiisse diversam sententiam, nunc refutando, nunc admittendo easdem institutas quaestiones, et propriam mentem revocando super condemnationes illatas , sequutasque absolutiones.

Circa concordiam inter hos coniuges, vere datur iterare verba comitis De Vignaud, ipsam adfuisse nunquam. A primo nuptiarum diluculo exarserunt irae tam infestae, quae haud unquam cessarunt; omnemque pacem et ipsius quoque spem perdiderunt. Frustra enim ad revocandum amorem adlaboravit sponsi mater atque dehinc pater illius: et civilis etiam iudex conciliatur ; nec non et in primis dioecesanus Episcopus; ceterique, quos superabundantes praetermittimus; sed omnes incassum; adeo ut quotquot de ipsorum numero rogati sunt mediatores ad coniugum reconciliationem procurandam, unanimiter iudicarunt rem fore impossibilem.

Nec largiturae dispensationi officeret postposita vel retardata petitio, ut dictum est, licet per tot annos cum nulla praescriptio desuper decucurrit.

Nec interest quod solus Oscar a matrimonii ligamine relaxationem expostulat, quam prius etiam Sophia petere optaverat. Nam ad impetrandam talem dispensationem *non desideratur mutuus coniugum consensus, sed, existente causa iusta, potest Pontifex dispensare, altero eorum invito. Quia si causa iusta subsit, repugnantia alterius nequit Pontificis potestatem impedire.*

Uno denique verbo colligimus, matrimonium inter coniuges De Vignaud suam consummationem non attigisse et causas ad dispensationem obtinendam adesse.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Matrimonium, quod Ioannes Oscar ex comitibus du Vignaud, in aetate annorum triginta constitutus, die 6 Iulii volvente anno 1865, iniit cum puella Sophia Magdalena Lecoq de Boisbaudran, opere imperfectum mansisse contendit.

Certum tamen exploratumque est coniuges, expletis nu-

ptiis, una simul concubuisse et sub eodem tecto commoratus esse amplius viginti dies : eosque ad opus maritale aptos -esse nemo unus inñciatur. Nec praesto est supremum inconsummationis palladium, scilicet virginitatis iudicium, ab obstetricibus et physicis peritis per aspectum corporis mulieris editum.

Nihilo tamen minus duo lectissimi consultores a moderatoribus S. O. G. in consilium de more adsciti, persuasum sibi habent, matrimonium haud consummatum esse. Et ad id adducuntur iurata Ioannis du Vignaud confessione ac septem testibus, qui iurant esse fide dignum Ioannem, ipsos inducentem. Sinite itaque, Patres Amplissimi, me gravissimi momenti factum paulisper expendere quod luculenter demonstrat fidem Ioanni eiusque testibus praesenti in causa adhibendam.

Profecto, si Ioannem ac testes, quibus ille innititur, audias , factum ex quo reluctantia Sophiae Magdalenae ad matrimonii consummationem atque dissidia omnia inter coniuges enata sunt, sic iacet: eadem die qua ex ecclesia domum repetebamus, ait sponsus, Lidia puella sponsam monuit, me non velle recipere in domum meam Lidiam eandem, sponsae amicam. Ira sponsa succensa protestavit, se infra octo dies petituram separationem quatenus puellam non exciperem in domum meam.

Huiusmodi factum iisdem ferme verbis recitant testes a Ioanne inducti, sacerdos Eduardus Martin, Ludovica Maria Druol de Lepine, vidua Drilhon, Leopoldus Vacquier. Sed huc advertite mentem, Emi Patres : modo dicti testes loquuntur omnes de auditu alieno; Franciscus autem Thommeret, testis pariter a Ioanne inductus, qui nuptiis interfuit, iurat: se nihil vidisse aut audivisse de hac re.

Non inficiar, Magdalenam prima post nuptias nocte vulnus dentibus Ioanni in humero seu potius in pectore intuli sse atque se e fenestra coniicere pertentasse. Ast colluctationis causam potius quam licitum coitum, ut ait Ioannes, actus nefandos post coitum a Ioanne tentatos, ut Magdale-

na affirmat, fuisse credam. Verisimile etenim est veritati contraire Ioannem, qui ad mentiendum allicitur desiderio vitandi dedecus atque matrimonii dissolvendi proposito. Magdalena vero mendax ac calumniatrix esset absque ullo prorsus emolumento; quod veri haud simile est.

Operam autem et oleum perdit eximius consultor theologus, dum testium, qui Ioanni suffragantur, religionem, pietatem insignem, sacerdotalem dignitatem aliaque huiusmodi ad sidera extollit. Hi enim testes, excepto Francisco Thommeret, qui Ioannem mendacii redarguit, nihil viderunt, sed ea referunt, quae vel ab ipsomet Ioanne, vel ab aliis qui a Ioanne acceperant, audiverunt. Mirum vero non est quod Ioannes de actibus inhonestis quibus uxorem lacessivit, semper siluerit. Et cum uxor in aliam regionem ad propria statim reversa fuerit, facili negotio Ioannes vicinis omnibus suadere potuit se nil mali egisse, sed Magdalenam, feminarum pessimam, sibi denegasse obsequia coniugalia.

Coram Episcopo engolismensi, inquiunt, mulier ipsa matrimonium haud consummatum esse alias asseruit. Reponor ita tunc locuta est, quia cogitabat alias nuptias. Magdalena, adiiciunt, contumax est, ne per aspectum corporis liqueat inconsummatio matrimonii. Laudo, sed miror quod femina, adeo scelesta, permaneat adhuc intacta ut Minerva, et abhorreat potius virginitatis argumenta emittere, quam inviso viro per virginia signa prodesse. Apage nugas. Mitto alias quisquilias, quas inter testimonium cuiusdam medici, de quo loquuntur omnes, sed nemo testatur.

Ne inutilibus Emos Patres detineam, non heic quaeram quae causae in promptu sint ad relaxandum vinculum viginti septem abhinc annis' contractum; sed haud interiecta mora ad inscriptum dubium « *An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu* » submisse postulo rescribi < Negative >.

Quibus in utramque partem animadversis propositum fuit diluendum

Dubium

An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 12 Decembris 1891 censuit respondere: *Affirmative.*

EX S. CONGR. R. U. INQUISITIONIS

DUBIA quoad consecrationem olei Cathecumenorum.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Cum in feria v in Coena Domini huius anni ad consecrationem Olei Cathecumenorum tam Amplitudo Tua, quam presbyteri in olea halare omiserint, de Tuo speciali mandato Vicarius generalis postulavit, an acquiescere possis, et quatenus negative, quid agendum. Iam vero cum huius quaestionis solutio, ob ferias quae intercesserant, statim prodire non possit, si quis est ex ista Dioecesi ordinandus sacerdos, Amplitudo Tua poterit aut oleum praedictum ex viciniore aliqua Dioecesi sibi providere, aut ordinandum ,ad aliquem ex vicinioribus Episcopis remittere.

Amplitudinis Tuae
Romae, die 13 Iunii 1889
Addictissimus servus

S. CRBTONI, *Ass. S. O.*

Beatissime Pater,

Vicarius generalis N. . . . .ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, de mandato speciali sui Episcopi nunc in visitatione Dioecesis occupati, exponit quod feria v in Coena Domini ad consecrationem Olei Cathecumenorum tam Episcopus, quam duodecim presbyteri ex plena inadvertentia in Olea ha-

lare omiserunt. Qui quidem defectus his diebus tantum cognitus est, duobus professoribus maioris seminarii, qui in choro aderant, illum revelantibus.

Iam vero Olea sacra per Dioecesim distributa sunt; manent vero apud Reverendissimum Episcopum quae ad consecrationes Ecclesiarum, altarium et ad ordinationes presbyterorum necessaria sunt.

Quaeritur :

1. An Episcopus acquiescere possit?

Et quatenus negative,

2. Quid agendum.

Feria v, die 19 Iunii 1889.

In Congregatione generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita coram Eminentissimis ac Reverendissimus Dñis Cardinalibus in rebus fidei et morum generalibus Inquisitoribus, propositis infrascriptis dubiis, ac praehabito RR. DD. Consultorum voto, iidem Eminentissimi ac Reverendissimi Domini responderi mandarunt;

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Provisum in primo.*

Facta autem a R. P. D. Assessore S. Officii relatione de iisdem resolutionibus Sanctissimo D. N. Leoni Div. Providentia PP. XIII, idem Sanctissimus D. N. Eminentissimorum Patrum resolutiones approbavit.

Ios. MANCINI, *S, R. et U. I. Notarius.*

DUBIA circa privilegium Bullae Cruciatae.

Eme et Rrîie Domine mihi Obsme,

A Sacerdote quodam Cathalauniae proposita iamdudum fuere sequentia dubia circa privilegium Bullae Cruciatae, scilicet:

I. Utrum vi Bullae praefatae licet Regularibus intra claustra degentibus utriusque sexus tempore Quadragesimae, praeter carnes etiam ova et lacticinia edere?

II. Utrum liceat eisdem, sicut ceteris fidelibus, quibusdam diebus exceptis, ova et lacticinia piscibus commiscere?

Quibus propositis in Congregatione habita feria iv, 22 No-

vembris anni elapsi, Eminentissimi Domini Cardinales, una mecum Inquisitores generales, decreverunt:

Regulares utriusque sexus, exceptis qui poto speciali sunt adstricti, in ieiuniis etiam Quadragesimae possunt vi Bullae Cruciatae edere carnes, ova et lacticinia, necnon ova et lacticinia cum piscibus in eadem comestione miscere. Presbyteri vero extra claustra commorantes tenentur Summarium laeticiniorum suscipere, ut presbyteri saeculares.

Hoc decretum Eminentissimi Patres cum Eminentia Tua communicandum mandarunt, ut ipsum publici iuris facere satagas.

E. T.

Romae, die 26 Ianuarii 1890.

RAPHAEL CARD. MONACO.

Domino Cardinali Patriarchae Archiepiscopo Toletano, Commissario generali Bullae Cruciatae.

Eme et Rme Domine mihi Obsme,

In Congregatione habita feria iv die 4 curr. mensis ad examen vocatis dubiis ab Eminentia Tua propositis litteris datis die 28 Februarii anni elapsi, circa interpretationem novissimi decreti huius Supremae Congregationis super Bulla Cruciatae, Eminentissimi Domini Cardinales una mecum Inquisitores generales decretum ipsum in hunc modum evulgandum mandarunt:

Regulares utriusque sexus, exceptis iis qui voto speciali sunt adstricti, in ieiuniis etiam Quadragesimae possunt vi Bullae Cruciatae edere carnes, ova et lacticinia, necnon ova et lacticinia cum piscibus in eadem comestione miscere. Presbyteri vero regulares extra claustra commorantes {vulgo exclaustrados), *praeter Bullam Cruciatae et Summarium carnis tenentur Summarium quoque lactieiniorum suscipere ut Presbyteri saeculares. At Regularibus intra claustra degentibus, sive Sacerdotes sint sive laici, sive moniales sufficiunt Bulla Cruciatae et Summarium carnis, nisi sint ex Ordine Minorum S. Francisci, qui nulla bona possident, quibus sufficit Bulla Cruciata.*

Precor E. T. summopere curare, ut hoc decretum apostolica Summi Pontificis auctoritate firmatum quo primum poterit

publici iuris fiat, eiusque iam publicati exemplar ad me trans mittatur in Tabulario Supremae Congregationis asservandum.

Interim impensos altissimae aestimationis meae sensus testâtes volo Eminentiae Tuae, cui manus humillime deosculor.

E. T.

Romae die 7 Martii 1891.

Humillimus ac addictissimus servus verus

R. CARD. MONACO.

Domino Cardinali Archiep. Toletan., Commissario generali Bullae Cruciatae.

INSTRUCTIO ad Vicarios apostolicos in imperio Sinarum et finitimis regnis atque provinciis circa Opium.

Ex iis quae pluries S. Congregationi de Propaganda Fide a Vicariis apostolicis Sinensium regionum nuntiata sunt, innotuit nonnullas quaestiones inter evangélicos operarios, qui ibidem christiano nomini dilatando insudant, incidisse in interpretandis S. Sedis decretis de opii cultura, commercio atque usu. Ad huiusmodi opinionum discrepantiae finem imponendum, re diu matureque perpensa, placuit Emis PP. una mecum Generalibus Inquisitoribus, approbante SSmo p. N. Leone PP. XIII, ut super iis praesens instructio conderetur, quae norma esset memoratis apostolicis Vicariis.

1. Ex responsis huc usque datis, si probe intelligantur, liquido patet : nunquam S. Sedem improbasse eam opii culturam, commercium et usum quae medicinae inservirent.

2. Patet etiam Sacrarum Congregationum decretis tum quae de usu permitiendo aut tolerando, tum quae de abusu reprobando lata sunt, non absolutam sed relativam vim inesse. Respiciunt scilicet ea quae proponebantur; non sunt proinde inter se indiscriminatim commiscenda, sed ad casus singulos cum suis peculiaribus circumstantiis referri debent. Quod si flet, facile comperietur ea sibi perpetuo constare. Neque ullam difficultatem facessere poterit quod in actis S. Sedis aliquando opii usus, aliquando abusus nominatur; nam usus qui improbatur, ceu verus abusus habendus est.

3. Quum itaque S. Congregatio christiano nomini propagando

iam mentem suam circa abusum, de quo agitur, aperuisset, anno 1830 « ad removenda dubia et animi perplexitates quae oriri possunt in casibus particularibus », instructionem exarandam censuit, qua in re tanti momenti habendam esse voluit *magnam rationem tum civilis legis opii commercium vetantis,* tum *gravissimorum malorum, quae eos opii abusu* in illis regionibus *dimanare consueverunt.*

Quam instructionem anno 1848 Vicariis Apostolicis Yunnanensi ac Malacensi transmittendam decrevit, addens, *attento damno generali,* omnem curam adhibendam esse *ad opii usum extirpandum.* Ubi vocabulum *usus,* ut quisque facile intelligit, proprie abusum significare dicendum est Non enim de eo usu agebatur, ad quem opium a natura comparatum est, sed de eo, qui inter Sinenses obtinet, quique in eo est situs, ut opium dentibus mandant, vel alcoo cis potionibus immixtum ebibant, vel fumo hauriant.

4. Idcirco Suprema haec Congregatio anno 1852 declaravit quidem generatim illicitum commercium et usum opii, sed prout exponebatur, iussitque Vicarios Apostolicos, ut omnem curam adhiberent ad usum et commercium illud radicitus evellendum. Neque ab hoc decreto recedere censuit anno 1858, quamquam a Vicariis Apostolicis Xensiensi etHunnanensi relatum fuisset, civilem legem, opium vetantem, non amplius existere.

5. Neque ab hac prohibitione recessisse putanda est, licet nonnullis secus visum fuerit, anno 1878. Nam ob peculiares et omnino extraordinarias circumstantias, quae exponebantur, atque ob suspensionem ad decennium civilis legis, opii culturam interdicentis in iis locis quae bello vastata fuerant, quorumque incolae ad extremam egestatem fuerunt adducti, Suprema Congregatio id dumtaxat statuit, ut sacramenta non denegarentur iis Christifidelibus, qui in provincia Keuy-Tcheou illo decem annorum spatio a civili lege permisso unice ad paupertatem levandam opium excoluissent. Et quum quaesitum fuisset, *an qui ex inveterata habitudine opio valedicere* nequeunt, *nisi cum mortis periculo vel gravi detrimento, admitti possint* (ad sacramenta), *et an opium sumi possit per modum medicinae, quia habitudinis periculum imminet,* responsum fuit : *Affirmative, diligentia et cautelis tamen positis, ut opii abusus malique effectus, ex huiusmodi abusu promanantes, evitentur.* Huiusmodi responsione, quae exceptionem respicit, unusquisque videt mi-

nime infirmari generalia decreta, quibus opii abusus improbatur: idque perspicue declaratum est feria IV 4 Iulii 1883.

6. Ex his omnibus sequitur: I° opii culturam non esse quidem per se illicitam, in Sinicis autem regionibus ob abusus quibus obnoxiam esse ex diuturna experientia certo constat, fieri illicitam, ac proinde Christifidelibus generatim esse interdicendam; 2° nec secus de commercio iudicandum, quod quamvis per se malum non sit, malum tamen evadit ob graves abusus ex eo ut plurimum et fere universim manantes et ob leges illud vetantes; ideoque prohibendum non solum iis, qui illud directe exercent, sed etiam iis, qui eidem favent, qui scilicet pecuniam scienter opii mercatoribus foenerantur, vel agros in opii culturam locant; 3° opii usum, qui in Sinis obtinere dicitur, tanquam detestabilem abusum ab Ecclesia habitum et illicitum declaratum; 4° eiusdem usum permitti posse iis, qui eidem' sese assuefecerint, quique ab illo abstinere omnino non possint sine mortis periculo vel gravi detrimento; pariter opium sumi posse per modum medicinae, ea tamen lege ut modus et quantitas servetur quae medicinalem rationem minime excedat, et debita diligentia, et cautelis adhibitis, ut eiusdem abusus marique effectus exinde profluentes praecaveantur.

Haud dubitat haec Suprema Congregatio, quin ad fideles Sinici imperii, ac regnorum finitimorum ab opii cultu, mercatura et usu deterrendos quotquot ibi pro Christo legatione funguntur omnem daturi sint operam, qua assiduis monitis et hortationibus, qua opportunis in vulgus editis libellis, qua societatibus, ut aiunt, temperantiae institutis, aliisque modis, quos iuxta varia locorum et personarum adiuncta magis efficaces aptosque in Domino existimaverint. Cum transgressoribus autem recidivis et habituatis sciant sequendas esse regulas a probatis auctoribus datas.

Datum Romae die 29 Decembris anno 1891.

R. CARD. MONACO.

APPENDIX II.

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST.; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT, AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

Decr. S. Congreg, de Propaganda Fide, 22 Septembris 1827. DUBIUM quoad iurisdictionem in obitu Vicarii apostolici.

Cum in Congreg, habita die 2 Iulii currentis anni propositum fuerit dubium : — Utrum in casu obitus alicuius Vicarii Apostolici in Sinis aut regnis adiacentibus, qui decesserit, quin prius ullum vicarium generalem aut provicarium nominaverit qui illi in administratione Vicariatus interim succédât, proindeque quaestio aliqua super iuribus administrandi eiusdem Vicariatus excitetur, opportunum sit, ad praecavenda damna inde oritura, ut Vicarius Apost, vicinior, tanquam Delegatus Apostolicus vacantis ^Vicariatus interinae administrationi provideat ; — S. C. censuit decernendum :

Negative, iuxta modum; id est quod in casu contestationis super iuribus plurium missionariorum ad administrandum Vicariatum Apost, vacantem, nec non persecutionis a gentilibus contra Pro-Vicarium Ap. excitatae , sicut etiam quando periculosum sit ad eumdem accedere, Vicario Ap. viciniori necessariae et opportunae facultates concedantur, ut Vicariatus Ap. vacantis bono consulat, quin tamen Delegati Ap. munus aut titulum assumat.

Quam S. Congr. sententiam SSmo D. N. Papae Leoni XII relatam per R. P. D. Secretarium in Audientia habita die 9 Septembris eiusdem anni, SSmus in omnibus approbavit, et necessarias facultates concessit.

Ex Litteris S. C. de Prop. Fide, 29 Septembris 1827 ad Vic. Ap. Cocincinae, DUBIA super obitu Vicarii apostolici ut supra.

Scias R. D. Carolum Langlois, Parisiensis Seminarii Missionum ad Exteros Superiorem, dubia quaedam proposuisse , per hanc eamdem S. C. resoluta ut sequitur:

1. Utrum mortuo Vicario Apostolico, cui non erat Coadiutor, et a quo nullus institutus fuerat generalis pro tota Missione Provicarius, missionarius qui pro una tantum Missionis parte specialiter designatus,

Provicarii particularis facultates acceperat, vi praedicti Brevis ***Ex sublimi*** totius Missionis Superior censeatur eiusque regimen obire valeat et debeat, quamvis non sit ipse prior in Missionum ingressus? S. G. respondit : ***Provisum, sub die 2 Iulii*** ,. quo decreto statutum iam fuerat, ius succedendi in interina administratione in eo casu spectare ad antiquiorem Seminarii Parisiensis in Missione alumnum.

2. An Decretum S. G. de Prop. Fide a Pio VI, die il Martii 1787, approbatum ad omnes indiscriminatim missionarios cuiuscumque sint Ordinis et Instituti, non vero ad eos tantum spectet qui eiusdem sunt Instituti ac Vicarius Apostolicus defunctus. Et hic pariter decretum est : ***Decisum in primo, et spectare ad Missionarios Gallos quibus concredita est Missio, et ad quos spectat Vicarius Ap.***

3. An Missionarius qui senior est in Missione possit, eveniente casu de quo agitur, ius suum alteri cedere : an vero illud exercere teneatur, nisi omnino sit impotens? Decretumque fuit : ***Negative, et in casu recurrendum esse ad Vicarium Ap. viciniorem.***

4. Quis eorum senior in Missione censendus sit ; num ille praecise qui prior a cymba in terram prosilivit, etiamsi is diaconus tantum foret aut subdiaconus, alter autem sacerdos. Emi Patres responderunt : ***In iudicanda antiquitate habendam esse rationem Presbyteratus.***

5. Si missionarius ante alium in Missionem ingressus, nonnisi diu post ipsum, vel propter aegritudinem, vel ob negligentiam aut tenuem habilitatem, linguam addiscere et animarum ministerium exercere potuerit, quis ex his duobus senior in missione censendus est? Et EE. PP. decreverunt : ***Censendum seniorem in missione qui longiori tempore ministerium exercuit, et in casu contestationis recurrendum esse ad Vic. Ap- viciniorem.***

6. Quae sint Vicarii Ap. vicinioris iura in eam Missionem quae defuncto Vic. Ap., exerceatur vel a Provicario generali superstite, vel a missionario seniore ? Et EE. PP. responderunt : ***Provisum sub die 2 Iulii*** Decreto scilicet supra relato ***(pag. 509J*** quo determinati sunt casus in quibus Vic. Ap. viciniori facultates conceduntur, ut vacantis Vicariatus apostolici bono consulat.

Ex Litt. S. C. de Prop. Fide, 30 Iunii 1845, ad Vic. Ap. Bengalen.
Quoad missam audiendam a proprio parocho.

Haud probare possumus consilium fideles cogendi, ut in diebus festis parochi Missae et instructioni interveniant, interdictis aliis ecclesiis aut oratoriis sub reservatione. Quamvis enim persuasum habeamus

quae et quanta ex frequenti eiusdem salutari verbi Dei pabulo Christi grex ad aeternam vitam perciperet adiumenta, compertum tamen est A. Tuae nunquam id sub praecepto ac peccati vinculo praecipi Apostolicae Sedis mentem fuisse. Hinc est quod paternis iteratisque monitis potius fidelibus, ut hisce mediis animae suae satius consulant suadendum existimamus.

Decr. S. C. de Prop. Fide, 18 Augusti 1866.
De Missa applicanda pro populo.

Post datam a SSmo D. N. Pio divina providentia PP. IX. die 3 Maii anni 1858 epistolam encyclicam incipientem *Amantissimi Redemptoris,* dubitari coepit an per ea, quae inibi habentur de obligatione parochorum aliorumque curam animarum actu gerentium celebrandi et applicandi Missam *pro populo* omnibus dominicis, festisque aliis diebus, haud exceptis iis, qui ex Apostolicae Sedis indulgentia e dierum de praecepto festorum numero sublati, vel translati sunt, derogatum fuerit prioribus aliis laudatae Sanctae Sedis declarationibus, quibus, nunciatum fuerat in missionum locis, ubi neque parochi neque paroeciae rite adhuc institutae inveniuntur, Vicarios Apostolicos et missionarios, licet animarum curam exercentes, supradictae obligationi implendae *tantummodo titulo charitatis, non vero ex iustitia* obstringi. Porro quamvis annuente Sanctitate Sua, Sacra Congregatio de Propaganda Fide die 5 Augusti anni 1860 *negative* responderit, nonnulli tamen Vicarii et missionarii apostolici, rati non omnem prorsus ambigendi rationem hoc responso amotam fuisse, sequentes proposuerunt quaestiones :

1. An Vicarii Apostolici ac missionarii, qui quovis modo curam animarum in certo aliquo loco assumunt, omnes indistincte obligentur *ex iustitia* ad applicandam Missam pro populo in diebus festivis.

2. An vero de illis, qui ex iustitia non obligantur, dici debeat *decere* ex charitate aut *teneri* ex charitate ad applicandam Missam pro populo in diebus festivis.

Iam vero cum de his quaestionibus actum fuerit in generalibus comitiis eiusdem S. Congregationis, habitis die 23 Martii anni 1863 Emi Patres respondendum censuerunt :

« Ad 1. Negative, dummodo non agatur de locis, in quibus sedes « episcopales ac paroeciae canonice erectae iam sint, atque ad eas Vi- « carii Apostolici et missionarii missi sint, ut legitimorum Pastorum vices « gerant.

« Ad 2. Vitandam esse locutionem *teneri ex charitate,* dicendum

« vero esse *decere ex charitate*, idque ita ut nulla proprie dictae obligationis significatio appareat».

Has autem Sacrae Congregationis resolutiones SS. D. N. Pius PP. IX... in audientia diei 29 Martii benigne in omnibus approbavit.

S. C. Rituum. 9 Maii 1857.
DUBIA quoad Administratorem apostolicum.

1. Ex iure communi Administrator apostolicus debetne aut potest habere solium a parte Evangelii?

2. Debetne aut potest illud habere etiam in omnibus locis Dioecesis suae administrationis?

3. Decreta quae dicunt Vicarium apostolicum eadem non posse in suo Vicariatu ac Episcopi in sua Dioecesi, ut eis plura prohibent inter quae adest favor nominari a sacerdotibus in canone Missae, tacent omnino de Administratoribus apostolicis, unde concludendum videtur praesertim Administratorem apostolicum Dioecesis Pekinensis [7] t talem non attingi a variis his laudatorum decretorum prohibitionibus in Dioecesi suae administrationis, et eadem ibidem posse ac proprius Episcopus. Potestne praesens Administrator Pekinensis in locis suae administrationis Apostolicae prudenter sequi hanc suam interpretationem?

R. Sacra Cong. singula mature expendere curavit, et inhaerens decretis alias in similibus editis praesertim in una Sarsinaten, die 22 Augusti 1722 rescribere rata est : *Negative in omnibus iuxta enunciatum decretum in una Sarsinaten.* (1).

(1) Enunciatum decretum eiusmodi est : *Dubia :* 1. An Episcopus Civitatis Ducalis modernus Administrator Ecclesiae Sarsinatensis in functionibus pontificalibus gaudeat omnibus illis praeeminentiis et praerogativis quibus fruuntur et gaudent omnes alii Episcopi in propriis Dioecesibus in casu etc. Et quatenus negative :

2. An dictus Episcopus Ministrator amovibilis Ecclesiae vacantis, dum cantat Missas et Vesperas in pontificalibus possit sedere super cathedra episcopali, elevata quatuor gradibus, parata cum baldacchino ac postergale, et uti baculo. — 3. An concedere possit Indulgentiam quadraginta dierum sine speciali facultate Apostolica. — 4. An ei dum assistit Missae solemni ab alio cantatae debeant canonici facere circulos ad *Kyrie eleison, Gloria in excelsis, Credo, Sanctus* et *Agnus Dei,* tuncque ubinam debeat sedere. — 5. An fieri debeat Anniversarium suae Consecrationis cum Missa cantata per Capitulum et clerum, eiusque nomen debeat in canone memorari per sacerdotes celebrantes. — 6. An cum Administrator Missam cantat in pontificalibus, debeat poni super altare septimum candelabrum cum candela accensa. — 7. An dum idem cantat Missam in pontificalibus, debeant omnes canonici sacris paramentis indui ; vel tres tantum fungentes officiis diaconi, subdiaconi et presbyteri assistentis. — 8. An dum vadit ad cathedralem debeat sumere cappam magnam in aedibus superioribus Episcopatus, vel in ingressu ecclesiae aut presbyterii. — 9. An canonici eum accessurum ad cathedralem debeant omnes excipere in dictis aedibus, vel soli tres aut quatuor ad portam ecclesiae. — *Resp.* Ad 1. Negative. — Ad 2. Negative quoad primam partem ; affirmative quoad secundam. — Ad 3. Negative. — Ad 4. Negative, et sedeat in primo stallo chori. — Ad B. Negative. — Ad 6. Negative. — Ad 7. Negative quoad primam partem; Affirmative quoad secundam..— Ad 8. Arbitrio Administratoris in casu etc. — Ad 9. Decere, in casu de quo agitur, ut omnes accedant.

S. Congreg. Concilii, 16 Martii 1641.
Vicarii quoad litteras dimissorias.

An Vicarii a Sede Apostolica deputati cum iurisdictione ordinaria in episcopatibus vacantibus, qui non habent Capitula quae sede vacante succedant in iurisdictione, possint infra annum dimissorias concedere. Et quid in Vicariis ab Episcopis in partibus orientalibus tempore obitus nominatis vigore particularis privilegii a Sede Apostolica eisdem concessi.

R. Vicarios supradictos non posse infra annum concedere dimissorias si eisdem non fuerit specialis facultas per Sedem Apostolicam tributa.

S. C. Concilii, 25 Sept. 1858. Cameracen.
De parocho binante.

1. An parochus qui duas parochias regit, et ideo bis in die celebrat, utrique parochiae suam missam applicare teneatur, non obstante redituum exiguitate.

2. An parochus qui in una eademque parochia bis eadem die celebrat, utramque Missam populo sibi commisso gratis applicare omnino teneatur.

3. An et quomodo concedendum sit parochis qui diebus dominicis aliisque festis bis celebrant, ut unius Missae liberam habeant applicationem, et stipendium pro ea recipere valeant in casu.

R. ad 1. Affirmative.

Ad 2. Negative, firma prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda Missa.

Ad 3. Negative, et Episcopus provideat ad formam Constitutionis Bened. XIV. *Cum semper oblatas* **§. 8. (1).**

(1) Haec loco cit. habentur : « . . . . . Quod pertinet ad praedictos parochos egentes, » unicuique vestrum (Episcoporum) facultatem concedimus, cum iis quos revera tales *n* esse noveritis opportune dispensandi, ad hoc ut, etiam diebus festis huiusmodi, » eleemosynam ah aliquo pio offerente recipere, et pro ipso Sacrificium applicare qua- » tenus id ab eo requiratur, libere et licite possint et valeant ; dummodo ad neces- » sariam populi commoditatem, in ipsa ecclesia parochiali Missam celebrent ; ea tamen » adiecta conditione ut tot Missas infra eamdem hebdomadam pro populo applicent, » quot in diebus festis, infra hebdomadam occurrentibus, iuxta peculiarem intentionem » alterius pii benefactoris obtulerint ».

S. C. Concilii, 12 Martii 1662.

De electione Vicarii capitularis facienda ab uno tantum e capitulo.

Nella provincia Armacana *(in Hibernia)* in diverse diocesi nelle quali vi è un solo membro di Capitolo v. g. il decano o arcidiacono, questo solo membro dei Capitolo pretende *sede vacante* d'aver l'autorità o potestà di eleggere il Vic. Generale (Capitolare) ; *hinc dubium:* An redacto Capitulo ad unum tantum membrum possit, sede vacante, per se solum eligere Vicarium, de quo in Cap. 16. sess. 24. Concilium Tridentinum.

R. Affirmative dummodo non eligat seipsum-

S. C. Concilii, 14 Maii 1644.

De praecedentia inter parochum proprium et capitulum Collegiatae.

Cui debeatur praecedentia in funeralibus : an proprio parocho defuncti, an vero Capitulo Collegiatae.

R. In associatione funerum, salva legitima loci consuetudine, deberi Capitulo Collegiatae supra parochum, etiam proprium defuncti, sine praeiudicio tamen in reliquis iurium et praeeminentiarum eidem parocho de iure vel de consuetudine competentium.

S. C. Concilii, 23 Martii 1861.-De parocho qui binat.

1. Utrum parochi qui, ut menti fundatorum fiat satis, diebus dominicis et festis binam, obtenta facultate, dicunt Missam, et pro fundatoribus *Primissariarum* (quae ob exiguitatem redituum et penuriam sacerdotum plerumque proprio carent sacerdote) applicant, salarium ex fundo *Primissariarum* pro peculiari labore percipere possint.

2. Utrum parochi qui pro necessitate circumstantiarum diebus dominicis et festis bis celebrant, tradita simul doctrina christiana, pro peculiari labore et industria certum salarium annuum a parochianis oblatum percipere valeant.

R. Posse permitti prudenti arbitrio Episcopi aliquam remunerationem intuitu laboris et incommodi, exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione Missae.

S. G. Concilii, 24 Aug. 1867.

De Missa applicanda pro populo a canonico parocho.

Parochum (Canonicum) teneri per se ad applicationem Missae pro populo his etiam diebus in quibus Episcopus pontificaliter celebrat in «cathedrali, per alium vero his festis in quibus uti Canonicus canere et applicare debet Missam conventualem pro benefactoribus.

S. C. Concilii, 9 Maii 1874.

De oeconomo curato quoad iurisdictionem subdelegandam.

An oeconomus curatus, vacante paroecia, ab Episcopo constitutus in vim dispositionis Concilii Trid. sess. 24. cap. 18. possit alium sacerdotem delegare ad omnia officia, vel ad aliquos tantum actus.

R. Affirmative ad primam partem, nisi obstet voluntas Ordinarii.

S. Congr. Concilii, 6 Iulii 1867 - De Canonicis ad honorem.

1. An canonici *Ad honorem* sedere valeant in choro ante vel post j>ortionarios et semiportionarios titulares, qui licet ministrare debeant uti diaconi et subdiaconi, sunt tamen de corpore Capituli. - 2. An paramenta sacra in functionibus pontificalibus accipere debeant canonici *ad honorem;* planeta, vel potius dalmatica seu tunicellâ parari teneantur.

R. Ad 1. Affirmative post omnes portionarios et semiportionarios, •quatenus et ii inter canonicos recenseantur, et eodem gradu ac ceteri canonici in choro sedeant.

Ad 2. Si capitulares sint distincti per ordines, nimirum presbyteralem, diaconalem et subdiaconalem, canonicos honorarios induere debere lunicellam ; secus eamdem vestem communem canonicis titularibus cuiuscumque ordinis sint.

S. C. S. Officii, 3 Augusti 1639, Mission. Arcipelagi.
DUBIA quoad privilegia presbyterorum grecorum.

1. Se i sacerdoti greci, massime cattolici, godano i privilegii che si godono dai latini e particolarmente del canone *Si quis suadente* etc.

2. Se i latini che li percuotono, o li tirano al foro laicale turchese si abbiano a schivare come scomunicati.

3. Come si abbiano (i missionarii) a governare con i preti greci che sono incorsi in irregolarità *ex delieto, et maxime ex homicidio voluntario,* e con quelli che hanno procurato l'aborto *ad evitandam infamiam.*

1. An presbyteri graeci, praesertim catholici, privilegiis fruantur, quibus fruuntur latini et praecipue *canonis si quis suadente* etc.

2. An latini qui eos percutiunt, aut apud tribunalia turcorum in ius vocant, vitandi sint ceu excommunicati.

3. Quomodo missionarii sese habere debent cum presbyteris grecis, qui irregulares effecti sint ex delicto et maxime ex homicidio voluntario, et cum illis qui abortum procuraverint ad evitandam infamiam.

R. Ad *'i.* Quoad privilegium canonis, affirmative. Idem de similibus, sed posse excusari ex aliquo capite v. g. ignorantiae.

Ad 2. Quoad primum, affirmative, loquendo de iis qui sunt notorii percussores vel denunciati. Idem de aliis, si citra rationabilem causam id faciant et sint denunciati.

Ad 3. Cum iis qui irregulares sunt agendum ut cum latinis irregularibus, videlicet dispensando, si adsit facultas et causa, vel remittendo ad habentem facultatem.

S. C. de Propag. Fide - C. G. 13 Maii 1816.
DUBIA quoad modum providendi substentationi nonnullorum missionariorum;

1. An liceat sacerdoti veniam aperire, aut alia quaedam artis medicae exercere.

2. **Cuis** optimus dicendus modus providendi substentationi ministrorum hisce in novis regionibus?

3. Qualis obligatio incumbit laicis debitum hoc solvendi ?

4. Licetne spirituale ministerium denegare iis, aut personis ad illorum spectantibus familiam, v. g. infantibus Sacramentum Baptismi» si huic debito se submittere recusent.

R. Ad 1. Negative nisi obtenta dispensatione, et in casu verae necessitatis.

Ad 2. Providendum esse ex reditibus ecclesiarum, et voluntariis fidelium oblationibus.

Ad 3. Teneri fideles in conscientia ad sufficientem sustentationem Ministrorum Ecclesiae.

Ad 4. Indignam viro ecclesiastico, et animadversione dignam quaestionem de sacris, et ipso Baptismate, denegandis iis, qui oblationum •debito se submittere recusant.

S. C. de Propaganda Fide - C. G., 21 Septembris 1840.

DUBIA quoad Vicarios apostolicos.

1. An et quomodo Vicarii Ap. seu Ordinarii locorum visitare possint paroecias Regularium missionariorum apostolicorum in suis territoriis existentes.

2. An designatio seu nominatio Praefecti Missionum sufficiat ad •communicandam institutionem *auctorizabilem* missionariis, qui munere parochorum fungi debent, seu potius teneantur eamdem ab Ordinariis locorum, in quibus id muneris est exercendum, recipere.

3. An Vicarii Apostolici seu Ordinarii locorum ita designatos valeant antea examini subiicere.

4. An et quomodo iidem possint semel admissos ad curam animarum exercendam removere, vel eorum facultates in Sacramentorum -administratione cohibere.

5. An Vicarius Patriarchalis Constantinopolitanus potuerit visitationi peragendae instructionem praemittere, cui parochi omnes respondere teneantur.

R. Ad i. Affirmative in omnibus iuxta Constit. Benedicti XIV quae -incipit *Firmandis 1744.*

Ad 2. Negative ad 1. partem ; affirmative ad 2. iuxta Decretum 1838.

Ad 3. Negative.

Ad 4. Affirmative in omnibus, dummodo gravis et urgens causa •adsit statim S. Congregationi communicanda.

Ad S. Affirmative quoad ea in quibus visitationi ei correctioni eiusdem subditi sunt.

Ex Instr. S. C de Prop. Fide, 18 Octobris 1883. De habitu civili clericorum.

Ea etiam EE. PP. ad examen revocarunt quae de civili cleri habitu in nonnullis Synodis disputata sunt. Qua quidem in re cum confirmassent quae circa idem caput in Synodo Sutchuensi *c.* ***X.*** *n.* ***IO*** (1) sapienter statuta fuerunt, cetera prudenti episcoporum arbitrio commiserunt, id tantum animadvertentes, curandum omnino esse ut circa vestes a clero adhibendas caute procedatur, ne difficultates inter sacerdotes inopportunis innovationibus excitentur. Insuper mandarunt ut diligenter observentur quae in Synodo Sutchuensi circa quasdam incedendi rationes nimium luxum redolentes praescribuntur *c.* ***X.*** *n. 12* (2).-

(1) Ibi : « Missionariorum vestitus et habitus sit honestus ac decens ; non nimium elegans nimiumve sordidus, sed talis sit qui ipsorum religioso statui et apostolicae •vocationi modeste respondens intrinsecam morum honestatem praeseferat. In vestibus, conopaeis stragulis, culcitris et aliis huiusmodi nihil exquisitum appetant, nihil sumptuosum vel pretiosum, nihil quod novitatis, superfluitatis et vanitatis notari possit ; sed omne sit simplex commune et modestum, ut decet viros apostolicos. Sacris canonibus inhaerentes, prohibemus ne vestimentis aliisque ornatibus utantur* sericis ; neque etiam induant, aut adhibeant in ornatu splendidos aut nitidos colores, qualibus saepe utuntur praefecti praetoriani, aliique passim saeculares aut mulieres, sed (quemadmodum olim praeceptum fuit ab illustrissimo Ioanne Myriophitano Episcopo Vicario huius provinciae Apostolico in mandato pastorali diei 12 octobris 1740) mandamus ut ubique etiam in publico incedant in vestibus nigri, aut caerulei aut alterius modesti coloris, nihil nisi commune praeferentia. Si quis autem praedicta serica aut splendida habeant, volumus ut cito ea dimittant, et ad normam ceterorum piorum sacerdotum se conferant qui modeste vestiuntur. Quomodo paupertatem et humilitatem Christi praedicabunt, qui fulgorem et iactantiam praeferunt saeculi 2 *Orabat quidam sanctus,* inquit S. Bernardus, *si dederit mihi Dominus panem ad manducandum, et vestimentum, quo operiar. Nota* quo operiar. *Sic et nos contenti simus vestimentis quibus operiantur, non quibus lasciviamus, non quibus superbiamus, non quibus mulierculis* (aut saecularibus) *vel similari vel placere studeamus* (Epist. 2. ad Fulconem) ».

(2) Ibi : « In ceteris quoque quae ad usum vel cultum corporis pertiuent, ab omni* fastus, luxus, ambitus, vel ambitionis et vanitatis specie longe réfugiant, solis necessariis vel utilibus, modestis et simplicibus contenti. In decursu visitationis christianorum et itineribus ne sarcinarum baiulatorumque frequentia et apparatu, neque plurimorum comitatu incedant stipati, quidquid ad suam propriam commoditatem, veH ostentationem pertinet secum deferentes cum ceterorum incommoditate vel offensione, affectantesque potius divites negotiatores vel praetoriani, quam viri apostolici videri ».

LITTERAE Encyclicae SSmi D. N. Leonis XIII ad omnes Antistites et catholicos Galliae.

Vénérables Frères, Très Chers Fils,

Au milieu des sollicitudes de l'Eglise universelle, bien des fois, dans le cours de Notre Pontificat, Nous Nous sommes plu à témoigner de Notre affection pour la France et pour son noble peuple. Et nous avons voulu, par une de nos Encycliques encore présente à la mémoire de tous, dire solennellement, sur ce sujet, tout le fond de Notre âme. C'est précisément cette affection qui Nous a tenu sans cesse attentif à suivre du regard, puis à repasser en Nous-même, l'ensemble des faits, tantôt tristes, tantôt consolants, qui depuis plusieurs années se sont déroulés parmi vous.

En pénétrant à fond, à l'heure présente encore, la portée du vaste complot que certains hommes ont formé d'anéantir en France le christianisme, et l'animosité qu'ils mettent à poursuivre la réalisation de leur dessein, foulant aux pieds les plus élémentaires notions de liberté et de justice pour le sentiment de la majorité de la nation, et de respect pour les droits inaliénables de l'Eglise catholique, comment ne serions-Nous pas saisi d'une vive douleur? Et quand Nous voyons se révéler, l'une après l'autre, les conséquences funestes de ces coupables attaques qui conspirent à la ruine des moeurs, de la religion et même des intérêts politiques sagement compris, comment exprimer les amertumes qui Nous inondent et les appréhensions qui Nous assiègent ?

D'autre part, Nous Nous sentons grandement consolé lorsque Nous voyons ce même peuple français redoubler, pour le Saint-Siège, d'affection et de zèle, à mesure qu'il le voit plus délaissé, Nous devrions dire plus combattu sur la terre. A plusieurs reprises, mus par un profond sentiment de religion et de vrai patriotisme, les représentants de toutes les classes sociales sont accourus de France jusqu'à Nous, heureux de subvenir aux nécessités incessantes de l'Eglise, désireux de Nous demander lumière et conseil, pour être sûrs qu'au milieu des présentes tribulations ils ne s'écarteront en rien des enseignements du Chef des croyants. Et Nous, réciproquement, soit par écrit, soit de vive voix, Nous avons ouvertement dit à Nos fils ce qu'ils avaient droit de demander à leur Père. Et loin de les porter au découragement, Nous les avons fortement exhortés à redoubler d'amour et d'efforts dans la défense de la foi catholique, en même temps que de leur patrie: deux devoirs de premier ordre, auxquels nul homme, en cette vie, ne peut se soustraire.

Et aujourd'hui encore, Nous croyons opportun, nécessaire même, d'élever de nouveau la voix, pour exhorter plus instamment. Nous ne dirons pas seulement les catholiques, mais tous les Français honnêtes et sensés, à

repousser loin d'eux tout germe de dissentiments politiques, afin de consacrer uniquement leurs forces à la pacification de leur patrie. Cette pacification, tous en comprennent le prix ; tous, de plus en plus, l'appellent de leurs vœux. Et Nous qui la désirons plus que personne, puisque Nous représentons sur la terre le *Dieu de la paix* (1), Nous convions, par les présentes Lettres, toutes les âmes droites, tous les cœurs généreux à Nous seconder pour la rendre stable et féconde.

Avant tout, prenons comme point de départ une vérité notoire, souscrite par tout homme de bon sens et hautement proclamée par l'histoire de tous les peuples, à savoir que la religion, et la religion seule, peut créer le lien social ; que seule elle suffit à maintenir sur de solides fondements la paix d'une nation. Quand diverses familles, sans renoncer aux droits et aux devoirs de la société domestique , s'unissent, sous l'inspiration de la nature, pour se constituer membres d'une autre famille plus vaste, appelée la société civile, leur but n'est pas seulement d'y trouver le moyen de pourvoir à leur bien-être matériel, mais surtout d'y puiser le bienfait de leur perfectionnement moral. Autrement la société s'élèverait peu au-dessus d'une aggrégation d'êtres sans raison, dont toute la vie est dans la satisfaction des instincts sensuels. Il y a plus ; sans ce perfectionnement moral, difficilement on démontrerait que la société civile, loin de devenir pour l'homme, en tant qu'homme, un avantage, ne tournerait pas à son détriment.

Or la moralité, dans l'homme, par le fait même qu'elle doit mettre de concert tant de droits et tant de devoirs dissemblables, puisqu'elle entre comme élément dans tout acte humain, suppose nécessairement Dieu, et, avec Dieu, la religion, ce lien sacré dont le privilège est d'unir, antérieurement à tout autre lien, l'homme à Dieu. En effet, l'idée de moralité importe avant tout un ordre de dépendance à l'égard du vrai, qui est la lumière de l'esprit; à l'égard du bien, qui est la fin de la volonté:. sans le vrai, sans le bien, pas de morale digne de ce nom. Et quelle est donc la vérité principale et essentielle, celle dont toute vérité dérive? c'est Dieu. "Quelle est donc encore la bonté suprême, dont tout autre bien procède ? c'est Dieu. Quel est enfin le créateur et le conservateur de notre raison, de notre volonté, de tout notre être, comme il est la fin de notre vie? Toujours Dieu. Puis donc que la religion est l'expression intérieure et extérieure de cette dépendance que nous devons à Dieu à titre de justice, il s'en dégage une grave conséquence qui s'impose : tous les citoyens sont tenus de s'allier pour maintenir dans la nation le sentiment religieux vrai, •et pour le défendre au besoin, si jamais une école athée, en dépit des protestations de la nature et de l'histoire, s'efforçait de chasser Dieu de la société, sûre par là d'anéantir bientôt le sens moral au fond même de la conscience humaine. Sur ce point, entre hommes qui n'ont pas perdu la notion de l'honnête, aucune dissidence ne saurait subsister.

Dans les catholiques français, le sentiment religieux doit être encore plus profond et plus universel, puisqu'ils ont le bonheur d'appartenir à la

(1) Non enim est dissensionis Deus, sed pacis. (I Cos. xiv).

vraie religion. Si, en effet, les croyances religieuses furent, toujours et partout, données comme base à la moralité des actions humaines et à l'existence de toute société bien ordonnée, il est évident que la religion catholique, par le fait même qu'elle est la vraie Eglise de Jésus-Christ, possède plus que toute autre l'efficacité voulue pour bien régler la vie, dans la société comme dans l'individu. En faut-il un éclatant exemple? La France elle-même le fournit. — A mesure qu'elle progressait dans la foi chrétienne, on la voyait monter graduellement à cette grandeur morale qu'elle atteignit comme puissance politique et militaire. C'est qu'à la générosité naturelle de son cœur, la charité chrétienne était venue ajouter une abondante source de nouvelles énergies ; c'est que son activité merveilleuse avait recontré, tout à la fois comme aiguillon, lumière directive et garantie de constance, cette foi chrétienne qui, par la main de la France, traça dans les annales du genre humain des pages si glorieuses. Et encore aujourd'hui, sa foi ne continue-t-elle pas d'ajouter aux gloires passées de nouvelles gloires? On la voit, inépuisable de génie et de ressources, multiplier sur son propre sol les oeuvres de charité; on l'admire partant pour les pays lointains où, par son or, par les labeurs de ses missionnaires, au prix même de leur sang, elle propage d'un même coup le renom de la France et les bienfaits de la religion catholique. Renoncer à de telles gloires, aucun Français, quelles que soient par ailleurs ses convictions, ne l'oserait : ce serait renier la patrie.

Or l'histoire d'un peuple révèle d'une manière incontestable quel est l'élément générateur et conservateur de sa grandeur morale. Aussi, que cet élément vienne à lui manquer, ni la surabondance de l'or, ni la force des armes ne sauraient le sauver de la décadence morale, peut-être de la mort. Qui ne comprend maintenant que, pour tous les Français qui professent la religion catholique, la grande sollicitude doit être d'en assurer la conservation ; et cela avec d'autant plus de dévouement, qu'au milieu d'eux le christianisme devient, de la part des sectes, l'objet d'hostilités plus implacables ? Sur ce terrain, ils ne peuvent se permettre ni indolence dans l'action, ni division de partis ; l'une accuserait une lâcheté indigne du chrétien, l'autre serait la cause d'une faiblesse désastreuse.

Et ici, avant de pousser plus loin, il Nous faut signaler une calomnie astucieusement répandue, pour accréditer, contre les catholiques et contre le Saint-Siège lui-même, des imputations odieuses. — On prétend que l'entente et la vigueur d'action inculquées aux catholiques pour la défense de leur foi ont, comme secret mobile, bien moins la sauvegarde des intérêts religieux, que l'ambition de ménager à l'Eglise une *domination politique sur l'Etat.* **— Vraiment, c'est vouloir ressusciter une calomnie bien ancienne, puisque son invention appartient aux premiers ennemis du christianisme. Ne fut-elle pas formulée tout d'abord contre la personne adorable du Rédempteur? Oui, on l'accusait d'agir par des visées politiques, alors qu'il illuminait les âmes par sa prédication, et qu'il soulageait les souffrances corporelles ou spirituelles des malheureux avec les trésors de sa divine bonté:** *Nous avons trouvé cet homme travaillant à bouleverser notre*

peuple, défendant de payer le tribut à César, et s'intitulant le Christ-roi- Si Vous lui rendez la liberté, vous n'êtes pas ami de César: car quiconque se prétend roi, fait de l'opposition à César... César est pour nous le seul roi **(1).**

Ce furent ces calomnies menaçantes qui arrachèrent 'à Pilate la sentence de mort contre Celui qu'à plusieurs reprises il avait déclaré innocent. Et les auteurs de ces mensonges, ou d'autres de la même force, n'omirent rien pour les propager au loin, par leurs émissaires, ainsi que saint Justin martyr le reprochait aux Juifs de son temps : « *Loin de vous repentir,. après que vous avez appris sa résurrection d'entre les morts, vous avez envoyé le Jérusalem des hommes habilement choisis, pour annoncer qu'une hérésie et une secte impie avait été suscitée par un certain* **se**-*ducteur appelé Jésus de Galilée* » (2).

En diffamant si audacieusement le christianisme, ses ennemis savaient ce qu'ils faisaient ; leur plan était de susciter contre sa propagation un formidable adversaire, l'Empire romain. La calomnie fit son chemin ; et les païens, dans leur crédulité, appelaient à l'envi les premiers chrétiens *« des êtres inutiles, des citoyens dangereux, des factieux, des ennemis de l'Empire et des empereurs* **» (3). En vain les apologistes du christianisme par leurs écrits, en vain les chrétiens par leur belle conduite, s'appliquèrent-ils à démontrer tout ce qu'avaient d'absurde et de criminel ces qualifications : on ne daignait même pas les entendre. Leur nom seul leur valait une déclaration de guerre ; et les chrétiens, par le simple fait qu'ils étaient chrétiens, non pour aucune autre cause, se voyaient forcément placés dans cette alternative : ou l'apostasie, ou le martyre. — Les mêmes griefs et les mêmes rigueurs se renouvelèrent plus ou moins dans les siècles suivants, chaque fois que se rencontrèrent des gouvernements déraisonnablement jaloux de leur pouvoir, et animés contre l'Eglise d'intentions malveillantes. Toujours ils surent mettre en avant, devant le public, le prétexte des prétendus envahissements de l'Eglise sur l'Etat, pour fournir à l'Etat des apparences de droit, dans ses empiétements et ses violences envers la religion catholique.**

Nous avons tenu à rappeler en quelques traits ce passé, pour que les catholiques ne se déconcertent pas du présent. La lutte, en substance, est toujours la même : toujours Jésus-Christ mis en butte aux contradictions du monde; toujours mêmes moyens mis en œuvre par les ennemis modernes du christianisme, moyens très vieux au fond, modifiés à peine dans la forme ;

(1) Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Caesari, et dicentem se Christum regem esse. (Luc. XXIII, 2). Si hunc dimittis , non es amicus Caesaris: omnis enim qui se regem facit contradicit Caesari... Non habemus regem nisi Caesarem. (IOAN. XIX, 12-15).

(2) Tantum abest ut poenitentiam egeritis, postquam Eum a mortuis resurrexisse accepistis, ut etiam... eximiis delectis viris, in omnem terrarum orbem eos miseritis, qui renunciarent haeresim et sectam quamdam impiam et iniquam excitatam esse a Iesu quodam galilaeo seductore. *{Dialog, cum Tryphone).*

(3) Tertull. *In Apolog.;* — **Minutius Felix,** *in Octavio.*

mais toujours aussi mêmes moyens de défense clairement indiqués aux chrétiens des temps présents par nos apologistes, nos docteurs, nos martyrs. Ce qu'ils ont fait, il nous incombe de le faire à notre tour. Mettons donc au-dessus de tout la gloire de Dieu et de son Eglise ; travaillons pour elle avec une application constante et effective ; et laissons le soin du succès à Jésus-Christ qui nous dit : « *Dans le monde, vous serez opprimés ; mais ayez confiance, j'ai vaincu le monde* » (1).

Pour aboutir là, Nous l'avons déjà remarqué, une grande union est nécessaire, et si l'on veut y parvenir, il est indispensable de mettre de côté toute préoccupation capable d'en amoindrir la force et l'efficacité. — Ici Nous entendons principalement faire allusion aux divergences politiques des Français, sur la conduite à tenir envers la république actuelle: question que Nous désirons traiter avec la clarté réclamée par la gravité du sujet, en partant des principes et en descendant aux conséquences pratiques.

Divers gouvernements politiques se sont succédés en France dans le cours de ce siècle, et chacun avec sa forme distinctive : empires, monarchies, républiques. En se renfermant dans les abstractions, on arriverait à définir quelle est la meilleure de ces formes, considérées en elles-mêmes, on peut affirmer également en toute vérité que chacune d'elles est bonne, pourvu qu'elle sache marcher droit à sa fin, c'est-à-dire le bien commun, pour lequel l'autorité sociale est constituée ; il convient d'ajouter finalement, qu'à un point de vue relatif, telle ou telle forme de gouvernement peut être préférable, comme s'adaptant mieux aa caractère et aux mœurs de telle ou telle nation. Dans cet ordre d'idées spéculatif, les catholiques, comme tout citoyen, ont pleine liberté de préférer une forme de gouvernement à l'autre, précisément en vertu de ce qu'aucune de ces formes sociales ne s'oppose, par elle-même, aux données de la saine raison, ni aux maximes de la doctrine chrétienne. Et c'en est assez pour justifier pleinement la sagesse de l'Eglise alors que, dans ses relations avec les pouvoirs politiques, elle fait abstraction des formes qui les différencient, pour traiter avec eux les grands intérêts religieux des peuples, sachant qu'elle a le devoir d'en prendre la tutelle, au-dessus de tout autre intérêt. Nos précédentes Encycliques ont exposé déjà ces principes; il était toutefois nécessaire de les rappeler, pour le développement du sujet qui nous occupe aujourd'hui.

Que si l'on descend des abstractions sur le terrain des faits, il faut nous bien garder de renier les principes tout à l'heure établis : ils demeurent inébranlables. Seulement, en s'incarnant dans les faits, ils y revêtent un caractère de contingence déterminé par le milieu où se produit leur application. Autrement dit, si chaque forme politique est bonne par elle-même et peut être appliquée au gouvernement des peuples, en fait, cependant, on ne rencontre pas chez tous les peuples le pouvoir politique sous une même forme ; chacun possède la sienne propre. Cette forme naît de l'ensemble des circonstances historiques ou nationales, mais toujours humaines, qui font

(1) In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum. (IOAN XVI, 33)V

surgir dans une nation ses lois traditionnelles et même fondamentales ; et par celles-ci, se trouve déterminée telle forme particulière de gouvernement, telle base de transmission des pouvoirs suprêmes.

Inutile de rappeler que tous les individus sont tenus d'accepter ces gouvernements, et de ne rien tenter pour les renverser ou pour en changer la forme. De là vient que l'Eglise, gardienne de la plus vraie et de la plus haute notion sur la souveraineté politique, puisqu'elle la fait dériver de Dieu, a toujours réprouvé les doctrines et toujours condamné les hommes rebelles à l'autorité légitime. Et cela, dans le temps même où lès dépositaires du pouvoir en abusaient contre Elle, se privant par là du plus puissant appui donné à leur autorité, et du moyen le plus efficace pour obtenir du peuple l'obéissance à leurs lois. On ne saurait trop méditer, sur ce sujet, les célèbres prescriptions, que le Prince des apôtres, au milieu des persécutions, donnait aux premiers chrétiens : « *Honorez tout le monde : aimez la fraternité: craignez Dieu: rendez honneur au roi* » (1). Et celles de saint Paul : « *Je vous en conjure donc avant toutes choses : ayez soin qu'il se fasse au milieu de vous des obsécrations, des oraisons, des demandes, des actions de grâces, pour tous les hommes: pour les rois, et pour tous ceux qui sont élevés en dignité, afin que nous menions une vie tranquille, en toute piété et chasteté: car cela est bon et agréable devant Dieu notre Sauveur* » (2).

Cependant, il faut soigneusement le remarquer ici : quelle que soit la forme des pouvoirs civils dans une nation, on ne peut la considérer comme tellement définitive qu'elle doive demeurer immuable, fût-ce l'intention de ceux qui, à l'origine, l'ont déterminée. — Seule, l'Eglise de Jésus-Christ a pu conserver, et conservera sûrement jusqu'à la consommation des temps, sa forme de gouvernement. Fondée par Celui qui *était,* qui *est,* et qui *sera dans les siècles* (3), elle a reçu de Lui, dès son origine, tout ce qu'il lui faut pour poursuivre sa mission divine à travers l'océan mobile des choses humaines. Et, loin d'avoir besoin de transformer sa constitution essentielle, elle n'a même pas le pouvoir de renoncer aux conditions de vraie liberté et de souveraine indépendance dont la Providence l'a munie dans l'intérêt général des âmes. — Mais, quant aux sociétés purement humaines, c'est un fait gravé cent fois dans l'histoire, que le temps, ce grand transformateur de tout ici-bas, opère dans leurs institutions politiques de profonds changements. Parfois il se borne à modifier quelque chose à la forme de gouvernement établie ; d'autres fois, il va jusqu'à substituer aux formes primitives, d'autres formes totalement différentes, sans en excepter le mode de transmission du pouvoir souverain.

(1) Omnes honorate ; fraternitatem diligite : Deum timete : regem honorificate, (I, Petr. II, 17).

(2) Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus : pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus, in omni pietate et castitate : hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo. (I Timoth. II, 1 seqq.).

(3) Iesus Christus heri, et hodie: ipse in saecula. (HEBR. XIII, 8).

Et comment viennent a se produire ces changements politiques dont Nous parlons? Ils succèdent parfois à des crises violentes, trop souvent sanglantes, au milieu desquelles les gouvernements préexistants disparaissent en fait ; voilà l'anarchie qui domine ; bientôt l'ordre public est bouleversé jusque dans ses fondements. Dès lors une *nécessité sociale* s'impose à la nation ; elle doit, sans retard, pourvoir à elle-même. Comment n'aurait-elle pas le droit, et plus encore le devoir de se défendre contre un état de choses qui la trouble si profondément, et de rétablir la paix publique dans la tranquillité de l'ordre ? Or cette nécessité sociale justifie la création et l'existence des nouveaux gouvernements, quelque forme qu'ils prennent;, puisque, dans l'hypothèse où nous raisonnons, ces nouveaux gouvernements sont nécessairement requis par l'ordre public, tout ordre public étant impossible sans un gouvernement. Il suit de là que, dans de semblables conjonctures, toute la nouveauté se borne à la forme politique des pouvoirs civils* ou à leur mode de transmission ; elle n'affecte nullement le pouvoir considéré en lui-même. Celui-ci continue d'être immuable et digne de respect; car, envisagé dans sa nature, il est constitué et s'impose pour pourvoir ai* bien commun, but suprême qui donne son origine à la société humaine. En d'autres termes, dans toute hypothèse, le pouvoir civil, considéré comme tel, est de Dieu et toujours de Dieu : « *Car iL n'y a point de pouvoir si ce n'est de Dieu* » (1).

Par conséquent, lorsque les nouveaux gouvernements qui représentent, cet immuable pouvoir sont constitués, les accepter n'est pas seulement permis, mais réclamé, voire même imposé par la nécessité du bien social qui les a faits et les maintient. D'autant plus que l'insurrection attise la haine entre citoyens, provoque les guerres civiles et peut rejeter la nation dans le chaos de l'anarchie. Et ce grand devoir de respect et de dépendance persévérera, tant que les exigences du bien commun le demanderont, puisque ce bien est, après Dieu, dans la société, la loi première et dernière.

Par là s'explique d'elle-même la sagesse de l'Eglise dans le maintien de ses relations avec les nombreux gouvernements qui se sont succédé en France, en moins d'un siècle, et jamais sans produire des secousses violentes et profondes. Une telle attitude est la plus sûre et la plus salutaire ligne de conduite pour tous les Français, dans leurs relations civiles avec la République, qui est le gouvernement actuel de leur nation. Loin d'eux ces dissentiments politiques qui les divisent ; tous leurs efforts doivent se combiner pour conserver ou relever la grandeur morale de leur patrie.

Mais une difficulté se présente : « Cette République, fait-on remarquer,, est animée de sentiments si antichrétiens que les hommes honnêtes, et beaucoup plus les catholiques, ne pourraient consciencieusement l'accepter ».. Voilà surtout ce qui a donné naissance aux dissentiments et les a aggravés. — On eût évité ces regrettables divergences, si l'on avait su tenir soigneusement compte de la distinction considérable qu'il y a entre *pouvoirs constitués* et *législation.* La législation diifère à tel point des pouvoirs po-

il) Non est enim potestas nisi a Deo. (ROM. XIII, 1).

litiques et de leur forme, que, sous le régime dont la forme est la plus excellente, la législation peut être détestable ; tandis qu'à l'opposé, sous le régime dont la forme est la plus imparfaite, peut se rencontrer une excellente législation. Prouver, l'histoire à la main, cette vérité, serait chose facile ; mais à quoi bon ? tous en sont convaincus. Et qui mieux que l'Eglise est en mesure de le savoir, elle qui s'est efforcée d'entretenir des rapports habituels avec tous les régimes politiques ? Certes, plus que toute autre puissance, elle saurait dire ce que lui ont souvent apporté de consolations •ou de douleurs les lois des divers gouvernements qui ont successivement régi les peuples, de l'empire romain jusqu'à nous.

Si la distinction tout à l'heure établie a son importance majeure elle a aussi sa raison manifeste : la législation est l'œuvre des hommes investis du pouvoir et qui, de fait, gouvernent la nation. D'où il résulte qu'en pratique, la qualité des lois dépend plus de la qualité de ces hommes que de la forme du pouvoir. Ces lois seront donc bonnes ou mauvaises, selon que les législateurs auront l'esprit imbu de bons ou de mauvais principes, et se laisseront diriger, ou par la prudence politique ou par la passion.

Qu'en France, depuis plusieurs années, dirers actes importants de la législation aient procédé de tendances hostiles à la religion, et, par conséquent, aux intérêts de la nation, c'est l'aveu de tous, malheureusement confirmé par l'évidence des faits. Nous-mêmes, obéissant à un devoir sacré, Nous en adressâmes des plaintes vivement senties à celui qui était alors à la tête de la République. Ces tendances cependant persistèrent, le mal s'aggrava, et l'on ne saurait s'étonner que les membres de l'épiscopat français, placés par l'Esprit-Saint pour régir leurs différentes et illustres Eglises, aient regardé, encore tout récemment, comme une obligation, d'exprimer publiquement leur douleur, touchant la situation créée en France à la religion catholique. Pauvre France ! Dieu seul peut mesurer l'abîme de maux où elle s'enfoncerait si cette législation, loin de s'améliorer, s'obstinait dans une telle déviation, qui aboutirait à arracher de l'esprit et du cœur des Français la religion qui les a faits si grands.

Et voilà précisément le terrain sur lequel, tout dissentiment politique mis à part, les gens de bien doivent s'unir comme un seul homme pour combattre, par tous les moyens légaux et honnêtes, ces abus progressifs de la législation. Le respect que l'on doit aux pouvoirs constitués ne saurait l'interdire, il ne peut importer ni le respect, ni beaucoup moins l'obéissance sans limites à toute mesure législative quelconque, édictée par ces mêmes pouvoirs. Qu'on ne l'oublie pas, la loi est une prescription ordonnée selon la raison et promulguée, pour le bien de la communauté, par ceux qui ont reçu à cette fin le dépôt du pouvoir. — En conséquence, jamais on ne peut approuver des points de législation qui soient hostiles à la religion et à Dieu ; c'est, au contraire, un devoir de les réprouver. C'est ce que le grand •évêque d'Hippone, saint Augustin, mettait en parfaite lumière dans ce raisonnement plein d'éloquence : « *Quelques fois, les puissances de la terre sont bonnes et craignent Dieu: d'autres fois, elles ne le craignent pas. Julien était un empereur infidèle à Dieu, un apostat, un pervers, un-*

idolâtre. Les soldats chrétiens servirent cet empereur infidèle. Mais, dès qu'il s'agissait de la cause de Jésus-Christ, ils ne reconnaissaient que Celui qui est dans le ciel. Julien leur prescrivait-il d'honorer les idoles et de les encenser ; ils mettaient Dieu au-dessus du prince. Mais, leur •disait-il: Formez vos rangs pour marcher contre telle nation ennemie: à l'instant ils obéissaient. Ils distinguaient le Maître éternel du maître temporel, et cependant, en vue du Maître éternel, ils se soumettaient même à un tel maître temporel » **(1). Nous le savons, l'athée, par un lamentable abus de sa raison et plus encore de sa volonté, nie ces principes. Mais, en définitive, l'athéisme est une erreur si monstrueuse qu'elle ne pourra jamais, soit dit à l'honneur de l'humanité, y anéantir la conscience des droits de Dieu pour y substituer l'idolâtrie de l'Etat.**

Les principes qui doivent régler notre conduite envers Dieu et envers les gouvernements humains étant ainsi définis, aucun homme impartial ne pourra accuser les catholiques français, si, sans épargner ni fatigues ni sacrifices, ils travaillent à conserver à leur patrie ce qui est pour elle une condition de salut, ce qui résume tant de traditions glorieuses enregistrées par l'histoire, et que tout Français a le devoir de ne pas oublier.

Avant de terminer no'tre Lettre, Nous voulons toucher à deux autres points connexes entre eux, et qui, se rattachant de plus près aux intérêts, religieux, ont pu susciter parmi les catholiques quelque division. — L'un d'eux est le *Concordat,* **qui, pendant tant d'années, a facilité en France l'harmonie entre le gouvernement de l'Eglise et celui de l'Etat. Sur le maintien de ce Pacte solennel et bilatéral, toujours fidèlement observé de la part du Saint-Siège, les adversaires de la religion catholique eux-mêmes ne s'accordent pas. — Les plus violents voudraient son abolition, pour laisser à l'Etat toute liberté de molester l'Eglise de Jésus-Christ. — D'autres, au contraire, avec plus d'astuce, veulent, ou du moins assurent vouloir la conservation du Concordat : non pas qu'ils reconnaissent à l'Etat le devoir de remplir envers l'Eglise les engagements souscrits, mais uniquement pour le faire bénéficier des concessions faites par l'Eglise; comme si l'on pouvait à son gré séparer les engagements pris des concessions obtenues, alors que ces deux choses font partie substantielle d'un seul tout. Pour eux, le Concordat ne resterait donc que comme une chaîne propre à entraver la liberté de l'Eglise, cette liberté sainte à laquelle elle a un droit divin et inaliénable. De ces deux opinions, laquelle prévaudra ? Nous l'ignorons. Nous avons voulu seulement les rappeler, pour recommander aux catholiques de ne pas provoquer de scission sur un sujet dont il appartient au Saint-Siège de s'occuper.**

(1) Aliquando... potestates bonae sunt, et timent Deum; aliquando non timent Deum'. Iulianus extitit infidelis imperator, extitit apostata, iniquus, idolatra : milites christiani servierunt Imperatori infideli ; ubi veniebatur ad caussam Christi, non agnoscebant nisi illum qui in coelis erat. Si quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, praeponebant illi Deum ; quando autem dicebat : Producite aciem, ite contra illam gentem ; statim obtemperabant. Distinguebant Dominum aeternum, a domino temporali ; et tamen subditi erant propter Dominum aeternum, etiam domino temporali. (ENARRAT, in Psalm, cxxiv, n. 7, nn.).

Nous ne tiendrons pas le même langage sur l'autre point, concernant le principe de la séparation de l'Etat et de l'Eglise, ce qui équivaut à séparer la législation humaine de la législation chrétienne et divine. Nous ne voulons pas nous arrêter à démontrer ici tout ce qu'à d'absurde la théorie de cette séparation ; chacun le comprendra de lui-même. Dès que l'Etat refuse de donner à Dieu ce qui est à Dieu, il refuse, par une conséquence nécessaire, de donner aux citoyens ce à quoi ils ont droit comme hommes ; car, qu'on le veuille ou non, les vrais droits de l'homme naissent précisément de ses devoirs envers Dieu. D'où il suit que l'Etat, en manquant, sous ce rapport, le but principal de son institution, aboutit, en réalité, à se renier lui-même, et à démentir ce qui est la raison de sa propre existence. Ces vérités supérieures sont si clairement proclamées par la voix même de la raison naturelle, qu'elles s'imposent à tout homme, que n'aveugle pas la violence de la passion. Les catholiques, en conséquence, ne sauraient trop se garder de soutenir une telle séparation. En effet, vouloir que l'Etat se sépare de l'Eglise, ce serait vouloir, par une conséquence logique, que l'Eglise fût réduite à la liberté de vivre selon le droit commun à tous les citoyens. — Cette situation, il est vrai, se produit dans certains pays. C'est une manière d'être qui, si elle a de nombreux et graves inconvénients, offre aussi quelques avantages, surtout quand le législateur, par une heureuse inconséquence, ne laisse pas que de s'inspirer des principes chrétiens; et ces avantages, bien qu'ils ne puissent justifier le faux principe de la séparation, ni autoriser à le défendre, rendent cependant digne de tolérance un état de choses qui, pratiquement, n'est pas le pire de tous.

Mais, en France, nation catholique par ses traditions et par la foi présente de la grande majorité de ses fils ; l'Eglise ne doit pas être mise dans la situation précaire qu'elle subit chez d'autres peuples. Les catholiques peuvent d'autant moins préconiser la séparation, qu'ils connaissent mieux les intentions des ennemis qui la désirent. Pour ces derniers, et ils le disent assez clairement, cette séparation, c'est l'indépendance entière de la législation politique envers la législation religieuse; il y a plus, c'est l'indifférence absolue du pouvoir à l'égard des intérêts de la société chrétienne, c'est-à-dire de l'Eglise, et la négation même de son existence. — Ils font cependant une réserve qui se formule ainsi : Dès que l'Eglise, utilisant les ressources que le droit commun laisse au moindre des Français, saura, par un redoublement de son activité native, faire prospérer son oeuvre, aussitôt l'Etat intervenant pourra et devra mettre les catholiques français hors du droit commun lui-même. — Pour tout dire en un mot, l'idéal de ces hommes serait le retour au paganisme: l'Etat ne reconnaît l'Eglise, qu'au jour où il lui plaît de la persécuter.

Nous avons expliqué, Vénérables Frères, d'une manière abrégée,, mais nette, sinon tous, au moins les principaux points sur lesquels les catholiques français et tous les hommes sensés doivent pratiquer l'union et la concorde, pour guérir, autant qu'il est possible encore, les maux dont la France est affligée, et pour relever même sa grandeur morale. Ces points sont, la religion et la patrie, les pouvoirs politiques et la législation, la

conduite à tenir à l'égard de ces pouvoirs et à l'égard de cette législation, le Concordat, la séparation de l'Etat et de l'Eglise. — Nous nourrissons l'espoir et la confiance que l'éclaircissement de ces points dissipera les préjugés de plusieurs hommes de bonne foi, facilitera la pacification des esprits, et par elle l'union parfaite de tous les catholiques, pour soutenir la grande cause du *Christ qui aime les Francs.*

Quelle consolation pour Notre cœur de vous encourager dans cette voie, et de vous contempler tous, répondre docilement à notre appel ! — Vous, Vénérables Frères, par votre autorité et avec le zèle si éclairé pour l'Eglise et la patrie, qui vous distingue, vous apporterez un puissant secours à cette œuvre pacificatrice. — Nous aimons même à espérer que ceux qui sont au pouvoir voudront bien apprécier nos paroles, qui visent à la prospérité et au bonheur de la France.

En attendant, comme gage de Notre affection paternelle, Nous donnons à vous, Vénérables Frères, à votre clergé, ainsi qu'à tous les catholiques de France, la bénédiction apostolique.

Donné à Rome, le 16 Février de l'année 1892, de Notre pontificat la quatorzième.

LEO PP. XIIL

(Versio latina)

Venerabiles Fratres, Filiique Carissimi.

Inter gravissimas, quas pro universa Ecclesia gerimus, solicitudines, placuit Nobis Pontificatus nostri tempore benevolum nostri Cordis affectum erga Galliam, eiusque generosum populum, etiam atque etiam testificari : Nosque in una ex nostris editis Encyclicis, cuius adhuc penes omnes memoria praesens est, intimos animi nostri sensus hac super re solemniter expromere voluimus. Qui quidem potissimum animi affectus continenter intentos Nos tenuit, ut aliquam istius Nationis cum reverentia idemtidem rationem haberemus ; ac praeterea factorum quam sive tristia, sive laeta pluribus abhinc annis inter vos istic evenerunt, seriem Nobiscum Ipsi memoria repeteremus.

Serio intimiusque, etiam num, naturam considerantes illius conspirationis, quam plerique istic late inierunt, ut in Gallia Christianam Religionem omnino deleant ; atque efferam animi contentionem, qua plenum atque integrum consiliorum suorum effectum consequi adnituntur, vel primas ipsas libertatis et iustitiae notiones pedibus proculcando, nullo respectu habito sive publicae opinionis, quam videlicet pleraque Nationis pars profitetur sive sanctissimorum iurium Catholicae Ecclesiae, quis fieri potest,, ut magno Nos haud afficiamur dolore ? Cumque funesta horum iniquorum aggressuum, qui et morum, et Religionis, imo etiam reipublicae, sapienter

intellectae, ruinam minitantur, consectaria subinde prodire conspicimus, qua ratione animi moerores, quibus obruimur, et mentis timores, quibus urgemur, verbis expromere possumus ?

Ceterum • magna Nos consolatione recreatos persentimus, dum illum ipsum Gallicum populum, quo magis derelictus, immo potius hostiliter impetitus cernitur, amorem ac zelum erga S. Sedem duplicare conspicimus.

Saepe numero intimo Religionis sensu, ac sincero in Patriam amore permoti Viri praeclarissimi, Oratores Legati omnium Ordinum civilis Societatis huc ad Nos ex Gallia sponte accurrerunt, gravibus continuisque Ecclesiae necessitatibus subvenire gestientes, et Christianae Sapientiae documenta consiliaque a Nobis efflagitare cupientes, ut tuto confidere possent, sese ab Eius praeceptionibus, qui omnium Orthodoxorum Caput est, in publicis horum temporum calamitatibus constitutos, nunquam vel hilum recessuros. Et Nos vicissim filiis nostris sive voce, sive scripto, apertissime suggessimus, quid ab suo ipsorum Patre exposcere iure possent. Neque vero illos ad animum despondendum adduximus ; imo potius, ut in Catholicae Fidei suaeque Patriae defensionem amorem nisusque ingeminarent, vehementer hortati sumus : quae quidem duo praecipua hominis officia eiusmodi sunt, ut ab iis, dum vivit, sese subducere possit nemo.

Hodieque vero etiam, Nos opportunum, imo necessarium existimamus vocem denuo extollere, instantius exhortandi causa, haud quidem Catholicos tantummodo, sed et omnes Gallos cives honestos ac sensatos, ut omnium politicarum dissensionum germen eradicare et ab se longe expellere studeant, quo vires omnes ad Patriae pacem stabiliendam unice con* ferre possint. Huius pacis pretium omnes agnoscunt : hanc in dies magis omnes summis votis expetunt, exposcunt. Nos vero, qui eam omnium maxime exoptamus, quoniam illius in terris personam gerimus, qui Deus pacis est, Nos, inquam, per hasce Literas, omnes quotquot istic sunt, honestos probosque cives, et generoso corde praeditos, compellamus ad Nos obsecundandos, ut eadem stabilis ac fecunda reddatur.

In primis uti commune principium et fundamentum orationis, veritatem satis notam assumamus ; cui quique sanae mentis homines profecto adstipulantur, quamque elata voce omnium populorum historiae proclamant : nimirum Religionem, et quidem solam Religionem, sociale vinculum statuere posse v^rae ac perfectae paci, in quavis natione super solidis fundamentis stabiliendae conservandaeque sufficere.

Si quando aliquot familiae, quin domesticae Societatis iuribus officiisque nuncium remittant, ipsa natura duce, ita sese forte coniungerent, ut alterius amplioris Societatis, quae civilis Societas nuncupatur, se membra constituant, earum procul dubio scopus ac finis est, non modo adminicula quaerere quibus, ad materiale ipsarum bonum consequendum perveniri possit ; sed praesertim bonum maximum curare, quod est moralis civium perfectio. Secus enim societas isthaec cuivis animalium ratione carentium complexui, quorum universa vita in sensualium instinctuum satisfactione consistit, parum profecto .ante.celle.ret.

Praeterea sine huius moralis perfectionis provehendae studio, difficile

vdemon'strari poterit, civilem societatem homini, qua homo est, quamvis fortasse inutilem, haudquaquam tamen perniciosam fore.

Iam vero moralis perfectio in homine, ob hanc ipsam causam, quod -eiusdem hominis inter se dissimilia iura simul et officia conciliare debet; .quoniam ipsa in omnes humanos actus, uti quoddam elementum, ingreditur, necessario Deum exigit, et cum Illo Religionem, illud videlicet sacrum vinculum, cuius singulare privilegium est, ante omne aliud morale vinculum hominem Deo coniungere : — Enimvero moralitatis idea primum secum fert quemdam dependentiae ordinem quoad *verum,* quod est animae lumen ; et quoad *Bonum,* quod est finis voluntatis : sine *Vero,* sine *Bono* — nihil morale est hoc nomine dignum.

Quaenam igitur est principalis atque essentialis veritas, ex qua omnis veritas derivatur ? Deus est. Iterum : quaenam igitur est suprema Bonitas, unde -omne aliud bonum procedit? Deus est. Denique, quis est humanae rationis ac voluntatis, et nostri ipsorum quidquid sumus, Creator et Conservatur, quemadmodum est etiam vitae nostrae finis ultimus? Profecto Deus. — Quoniam igitur Religio illius obsequii, quo Deo nos iustitiae nomine subiicere debemus, interna atque externa expressio est gravissima exinde veritas consequitur, videlicet: Omnes cives ut legitimum in sua Natione verae Religionis sensum sartum tectumque servent, atque, si opus fuerit, strenue defendant, ad sese mutuo consociandos obligari : si quando -ex. gr. aliqua secta athea contrariis naturae atque historiae protestationibus despectis, Deum ab Societate expellere adnitatur, certissime- fore •confidens, ut quam primum in intimo humanae conscientiae sinu omnis moralitatis sensus extinguatur.

Hac super re inter homines, qui honestatis notionem nequaquam amiserint, nullum esse post dissidium. In Catholicis autem Gallicis religiosus iste sensus profundior adhuc atque universalior procul dubio esse debet, ipsi enim ad veram Religionem pertinendi honore fruuntur. Profecto si, quaevis ea sit, Religionis dogmata tamquam bases in humanarum actionum honestate definienda, et in cuiusvis bene ordinatae Societatis constitutione perficienda semper et ubique adhiberentur, omnino evidens est, Catholicam Religionem, hanc ipsam ob causam, quod vera Religio est Christi Iesu, -efficaciam prae ceteris omnibus possidere, quae ad vitam sive in quolibet civium, sive in universa hominum Societate iuxta rectae rationis normam apprime dirigendam, necessario requiritur. Cuius rei aiiquodne splendidum •exemplum opus est ? Id ipsamet Gallia nobis suppeditat. Nam quo magis ipsa Christiana Religione proficiebat eo magis ad illud gloriae fastigium, quo tandem pervenit, pedetentim progredi cernebatur ; ad summam videlicet domi bellique potentiam. Nimirum naturali eiusdem magnanimitate christiana charitas uberem novae vis fontem addidit: mirabilis eius agendi alacritas illico veluti quoddam gloriae calcar, dirigens lumen atque constantia co-mmunitum nacta est, christianam scilicet Fidem, quae Galliae manu in humani generis annalibus adeo gloriosas paginas exaravit. Et hodie eius Fides nonne praeteritis Galliae inclytis gestis nova inclyta <g€sta adiicere pergit? Ingenio atque animi vi inexhausta in communi Pa*

triae solo charitatis opera in dies multiplicare conspicitur : omnium admiratione in dissitas barbarasque regiones proficisci idemtidem cernitur ; ubi aere proprio, et Evangelii praeconum suorum laboribus imo etiam propria profuso sanguine, Galliae illustre nomen, et Catholicae Religionis beneficia uno eodemque tempore assidue propagat.

Hisce praeclaris decoribus nuntium remittere quaecumque coeteroquin sint privatae singulorum opiniones, Gallorum profecto audebit nemo : hoc enim idem esset, ac Patriam eiurare.

Iam vero populi cuiuslibet historia ineluctabili ratione demonstrat quodnam elementum sit, quo eiusdem populi magnitudo civilis generatur, conservatur, atque perficitur. Hoc vero si quando illum deficiat, tum nec auri uberior copia, neque armorum vis eumdem populum a morali occasu, ac fortasse etiam ab extrema ruina salvare poterit. Quis autem in praesenti non intelligit, hanc omnium Gallorum, qui Catholicam Religionem profitentur, potissimam esse debere sollicitudinem curamque, ut eamdem sartam tectam tueantur ; idque eo maiori pietatis ardore, quo magis inter ipsos eadem christiana Religio perduellium Sectarum acerrimum atque omnino implacabile odium subire cogitur ? In hac palaestra nec segnitiem in agendo, nec partium divisionem sibi unquam permittere licet : quarum prior ignaviam Christiano homine indignam argueret ; altera vero satis funestae imbecillitatis causa foret.

Atque hic, antequam ulterius progrediamur, calumniam meminisse iuvat vaferrime ab adversariis in vulgum sparsam, ut odiosis imputationibus contra Catholicos atque in ipsam S. Sedem per ipsos delatis, fidem conquirant. Asseritur ergo, verum scopum vimque actionis Catholicis per Nos suggestae in suae Fidei defensionem, tamquam occultum praecipuumque motorem haudquaquam Religionis defensionem reipsa habere, sed ambitum potius civilem dominationem super laicum Principatum in Ecclesiam conferendi. Id quidem est satis vetustam calumniam iterum excire : eius enim inventio primis ipsis Christianae Religionis adversariis iure tribuitur. Enimvero nonne fuit eadem ab initio contra adorabilem Redemptoris nostri Personam ilicet concinnata ? Profecto : insimulabatur enim Ipse, sive quando animas sua praedicatione illuminabat, sive quando corporalibus, aut spiritualibus aegrorum languoribus divinae suae bonitatis thesauris medebatur,, ob politicas rationes id agere. « Hunc invenimus subvertentem gentem no-
« stram, et prohibentem tributa dari Caesari, et dicentem se Christum
« Regem esse » (Luc. XII. 2). « Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris :
«omnis enim qui se Regem facit, contradicit Caesari:.... Non habemus
« Regem nisi Caesarem » (Io. XIX. 12-15).

Hae calumniae adamussim fuerunt, minis commixtae, quae mortis sententiam a Pilato in Eum, quem ille plus semel innocentem declaraverat, tandem extorserunt. Auctores vero'huius mendacii, aliorumque eiusdem generis, nihil omiserunt ut ea longe lateque per suos emissarios propagèrent : quemadmodum S. Iustinus Martyr hoc idem sui temporis Iudaeis exprobabat : « Tantum abest ut poenitentiam egeritis, postquam Eum a.
«mortuis resurrexisse accepistis, ut etiam.... eximiis delectis viris, in.

« omnem, terrarum orbem eos miseritis, qui renunciarent, haeresim et se-« etam quamdam impiam et iniquam excitatam esse a Iesu quodam galilaeo « seductore ». Dial, cum Triph.

Christianam Religionem adeo audacter infamantes eius adversarii, quid ipsi facerent optime noverant : id nimirum sibi assequendum proposuerant, formidandum contra eam adversarium, Romanum videlicet Imperium, concitare. Calumnia suo itinere progressa fuit : Atque Pagani, illorum oblocutionibus temere fidem habentes, primos Christianos — homines inutiles, periculosos cives, seditiosos, Imperii atque Imperatoris inimicos — certatim appellabant. (Tert. in Apolog. Min. Fel. in Oct.).

Frustra Christianae Religionis Apologistae suis scriptis, frustra Christiani praeclara sua vivendi ratione ad demonstrandum quam absurdae ac sceleratae essent huiusmodi insimulationes incubuerunt; neque illis, neque huic Pagani sive oculos, sive animum intendere dignabantur. Vel ipsum Christianum nomen iisdem erat tamquam belli denunciatio ; et Christiani hanc unam ob causam, quod Christiani essent, inter alterutrum se arctissime constitutos conspiciebant ; ut vel apostasiam seligere deberent, aut martyrium. Eaedem quaerelae, iidemque rigores sequentibus saeculis plus minus renovati sunt, quoties supremi Principes proprii imperii nimis zelotypa et malevolo in Ecclesiam animo affecti forte occurrerunt.

Isti quovis tempore proferre probe noverant, et in publicum edere, uti probabiles damnationis causas, confictos Ecclesiae aggressus in laicum Principatum, ut huic saltem iuris speciem ad usurpationes conficiendam, vimque Christianae Ecclesiae inferendam suppeditarent.

Nos ad huiusmodi praeterita facta raptim recensenda officio compulsi fuimus, ne Catholici animo deficiant in praesenti, neque perturbentur. Collluctatio quidem quoad rei essentiam eadem semper est : semper Iesus Christus *positus in signum contradictionis* hominum : semper eadem adminicula ab hodiernis Christianae Religionis hostibus adhibita ; adminicula profecto vetera quoad substantiam, et quoad formam vix immutata : sed proinde etiam semper eaedem defensionis rationes a nostris sive Apologistis, sive Doctoribus, sive Martyribus perspicue indicatae.

Quod illi fecerunt, nobis itidem faciendum apprime est. Igitur ceteris rebus omnibus Dei atque Eius Ecclesiae gloriam praeponamus : pro eadem constanti atque efficaci animi contentione laboremus ; curamque successus Christo Domino relinquamus, qui nobis dicit : « In mundo pressuram habebitis ; sed confidite, Ego vici mundum » — (Io. XVI. 33).

Ut illuc pertingamus, quod quidem Nos iam ante monuimus, arcta animorum coniunctio necessaria est ; ac si eo nos pervenire cupimus, cuiusvis propriae opinionis studium deponere opus est, quod communis actionis vim atque efficaciam minuere possit. Hic vero Nos ad civiles Gallorum dissensiones super agendi ratione in praesenti Reipublicae statu adhibenda concitatas alludere praecipue volumus : quaestio profecto haec est, quam Nos *ea* perspicuitate, quam rei ipsius gravitas exigit, pertractare desideramus : a principiis certis statuendis exordientes ad practica exinde consectaria deducenda progrediemur.

Pleraeque ac variae civiles Dominationes lioc ipso saeculo sibi invicem? istic successerunt, atque unaquaeque suam, qua a ceteris plane distinguitur,, formam habet: Imperium, Monarchia, Respublica, seu Democratia. In abstractis cogitatibus nos si stendo, ad definiendum, quaenam es illis formis,, in se ipsis desideratis, optima sit, fortasse perveniemus : potest item verissime affirmari unamquamque earum bonam esse, dummodo ad proprium finem, scilicet ad bonum commune propter quod socialis auctoritas constituta est, recte dirigatur.

Denique adiicere convenit, ex iisdem formis, si quidem hae inter se conferantur, hanc aut illam civilis Dominationis formam sub aliquo aspectu, ceteris praeferri posse ; ut quae huius aut illius nationis indoli ac moribus maxime omnium congruit. In hoc abstractarum idearum ordine Catholici, quemadmodum cives omnes, ex pluribus civilis regiminis formis unam alteri praeferendi plena atque integra libertate fruuntur, hanc nimirum/ ob causam, quod nulla earum, per se spectata, nec rectae rationis dictatis, neque christianae Religionis dogmatibus adversetur. Atque id profecto satis est ad plene comprobandam laude dignam Ecclesiae sapientiam, dum. in suis cum quolibet civili Principatu exteris relationibus neutiquam formarum rationem habet, quibus iidem Principatus invicem distinguntur, ut maximi momenti populorum negotia ad Religionem spectantia libere pertractet; quum sciat, se suo ipsius munere ad eadem prae ceteris, quae eorumdem populorum interesse possunt, tuenda obligari.

Nos huiusmodi principia in nostris praecedentibus Encyclicis iara exposuimus ; necesse tamen erat eadem iterum in memoriam revocare ad ampliorem huius rei, quae Nos hodieque maximopere distinet, declarationem.

Si vero ab abstractis ad facta expendenda descendimus, opus est sedulo cavere, ne principia hactenus statuta abnegentur. Illa quidem immota consistunt : attamen quando eadem facta evadunt characterem praeseferunt rei cuiuspiam usu contingentis atque variabilis, quae ab ipsa determinatur, unde eorumdem Principiorum applicatio producta fuit. Seu aliter : etsi uuaquaeque civilis Gubernii forma per se bona est, et supremo populorum Regimini aptari potest; reipsa tamen penes omnes populos civilis Potestas nonnisi sua unica forma occurrit; quisque utique suam propriam possidet. Forma dsthaec ex historicorum, vel nationalium, semper nihilominus, ad homines pertinentium, adiunctorum complexu exorta fuit : quae quidem adiuncta in unaquaque natione ipsius Legibus in posteros transmittendis,, ac fundamenti loco habendis, originem dederunt: ac per eadem, haec aut illa specialis forma civilis Regiminis definita reperitur ; hoc videlicet fundamentum transmittendae supremae cuiuslibet potestatis in posteros.

Inutile hic monere ducimus, singulos cives ad haec ita constituta Regimina subeunda obligari, nihilque pertentandum, ut eadem pervertant, aut. eorumdem formam immutent. Ex quo factum est, ut Ecclesia, quae una in: terris maxime omnium veram atque sublimem civilis potestatis notionem depositi loco custodit, quoniam omnem potestatem a Deo derivari docet,, rebelles homines legitimam auctoritatem detrectantes continenter reproba-

rit. Idque eodem etiam ipso tempore, quo Reges ac Principes potestate sibi tradita abutebantur, orbantes sese hanc ob causam Praesidio omnium validissimo ad suam auctoritatem fulciendam ipsis tributo, atque omnium maxime efficaci adminiculo ad obtinendam in Imperii leges populorum observantiam. Nunquam profecto satis animo perpenderentur apprime nota, hac super re b. Petri Apostoli praecepta, quae Ipse, in mediis paganorum insectationibus, primis illis Christianis per Epistolas dabat: «Omnes honorate : fraternitatem diligite : Deum timete : Regem honorificate » (I. Petr. II. 17.).

Tum etiam Apostoli Pauli praecepta: « Observo igitur primum omnium » fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus ; pro Regibus et pro omnibus, qui in sublimitate sunt, » quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate ; » hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo » - (I. Timoth. II. 1. et seqq.) -

Attamen hic sedulo animadvertere oportet ; quaecumque sit in qualibet natione civilis Regiminis forma, nequaquam eamdem tamquam ita definitivam habendam esse, ut immutabilis persistere perpetuo debeat ; etsi forte haec fuerit eorum intentio ac voluntas, qui ab initio illam determinarunt. Sola quidem Ecclesia Christi Iesu sui Regiminis formam conservare hactenus potuit, ac procul dubio eamdem usque ad temporum consummationem conservabit. Ab Eo quippe fundata, qui est *heri et hodie, et* **erit** *in saecula* **(Heb. XIII 8.) ab Eodem in ipsa sui origine, omnia, quae ad divinae suae missionis opus per instabilem hunc rerum humanarum Oceanum rite exsequundum necessaria sunt, abunde recepit.**

Tantum vero abest ut ipsi Ecclesiae essentialem sui Regiminis constitutionem transformare opus sit, ut nec potestatem quidem habeat conditiones abdicandi verae libertatis ac supremae autonomiae, qua Eam divina Prudentia communis boni causa communivit.

Quod autem ad Societates mere humanas attinet, est factum sexcentis historicis documentis comprobatum, tempus, hanc insignem rerum terrestrium transformationem, in civilibus illarum institutionibus gravissimas immutationes identidem efficere. Interdum quidem Regiminis formam aliquantum tantummodo immutat; alias vero eo progreditur, ut prioribus formis aboletis, novas, easque omnino diversas, substituat; immo etiam quandoque ipsum transmittendae in successores supremae potestatis modum immutat.

Quomodo autem istae immutationes, de quibus loquimur, rei publicae contingunt? Eae aliquando videntis alicuius Nationis crisibus, nimis frequenter sanguinolentis, succedunt ; in quarum aestu praecedentia Regimina evanescunt: tum vero ecce Anarchia, quae iam ibi dominatur: statim publicus civitatis ordo ab imis usque fundamentis subversus est. Tunc quaedam socialis necessitas Nationi imponitur: ipsa sibi cogitur sine mpra consulere.

Cur, inquam, ius illi non erit, imo potius officium, ab huiusmodi rerum statu, qui eam adeo graviter perturbat, sese subtrahendi; pacemque

publicam in pristinam ordinis tranquillitatem restituendi? Iamvero ista socialis necessitas novi Regiminis constitutionem atque existentiam iustam comprobat, quamlibet ea demum formam assumat; quoniam in hypotesi, in qua versamur, haec nova Regimina ordini publico restituendo interim necessario requiruntur; quum nullus ordo publicus sine aliquo civili Regimine consistere nequeat.

Exinde consequitur, universam rei novitatem, in huiusmodi eventibus, politica civilis Regiminis statuenda forma, vel eiusdem Regiminis in successores transmittendi immutata ratione conterminari : at vero nullo modo Regimen ipsum per se spectatum attingere. Istud profecto immotum atque observantia dignum esse pergit: namque idem si intimius in ipsa sui natura inspiciatur, communi bono, quod ratio suprema est, unde humana Societas suam originem ducit, consulendi causa statutum est atque imponitur. Aliis idem verbis : in qualibet hypothesi civilis potestas, ut talis considerata, a Deo est, ac semper et ubique nonnisi a Deo. - Non enim est potestas, scribit Apostolus, nisi a Deo - (Rom. XIII. I.).

Quapropter cum nova Regimina, quae hanc immutabilem potestatem repraesentant, reipsa constituta sunt eadem cives sponte subire non modo haud vetantur ; verum etiam ob communis boni necessitatem, cuius causa exorta sunt et perstant, omnino iubentur. Praesertim vero quum populorum rebellio odium inter cives acuat, civilia bella excitet, Nationemque ipsam in Anarchiae chaos deiicere possit. Hoc autem magnum observantiae et submissionis officium eatenus perseverabit, quatenus id communis boni necessitas exiget ; quod quidem pubblicum bonum apud Deum, et in humana Societate prima atque ultima lex est.

Propterea satis superque omnibus ipsa se probat Ecclesiae sapientia in tuendis, cum plerisque Principatibus, qui centum abhinc minus annis, nunquam tamen sine violentis gravibusque rei publicae concussibus, sibi invicem in Gallia subinde successerunt, mutuis relationibus. Cunctis Galliae populis ista agendi ratio, qua iidem se erga Rempublicam, quod est praesens suae ipsorum Nationis Regimen, in civilibus quidem rebus gerere debeant, plane est omnium tutissima ac saluberrima. Longe igitur ab ipsis absint politicae quaeque dissensiones, quae eos in diversas partes distrahunt: omnes imo potius suos conatus una coniungere atque conferre debent, ut suae Patriae decus, amplitudinemque aut conservent, aut iterum erigant, extollant.

At vero difficultas hic sese obiicit : « Ista Respubblica, (Nobis oggeritur) adeo infenso animo a Christianis quibusque institutis abhorret ut honesti quique homines, ac multo magis Catholici, eidem se subiicere, salva conscientia, hon possent ». - En videlicet prae ceteris causis, quod civilibus dissensionibus originem praebuit, easque acrius exasperavit. Huiusmodi satis molesta atque inopportuna opinionum diversitas facile evitari potuisset, si solerter ac prudenter habita fuisset eius praegrandis discriminis ratio, quod inter Regimen civile iam constitutum, et Legislationem intercedit. Siquidem Legislatio ab ipso civili Regimine, eiusque forma, quaevis ea sit, adeo differt, ut sub .Regimine, cuius forma vel maxime omnium

forte praecellens sit, Legislatio detestabilis esse possit: contra sub Regimine, cuius forma maxime omnium imperfecta sit, quandoque possit optima Legislatio haberi. Hanc veritatem historicis documentis comprobare facile admodum esset: sed hoc ad quod bonum obtinendum? Omnes enim hac de re affatim persuasi sunt. Ecquis vero melius quam Ecclesia id scire potest, quae stabiles relationes cum omnibus civilibus Principatibus quovis tempore habere consuevit? Profecto ea magis, quam alii Principes ac Reges, dicere noverit, quod ipsi sibi consolationem, aut dolorem attulit, legesque quorumcumque Dominatuum, qui ab Romano Imperio ad nos usque populos vicissim moderati sunt.

Si per Nos nuper allata distinctio alicuius esse momenti videatur; sed vero etiam sui rationem manifestam habet. Legislatio enim eorum hominum opus est, qui civili potestate praediti, et Nationem quampiam reapse gubernant. Inde consequitur, in praxi, legum qualitatem magis ab istiusmodi hominum morali conditione, quam ab ipsa civili Regiminis forma derivari. Hae igitur leges erunt sive bonae, sive malae prout Legislatores bonis aut pravis sensibus imbuti fuerint, ac sese sive civili prudientiâ, sive immoderatis animi affectionibus dirigi siverint.

In Gallia vero, pluribus abhinc annis, civiles quasdam magni momenti leges contra Religionem, ac proinde contra ipsum commune Nationis bonum, infesto animo latas prodiisse omnes fatentur; idemque, per summum infortunium, factorum evidentia comprobatur. Nos ipsi sacro, quo fungimur, muneri obsequentes, graves vividasque querelas Ei, qui tum supremam Reipublicae administrationem gerebat, haud semel admovimus. Sed nihilominus in ira et Religionis odio perseveratum est: malum proinde gravius evasit; ut nemo mirari debeat, Galliae Episcopos, quos Spiritus Sanctus variis istic atque illustribus Ecclesiis singillatim regendis destinavit, Ministerii sui munus esse, et quidem recens, existimasse, dolorem suum ob novam conditionem apprime aerumnosam, quam iidem supremi Reipublicae Administratores Ecclesiae catholicae in Gallia crearunt, palam facere. Nae Gallia infelix. Solus Deus profundam malorum abyssum, quo illa mergenda erit, permetiri potest, si isthaec Legislatio, potius quam melior fiat, in incoepta ab iustitiae tramite aberratione persistet; quae quidem ad evellendam penitus ex Gallorum animo et corde Religionem, unde hi inter ceteros populos adeo magni effecti sunt, procul dubio perveniet.

En examussim palaestrae solum, ubi probi quique homines, omnibus politicis dissensionibus amandatis, ad oppugnandos quibuslibet legitimis honestisque adminiculis, exterminandosque huiusmodi in dies magis excrescentes civilis Legislationis abusus, sese una arctissime coniungere debent. Nec vero reverentia constitutis potestatibus debita id interdicere posset. Haec enim nec observantiam nec (multo minus) obedientiam nullis limitibus definitam, quibuslibet Legislativis (ut aiunt) praescriptionibus, per ipsum constitutum Regimen editis, exhibendam tamquam debitam exigere potest, atque imponere.

Ne quaeso in oblivionem abeat: Lex est praescriptio iuxta rationem

ob commune bonum, ab iis, qui huius rei gratia potestatis munus acceperunt, facta ac promulgata. Ea propter neutiquam Legem ferentis potestatis actus, quique ii sint, approbari potuerunt, qui Religioni Deoque adversentur; imo contra omnino reprobandi sunt. Id profecto est, quod magnus Hipponensis Episcopus Augustinus his verbis eloquentissime declarabat: « Aliquando.... Potestates bonae sunt, et timent Deum; aliquando » non timent Deum. Iulianus extitit infidelis Imperator, extitit apostata, » iniquus, idololatra: milites Christiani servierunt Imperatori infidelis » ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi Illum qui in » Coelis erat. Si quando volebat, ut idola colerent, ut thurificarent, prae- » ponebant illi Deum; quando autem dicebat; producite aciem, ite contra » illam gentem, statim obtemperabant. Distinguebant Dominum aeternum » a domino temporali, et tamen subditi erant, propter Dominum aeternum, » etiam domino temporali » (Enarrat, in Ps. CXXIV. n. 7. fin.)

Nos equidem novimus, Atheum quemque deplorabili suae rationis, at magis etiam suae voluntatis, abusu haec principia denegare, sed enimvero Atheismus adeo turpis error est, ut idem (quod in humanitatis laudem dictum sit) divini iuris conscientiam abolere, eique civilis Principatus idololatriam sufficere numquam possit.

Quum principia, quae nostram sive erga Deum, ōi.c erga humanam potestatem, agendi rationem moderari debent, adeo definita sint, nemo hominum a studio partium alienus poterit Catholicos Gallos insimulare, quod hi nec laboribus, neque aerumnis quibuslibet perferendis parcentes, id Patriae suae conservare conentur, quod eidem absoluta conditio salutis est ; quod omnia Maiorum gesta per historiam ad nos usque transmissa, summatim complectitur; quod denique oblivioni unquam dare Gallis omnino non licet.

Antequam hisce nostris Uteris finem imponamus, duo alia iis, quae hactenus disputavimus, arcte connexa ; quaeque, cum ipsamet Religionis commoda rationesque proprius attingant, aliquam opinionum discrepantiam inter Catholicos istic excitare fortasse potuerunt, breviter commemorare Nobis placet. Quorum prius est quod *Concordatum* appellant quod quidem concordiam inter ecclesiasticam civilemque Potestatem tot annis in Gallia faciliorem reddit. Utrum vero istud de publicis rebus ad Ecclesiam pertinentibus solemne mutuumque Pactum, ab S. Sede quovis tempore fideliter observatum, ab Gallico etiam Regimine pariter observatum fuerit, ipsimet catholicae Religionis adversarii non conveniunt. Horum quidam audaciores Pacti eiusdem abolitionem vellent, ut ita civili Regimini libera Christi Iesu Ecclesiam exagitandi potestas fiat.

Contra vero quidam alii, maiori calliditate praediti, vellent, aut saltem se velle ostendunt, illius Pacti conservationem ; non ideo tamen quia in civili Potestate officium agnoscant subscriptis pactionibus manendi moremque gerendi; sed unice ut civili eidem Regimini beneficiis in ipsum, ab Ecclesia collatis frui liceat : quasi vero per se quisque susceptas obligationes ab obtentis beneficiis pro suo lubito seiungere possit ; quum haec duo ita invicem connexa sint, ut quid unum necessario constituant.

Per ipsos igitur *Concordatum,* quod vocant, aliud in posterum profecto non erit, nisi catena, qua Ecclesiae libertas, cuius ipsa divinitus, quod abalienari non potest, ius habet, misere compediatar.

Harum opinionum utra praevalebit, Nos equidem ignoramus : sed ideo» tantummodo easdem huc afferre voluimus Catholicos monendi causa, ne hac super re dissensiones provocent, cuius quidem tractatio ac definitio ad S. Sedem omnino pertinet.

Non item eamdem loquendi rationem^ de altera adversariorum opinione disserentes, adhibebimus; qui tamquam solidum civilis Regiminis fundamentum hoc videlicet principium statuunt - Civilem Principatum ab Ecclesia, atque hanc vicissim ab illo seiungendam esse.-

Hoc quippe idem esset, ac civilem legum ferendarum potestatem a. christiana divinaque separare.

Nos quidem hic in huiusmodi principii absurditate demonstranda. distineri atque immorari nolumus ; quisque per se id facile intelliget. Quoniam vero civilis Principatus Deo, quae Dei sunt, dare recusat, necessaria consecutione, id etiam Civibus, quod ipsis, quatenus homines sunt,, iure debetur, praestare detrectat. Nam velint nolint adversarii, vera hominis iura ex eius erga Deum officiis examussim exoriuntur. Exinde consequitur, civilem Principatum hac in re deficientem, praecipuum, obquem institutus fuit, scopum destruere, ac supremam propriae existentiae rationem quodammodo abnegare.

Hae nimirum, quas nuper enunciavimus, veritates adeo evidenter abipsa hominis ratione proclamantur, ut ab omnibus, qui immoderatis animi affectionibus non obcoecantur, consensum vel invitum extorqueant.

Quapropter Catholici ea solertia, qua nunquam satis, ab huiusmodi separatione admittenda promovendâque caveant. Profecto civilem Principatum velle ab Ecclesia seiungi, idem est ac velle (id enim natura exinde consequitur), Ecclesiam ad èâ solummodo libertate vivendum adigi, quae omnibus Civibus communis est. Ista quidem vitae conditio quibusdam in regionibus reapse Ecclesiae contingit. Ea tamen vivendi ratio, quamvis innumeris, iisque gravibus, scateat incommodis; aliquod nihilominus praesefert emolumentum, praesertim vero cum Legislator, felici ac manifesta inter legem latam et Legislatorem ipsum discrepantia et contradictione,, christianis sensibus imbutum se prodit et christiane gubernat. Haec autem emolumenta etsi ipsum separationis peragendae principium per se falsum atque iniustum, verum ac iustum efficere nequeant, neque eiusdem protuendi cuipiam tribuant potestatem, tolerabilem tamen reddunt huiusmodi rerum conditionem, quae quidem, in praxi, omnium pessima profecto non est.

At vero in Gallia, quae catholica natio est ob eius vetustam a Maioribus traditam fidem, quam maior Galliae pars in praesens profitetur, Ecclesia in ista precaria vitae conditione, quam apud nonnullos alios populos subire cogitur, collocari omnino non debet. Catholicis autem ea minus hanc separationem promovere licet; quo melius adversariorum, qui eamdem expetunt, mentem voluntatemque norunt. Hisce postremis (idque

ipsimet adversarii satis manifeste fatentur), eiusmodi separatio idem est, ac plena et integra politicae Legislationis ab ecclesiastica Legislatione et potestate emancipatio; imo etiam, quod ad Christianae societatis, seu Ecclesiae, commoda, iura rationesque pertinet, absolutus contemptus ; atque ipsa demum propriae suae civilis existentiae abnegatio.

Hi nihilominus exceptionem quamdam hisce verbis conceptam statuunt: Si quando Ecclesia civi Ii libertate et legum praesidio, quibus omnibus vel minimis Galliae civibus communi iure frui permittitur, abutens, duplicata activitate ipsius propria, prosperos operae suae successus dare satagat; illico civile ipsum per se Galliae Regimen adveniens, seseque immittens, poterit atque omnino debebit omnes Catholicos Gallos ab ipso iure communi extorres declarare. Quae quidem omnia ut uno verbo complectamur; supremus horum hominum finis, atque animi votum, esset Societatis humanae, si fieri posset, ad Gentilitatem reditus : Ecclesiam civilis Dominatus agnoscere renuit, nisi forte cum eidem illam exagitare placuerit.

Nos, Venerabiles Fratres, breviter quidem, sed tamen dilucide, si non omnia, at saltem praecipua capita explanavimus, circa quae catholici Galli, imo omnes sano iudicio praediti voluntatum coniunctioni atque concordiae sedulo studere debent, ut quoad adhuc possibile est, malis quibus Gallia afflictatur, aliquod remedium afferant, eiusque decus amplitudinemque denuo relèvent.

Haec autem capita sunt - Religio et Patria ; civilis Potestas et Legislatio; debita agendi ratio erga eamdem Potestatem, eamdemque Legislationem ; *Concordatum,* **quod vocant ; civilis Principatus et Ecclesiae mutua separatio., - Nos equidem in spem adducimur, per horum capitum declarationem plenorumque bonae fidei hominum falsas opiniones disiiciendas esse, facilioremque redditum iri animorum concordiam, ac per ipsam, perfectam omnium istic catholicorum unanimitatem ad pugnandum pro Christo,** *qui Gallos diligit.*

Quae nam cordis nostri consolatio, Venerabiles Fratres, cum Vobis ad hanc viam arripiendam animos addimus, Vosque huic nostrae invitationi docili mente respondere conspicimus ! Vos, Venerabiles Fratres, vestra auctoritate, vestroque, quo pro Ecclesia ac Patria prae ceteris flagrare videmini, adeo illustri zelo, huic eximio operi conciliandae pacis validum subsidium perferetis.

Nos item sperare volumus fore ut ii qui civili potestate praefulgent, haec nostra verba magni facere velint, quae Galliae prosperitatem felicitatemque unice spectant.

Interim paternae nostrae in Galliam dilectionis pignus, Vobis, Venerabiles Fratres, vestroque Clero, atque omnibus Catholicis, qui sunt in Gallia, Apostolicam benedictionem libenter impertimus.

Datum Romae die XVI Februarii anno MDCCCXCII Pontificatus nostri XIV,

LEO PAPA XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

MANDBLE.N.

SOLUTIONIS

Die 23 Ianuarii 1892.

Sess. 25 c. 12 De reform.

COMPENDIUM FACTI. In Civitate mandelensi eiusque territorio, curam animarum, quae num Capitulo Ecclesiae Cathedralis habitualiter immineat ex deductis haud constat, iam a tribus saeculis archipresbyter, quatuor presbyteris vicariam operam praebentibus, exercet. Ex huiusmodi coadiutoribus duo, qui canonicatus sub titulo S. Silvestri et S. Theodori iugiter obtinent, praeter adnexae praebendae reditus, vi consuetudinis etiam S. C. C. decretis confirmatae, aliquid de decimis a parocho collectis percipere solebant. Siquidem ex septem decimarum partibus quinque archipresbytero, reliquae duobus canonicis assignabantur.

Praxis haec adamussim servata fuit usque ad annum 1860, quo regius Umbriae commissarius, futuras italicas spoliationes praeveniens, et irrisionem impietati addens, die 29 Octobris decretum edidit, quo ius decimandi substulit, appromittendo curam animarum habentibus subsidium pro decimis.

Ita decimandi iure sublato, archipresbyter mandelensis penes gubernium agere coepit, ut subsidium consequeretur; ac illud reapse die 22 Ianuarii 1863 in annua summa libellarum 852,33 obtinuit, quin duos coadiutores canonicos, qui decimarum partem amiserant de eo participes efficeret.

Anno 1877 vacans praebenda sub invocatione S. Silvestri collata fuit sacerdoti Herculi Mazzetti, qui ante illius assecutionem in curia scriptis declaravit, sese nuncium mittere, pro bono pacis, iuri decimarum, quae ad se spectarent, et aequivalenti vi pecuniae, quam praesens Archipresbyter percipit a gubernio italico.

Verum, labente mense Martio 1884, Canonicus Mazzetti S. C. preces admovebat, relatae declarationis vim in dubium revocans, utpote haud sponte emissae, simulque petens ut intrinsecum quaestionis meritum expenderetur. Tum illi accessit et sacerdos Franciscus Pasquarelli, qui canonicali praebenda S. Theodori fruitur, quique et ipse proinde contendit subsidium a gubernio archipresbytero concessum iuri declinandi fuisse subrogatum, ideoque cum duobus coadiutoribus eadem ratione dividendum.

Episcopus requisitus, retulit: attenta praesertim subsidii a gubernio concessi natura, nullam eius partem ex iure coadiutoribus competere; attamen perpensa praebendarum imminutione, aequum videri ut parva compensatio quotannis ab archipresbytero coadiutoribus rependeretur.

Disceptatio Synoptica.

EA QUAE PAVENT CANONICIS COADIUTORIBUS. Post haec partium iura breviter expendens, favore canonicorum coadiutorum animadversum fuit quod licet Ecclesia civiles leges in materia canonica nihili faciat, attamen ex *Nullius Fo^ropompilii 16 Decembris 1820* et *Camerinen, 9 Februarii 1822,* unde praxis recentioribus decisionibus ratihabita inducta est, statui posse videretur, pensiones ac praestationes reliquas quae a gubernio pro ablatis reditibus rependuntur, tamquam in eorum locum subrogatas censeri. Quare si subsidium de quo controvertitur veluti compensatio amissionis decimarum habendum est, consequeretur et coadiutores de eo participes fieri debere. Iamvero quod ita tenendum sit suadere posset in primis inspectio decreti ab Umbriae commissario lati, in quo licet suppressio decimarum et subsidii concessio distinctis articulis enuntientur, nihilominus praemissis animadversionibus connectuntur. Sane quae ibi leguntur verba, aperte manifestant id unice incompetentem legislatorem voluisse, quod certi reditus incertis decimarum proventibus substitueretur. Quae etiam confirmari putant

canonici ex eo quod praefatum subsidium congruae nomine designatur, quod evidenter ab iniquis gallicis contra Ecclesiam legibus anni 1789 mutuatum est. Cum vero congrua in Gallia tunc parochis concessa fuerit in decimarum Subrogationen!, infitiandum non esset et huiusmodi subsidii naturam eamdem esse. Neque hic opponi posset, ita ut sonat decretum esse intelligendum, quin ad finem legis, qui non cadit sub lege, ratio habeatur. Nam ex *I. Nominis et Rei. ff. de ver. signif.* novimus causam legis condendae ac mentem legislatoris semper esse attendendam, quia mens est anima ipsius legis et ratio. Ceterum eo ipso quod utraque dispositio eodem decreto comprehensa fuerit, non incongrue deduceretur, parochos subsidium minime habituros, nisi prius ius decimandi fuisset ablatum.

His praeterea et ratio accederet qua commissarii decretum executioni demandatum est. Scribit enim alter ex actoribus : haud conceditur subsidium de quo agitur, parochis illis quibus non erat ius decimandi, quilibet sit numerus animarum in parochia et quilibet sit reditus fundorum parochialium; primumque documentum quod comitari debet subsidii petitionem est fides curiae ecclesiasticae, per quam autumetur in paraecia ius esse decimandi, et innuatur quantitas decimarum. Ex quo colligitur nedum subsidium suffectum fuisse suppressis decimis, sed eius quantitatem proportionem habere cum decimarum entitate.

Tandem, ut Episcopus innuebat, argumentum aliquod favore canonicorum ex aequitate desumi posset. Dato enim quod nullum ius ad subsidii partem coadiutores haberent, quam maxime conveniens videretur, ut ille qui vi decreti, quo laboris consortes spoliati sunt, redituum augmentum obtinuit, eos saltem aliquatenus indemnes efficeret. Eo vel magis quia hodiernus archipresbyter senio confectus atque a pluribus annis rectoris seminarii munus aliaque officia adimplens, parvam vel nullam regimini animarum operam impendit, eiusque coadiutores onus diei et aestus in ampla paroecia perferre coguntur. His autem neque necessaria ad

congruam sustentationem praesto esse videntur, cum praebendae S. Silvestri et S. Teodori vix libellas annuas 200 attingere perhibeantur. Ne igitur, contra ea quae tradit Apostolus, suis stipendiis militare cogantur, aequum'esset ut et ipsi partem subsidii perciperent, quod áscus vorax curam, animarum exercentibus assignavit, ad textum *Cap. cum secundum Be Praeb.* « Qui ad onus eligitur, repelli non debet a mercede. >

Quoad vero declarationem canonici Mazzetti, praeterquamquod rationes ex aequitate promanantes ab illa minime destruerent ur, observandum putat orator, quod Episcopus praepedire nequibat effectum Bullae apostolicae, quae beneficiato indulgebat omnia suae praebendae iura, quam excipiebat ad meliorem reddendam propriam conditionem.

Praeterea hanc declarationem nullius roboris esse censet, utpote sub gravi metu reverentiali emissam. Equidem vulgatum est effatum ex *lieg. 14 ff. de Regulis iuris:* « Velle non creditur qui obsequitur imperio patris vel domini. > Atque teste Card. De Luca *Be fideic. Disc.* Ì57 *n. 7* metum reverentialem, < plurium sententia est, quando damnum seu laesio resultat, aequipollere etiam metui vero ex deductis per Rovit. *pragm. 1 ad Macedonian. in fin.* Capyc. Latr. *Consult. 54 n. 11 cum seqq.* Buratt. *decis. 75 n. 14.* > Huiusmodi vero timoris existentiam in casu, canonicus Mazzetti affirmat.

EA QUAE PAVENT ARCHIPRESBYTERO. Verum ex adverso perpendendum est decretum latum ab Umbriae commissario seorsim omnino ac distinctis articulis duplicem dispositionem praeseferre, ac proinde subsidium parochis independenter ab amissione iuris decimandi concessum videri. Hoc evincitur, ceteris missis, ex eo quod dum in primo articulo generatim ponuntur verba < i ministri delia Religione, > in altero tantum de habentibus curam animarum fit mentio. Nec pseudolegis ratio aut mens legislatoris hic investiganda videretur, cum agatur de re clara, quaeque idcirco interpretatione non eget ad *I. Continuus § cum ita in fin. ff. de verb.*

signif. et *L fin. ff. quod met: caus. Neptusa. in fin. ff. de iur am dot.* < Subtilizare autem ubi res est clara nihil aliud est nisi perniciose errare » ut advertit *I. si servum §§ sequitur ff. de Verb.* et Rota *coram Mantica decis. 247 num. 3.*

Ast dato etiam quod sensus et ratio legis perquiri deberet, non inde tamen forsan sequeretur quod canonici coadiutores contendunt. Siquidem mensura subsidii tribuendi non ex summa decimarum, sed ex frequentia populi et quantitate redituum paroecialium desumenda enuntiatur. Unde optime fieri posset, ut qui iure colligendi decimas privatus existeret, subsidium haud consequeretur, quia iam ipsi congrua portio ex beneficii proventibus obveniret. E converso autem, contra ea quae adversarii. gratuito affirmant, tuetur archipresbyter subsidium de quo controvertitur etiam iis parochis tribui, qui nunquam decimandi ius obtinuerant, quatenus eorum reditus libellas annuas 800 vel 1200 pro populi numero non attingant. In cuius rei confirmationem allegat declarationem quamdam parochi loci Rc-ccantica eiusdem Dioecesis mandelensis, in qua edicitur : quod a gubernio assignatum fuit suae paroeciae subsidium lib 580,50; quamvis ius decimandi ibi numquam extiterit.

Id firmari praeterea censet ex eo quod, praeter parochos, etiam Episcopus et episcopale Seminarium mandelense in quibusdam locis ante praefatum decretum iure decimandi ponebantur, quin tamen post abolitionem aliquid in substitutionem amissi lucri obtinere a gubernio valuerint. Neque meliori omine canonici coadiutores ad congruae nomen quo subsidium vulgo designatur confugere videntur. Etenim quidquid sit de communi loquendi modo, huiusmodi appellatione nec decretum, nec alias fiscus usus fuit.

Ceterum assertam substitutionem excludit Episcopus, praesertim attenta natura subsidii, quae alia prorsus est quam indoles decimarum. Constat in iure, ait Episcopus, quod res subrogata inducere debet naturam rei, cui subrogatur. Ast ius decimandi, praeexistens dicto decreto, perti-

liens parocho eiusque canonicis coadiutoribus, perpetuum erat, inalienabile, carens conditione, partemque Praebendae integrantem constituebat; dum subsidium, quod decimis subrogatum dicitur, variabile est et conditionatum; et est dependens a voluntate concedentis, qui absque certa ratione concedit, sub conditione tamen si adsint ad hoc fundi apud regiam administrationem.

Quod autem aequitatem attinet, animadverti posset eam. locum minime habere quoties damnum tertii ut in themate inducat. Verum utique est conditionem coadiutorum miserrimam esse; ast constat nec archipresbyterum diviti praebenda frui, postquam et ipse imminutionem redituum ab eversi vis legibus passus est. Si autem archipresbyter, sive ob gravem aetatem, sive ob munia sibi ab Episcopo commissa , ea qua par est diligentia, nequit animarum curam exercere, id in eius damnum vergere haud deberet. Vitam enim in ecclesiae servitium totam impendit et fractas vires adhuc in Dioecesis bonum erogare studet. Ceterum laborem coadiutorum perpendens iam ipsis quaecumque incerta stolae emolumenta ultro cessit.

Demum quoad declarationem emissam a canonico Mazzetti in canonicatus assecutione, observat parochus, nedum minime in probatis existere assertam ex parte Episcopi Rossi coationem, sed imo ab ipsa declarantis indole et aetate prorsus excludi. Compertum autem est in iure metum numquam praesumi, sed ab allegante esse concludenter probandum, ut actus invaliditatem inducat. Voet *lib. 4. tit. 2 n. 14.* Quamobrem cum ex *leg.* ***i*** *in princ. ff. de pactis,* suscepta obligatio vim suam exerat, quocumque iure ad partem subsidii vindicandam canonicus Mazzetti destitutus appareret.

Quibus aliisque praeiactis, supposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An et in gaa summa obtinentes praebendas canonicales S. Silvestri et S. Theodori in Cathedrali mandelen-*

si de subsidio archipresbytero a gubernio concesso participare valeant in casu.

Et quatenus affirmative

IL *An canonicus Mazzetti ab huiusmodi subsidii participatione excludendus sit in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 23 Ianuarii 1892 censuit respondere : *Ad* I *affirmative pro rata decimarum. Ad* II *Affirmative ratione pacti, durante vita.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Pensiones et praestationes quae .a Gubernio, loco redituum ablatorum rependuntur, subrogatas esse in eorum locum videri.

II. Aequitatem ipsam favere canonicis coadiutoribus, videri ; nam si a lege civili despoliati censeantur, indemnes reddi deberent, uti consortes laboris a socio, qui redituum augmentum obtinuit per iniquam legem ; nam *qui ad onus eligitur, repelli non debet a mercede.*

III. Canonicum Mazzetti in themate sponte sua nuncium misisse huic indemnitati , ideoque nullam superesse eidem actionem ad eam iterum sibi vindicandam; absque praeiudicio eius successoris in canonicali praebenda.

DE eOMAIAGUA

ERECTIONIS CAPITULI CATHEDRALIS

Die 23 Ianuarii i892.

Per Summaria preoum.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus de Comaiagua S. C. Congregationi quae sequuntur exposuit : Capitulum huius catherdralis a primaeva institutione, quinque constabat dignitatibus, duobus canonicis de gratia, et duobus de officio; id est canonico theologo et canonico poenitentiario. Aderant quoque quatuor clerici beneficiati. Sive defectu redituum et clericorum, sive ex adiunctis politicis raro aut pene numquam capitulum habuit plenum numerum suorum beneficiatorum.

Nunc superesse tantum, ait, Decanum nonagenarium, qui a servitio Ecclesiae abest suae aetatis gratia.

Quum ex defectu redituum nequeat Capitulum redintegrari in propria originis constitutione, petiit ut excitari posset, iuxta formam adhibitam apud Anglos, aut apud Status Americae septentrionalis foedere iunctos. Ita ut novum excitatum capitulum constaret una dignitate, idest Decano, sex. canonicis de gratia et duobus de officio; idest theologo et poenitentiario. Nominabuntur canonici de gratia quinque parochi proximiores; decanus, alius canonicus de gratia, et duo de officio eligentur inter digniores presbyteros, quibus conferentur beneficia ecclesiastica cum reditibus apud Cathedralem. Canonici degentes extra urbem excusabuntur a lege residentiae, et a quotidiano servitio. Aderunt choro una vice pro mense, die ab Episcopo constituto : qui etiam convocare eos possit in adiunctis extraordinariis. Diebus, quibus capitulum choro aderit tractabit, quolibet mense, de negotiis spiritualibus aut temporalibus... Decanus aut senior ex praesentibus canonicis praeerit comitiis, assente praelato. Canonici residentes in civitate aderunt officiis Cathedralis diebus dominicis et festis, et turnum hebdomadam agent.

Mense decembris cuiuslibet anni Capitulum, de consensu Episcopi, eliget inter canonicos secretarium, thesaurarium cantorem aut primicerium, sacristam et coeremoniarum magistrum. Pro altaris servitio capitulum constituet duos cappellanos, quatuor clericos cantores, organistam et cappellae magistrum. Ex rescripto pontifìcio diei 17 Aprilis 1888 pertinet ad oratorem Episcopum electio omnium canonicorum, excepto Decano.

Capitulum, quando constitutum erit, statuta conficiet, quae pro approbatione exhibebit Episcopo. Hac ratione diribentur reditus canonicorum provenientes ex pia et libera oblatione fidelium, nempe: subductis pensionibus cappellanorum et cantorum nec non eleemosynis pro missis conventualibus, quod superest diribetur in duodecim partes aequales ; quarum duae cedent decano, aliae decem dividentur inter alios octo canonicos.

Disceptatio Synoptica

QUAE ADVERSANTUR PETITIONI. Duo praecipue in hac Episcopi petitione iuri adversari videntur, nempe capituli erectionem absque certis reditibus, et unionem canonicatuum «cum beneficiis parochialibus. Scitum namque est, ut expressis verbis loquitur Card. De Luca *De benef. disc. 63 num. 8.* et *De canon. disc. 32 num. 3;* canoniam dari non posse sine praebenda vel saltem massa communi eius loco succedente, quarum cum neutra in casu adsit, adeoque nec capitulum canonicorum constitui posset. Praeterea, ut idem Card. De Luca animadvertit in *Annot. ad Conc. Trid. disc. 8, mem. 19,* beneficia residentialia vel curata uniri nequeunt canonicatibus, neque canonici, iuxta Tridentinas sanctiones, in *cap. 17, Sess. 25 De reform,* et plures declarationes S. C. C. parochiale beneficium, quod capitulo unitum non sit retinere possunt.

Allegata insuper exempla haud precibus favere videntur. Siquidem in Americae statibus, foedere iunctis nullibi extare huiusmodi canonicorum collegia apparet ex *tit. II, cap. 2* plenarii concilii Baltimorensis anni 1884, sed eorum vices in pluribus gerere consultores dioecesanos amovibiles, qui nunquam choralia obeunt munera, nec ulla peculiari fruuntur remuneratione. Qui vero in Anglia dicuntur canonici, •et ipsi quavis obventione carent, et cum tantum missionum rectores sint, paroeciale beneficium insimul minime obtinent.

QUAE FAVENT PETITIONI. Nihilominus adnotandum est hic agi de Dioecesi, ubi cathedrale capitulum iuxta canonicas praescriptiones et cum theologo et poenitentiario constitutum erat, et in qua proinde illius defectus praesertim in ecclesiae servitio etiam a populo percipitur. Unde cum melior haud suppetat providendi ratio, propositio Episcopi in praesentibus rerum adiunctis probanda forsan videretur. Ceterum, quidquid sit de allatis exemplis, non omnino inusitatum esset, ut munus paroeciale alicuius ecclesiae capitulo non

unitae, dignitati vel canonicatui cathedrali adnexum sit. Ita v. gr. prior, praepositus et archipresbyter cathedralis- Cuneensis paroeciam a mensa capitulari separatam ki eadem civitate administrandam habent.

Quae vero statuta in iure inveniuntur quoad unionem^ beneficiorum, praeterquamquod Episcoporum auctoritatem, tantum afficiunt, non undequaque casui aptantur, in quo- pars eleemosynarum canonicis distribuenda naturam beneficii minime indueret.

Quae quum animadversa fuissent quaesitum fuit quomodo* essent dimittendae preces oratoris Episcopi.

RESOLUTIO. Sacra C. O. re cognita sub die 23 Ianuarii 1892 censuit respondere: *Supplicandum Sinum, attentis peculiaribus circumstantiis, et iis perdurantibus, pro gratia reformandi capitulum iuxta petita, ita tamen ut canonici officiales, quantum fieri possit eligantur per concursum, quinque autem canonici de gratia eligi queant inter parochos viciniores.*

EX 3. CONGREG. EPISC. ET REG.

DERTUSEN.

NULLITATIS SENTENTIARUM.

COMPENDIUM FACTI. Nobilis et pientissima mulier Magdalena de G-ran y de Gras, Barcinoniae, in Hispania, degens, ut perenne benevolentiae pignus erga Religiosas.Carmelitas- discalceatas exhiberet, quatuor Sacerdotibus, inter quos connumerabatur Henricus di Osso, donare statuit nonnulla praedia, pacto donationis instrumento haud expresso, ut in parte- huiusmodi praediorum monasterium pro recipiendis Carmelitis discalceatis aedificaretur, reliqua vero pars ipsarum sustentationi inservire deberet.

Et revera, id quod statuerat, ad exitum perduxit per publicum instrumentum sub die 30 martii 1876 confectum. Quo peracto, veniam a regio Gubernio imploravit; eaque obtenta, nulla interiecta mora, manus aedificio construendo admotae sunt.

Aedificio vix expleto, nonnullae ex Carmelitis in conventu Caesaraugustam commorantibus advocatae fuerunt, quae nulla interposita mora, novi aedificii et contiguorum praediorum possessionem die 12 octobris 1877 nactae sunt.

Paucis mensibus a capta possessione elapsis, sacerdoti di Osso in mentem venit collegium pro monialibus S. Teresiae a Iesu dictis aedificare, et opus inauditis Carmelitis perfecit.

Quod aegre ferentes Carmelitae, Vicarium Generalem adiverunt petentes, ut iura, quae ipsis competebant supra praedio a pia muliere Magdalena donato et a sacerdote di Osso usurpato, sarta tecta tueretur.

Res, de communi partium consensu, eidem Vicario Generali delata fuit, qui post accuratum examen, sub die 15 martii 1881, decretum Carmelitis favorabile emisit, decernens, ut, intra trium annorum spatium Collegium demolietur, et solum in eo statu relinqueretur, in quo antea reperiebatur.

Huiusmodi Vicarii Generalis decretum sacerdoti di Ossfr haud placuit, qui propterea formale nullitatis iudicium penes Curiam ecclesiasticam Dertusen promovit petens, ut solum a Collegio occupatum nequaquam Carmelitis, sed sibi spectare declararet; ut cessionarii et Carmelitae expensis damnarentur, quoties ipsius possessionem turbare vel sibi praetendere auderent; vel sin minus decerneret sacerdotem di Osso non teneri aedificium demolire, donec ex adverso expensae omnes tum aedificii, tum iudicii persolutae haud fuissent.

Verum, hac quoque vice, fortuna ipsi haud arrisit; quandoquidem Vicarius Generalis, sub die 23 maii 1885, Carmelitas et Collitigantes absolvit: sacerdoti di Osso nullam compensationem deberi statuit pro expensis et damnis, quae

ob aedificii demolitionem ipsi obvenirent: ipsum tandem expensas omnes persolvere debere.

Ast neque huiusmodi inimica sententia fractus, appellationem penes tribunal metropolitanum interposuit. Verum eventu undequaque minime favorabili. Curia enim metropolitana, sententia die 21 octobris 1886 lata, absolvit Carmelitas , et insuper declaravit sacerdotem di Osso teneri Collegium demoliri : sumptus tamen pro Collegii aedificatione factos, tam ab ipso, quam ab aliis concessionariis persolvendos esse statuit.

Ab hac quoque sententia Curiae metropolitanae appellationem ad supremum Rotae tribunal interposuit ; sed infenso sidere. Siquidem iudices primi turni, relatione auditoris fiscalis perpensa, sententia diei 15 martii 1889, decretum Curiae metropolitanae in omnibus confirmarunt.

Victus sed non fractus sacerdos di Osso ad iudices secundi turni eiusdem supremi tribunalis Rotae appellavit, meliorem exitum praestolatus. Sed opinio eum fefellit. Quandoquidem iudices sententiam primi turni quoad Collegii demolitionem contra sacerdotem di Osso latas, utpote conformes, executorias esse declararunt. Quo vero ad sumptus pro Collegii constructione impensos, postremas duas sententias reformarunt, decernentes eas ab uno sacerdote di Osso esse persol vendas. Praeter haec statuerunt Monialibus S. Theresiae et aliis quibuscumque huiusmodi sumptus a sacerdote di Osso repetendi ius esse.

Rebus sic stantibus, sacerdos di Osso, die 19 aprilis 1891, Sanctissimum Principem, supplici oblato libello, adivit, expostulas, ut praedictae sententiae nullae et quovis robore destitutae renunciarentur, vel sin minus ut Summus Pontifex *de plenitudine potestatis* aequam transactionem partibus imponeret.

Disceptatio Synoptica

QUAE SACERDOTI DI OSSO PAVERE VIDENTUR. Quoad primam quaestionem sacerdos di Òsso animadvertit, tralatitii iuris

esse sententias nullas esse renunciandas, quae faetis falsitate laborantibus nituntur.

. Porro , quod sententiae , a variis Hispaniae tribunalibus ad rem editae , falsitate laborent, nullatenus dubitari posse ait, si tantummodo oculi in easdem sententias coniiciantur.

Sane, ipse inquit, in huiusmodi sententiis pro certo ponitur Magdalenam de Gran y de Gras quinque sacerdotibus dono dedisse suum praedium in districtu municipali urbis dertusen. situm et *Iesus* appellatum , ut ibi Carmelitarum Discalceatarum coenobium erigeretur. Pro certo insuper ponitur, sacerdotem di Osso Collegium a S. Theresia dictum prope Carmelitarum coenobium aedificasse, idque absque Carmelitarum Cessionariorumque consensu, facultate ab Episcopo et a S. Sede haud obtenta, imo contra piae donatricis voluntatem ad exitum perduxisse.

Iamvero sacerdos di Osso asserit, in probatis esse, Magdalenam praedictum praedium ipsi uni absolute, et nulla addita conditione , cessisse , ut ibi aedificium ad religionem pietatemque fovendam erigeretur. In probatis pariter esse, cessionarios *in solidum* collatis consiliis constituisse, ut ibi praeter conventum Carmelitarum discalceatarum, Collegium quoque Monialium, quae a S. Theresia *di Gesù* nuncupantur, aedificaretur. In probatis .tandem esse novum Collegium S. Sedem ratum habuisse; ac proinde praedii partem pro Collegii aedificatione assignatam fuisse eum in finem, ut Moniales s. Theresiae pauperibus opem ferrent, et puellarum instructioni se addicerent, ceu leges tum civiles, tum ecclesiasticae in Hispania praescribunt.

Idque adeo verum esse addit, ut nedum cessionarii, nedum moniales Carmelitae, verum etiam Curia episcopalis novum aedificium cum plausu salutaverint, et laetantes s. Theresiae Religiosas exceperint, cum eae in Collegii possessionem immissae fuerunt.

Ex quibus omnibus cum luce meridiana clarius erumpat, sententias a tribunalibus hispani cis prolatas, factis falsitate

laborantibus niti, sacerdos di Osso concludit, ipsas nullas ao quovis firmitatis robore destituías renunciandas esse.

Quin regerere valeat, rem iudicatam ex tribus sententiis, conformibus natam, impedimento esse quominus sacerdotis di Osso preces excipiantur. Quandoquidem ipse animadvertit, rem iudicatam in themate admitti non posse ob sequentes rationes, scilicet: 1. quia sententiae nullae umquam in r^m iudicatam transeunt, cum nullitas, ceu in casu, ex errore vel causa falsa procedit. Reiffenst *Lib. Il decr., tit. XXVII, de sententia et re iudic.* §. *V num 130:* « Quando iudex ex errore vel causa falsa processit, illamque causam expressit in sententia, huiusmodi sententia non transit in rem iudicatam, sed detecta veritate, semper potest retractari^ *arg. I. 1. ff. quae sententiae sine appellat, rescind.* » 2. quia huiusmodi tres sententiae iudicii uniformitatem, ex qua res iudicata nasci deberet, haud praeseferunt. I>'«uidem in facto consistit, sententiam tribunalis dertusen. diei 23 maii 1885 difformem esse a sententia, quam tribunal tarraconen. die 21 octobris 1886 circa expensarum et damnorum solutionem tulit. 3. tandem quia trium sententiarum uniformitas dolo obtenta fuit, ex eo quod Archiepiscopus tarraconen. sententiam Carmelitis inimicam, antequam in vulgus ederetur, expunxit, et Vicario generali Gran alium iudicem substituit, qui, ut rem Archiepiscopo gratam faceret, sententiam diversam protulit, quin controversiam examini subiiceret. Verumtamen, trium sententiarum uniformitate ac proinde rei iudicatae existentia parumper admissa, sacerdos di Osso expostulat, ut, huiusmodi sententiarum executione suspensa, Sacratissimi Princeps *de plenitudine potestatis* controversiae finem ponat, partibus praescribens, ut rem de bono et aequo componant.

Rationes vero, quae hanc transactionem, iuxta sacerdotis di Osso sententiam, reclamare videntur, huiusmodi sunt, nempe: 1. scandalum quod inter fideles excitaretur ob Collegii demolitionem, quod tot ac tantis expensis extractum fuit: *2*- damnum quod tot puellis obveniret, quae in dicto

Collegio sanam educationem, tam civilem quam religiosam recipiunt: 3. difficultas ad exitum ducendi praescriptam Collegii demolitionem et congruam indemnitatem s. Theresiae Monialibus assignandi, ad quas aedificii proprietas pertinet : 4. mala fides tum Monialium Carmelitarum, tum Concessionariorum, qui ab initio collegii aedificationem permiserunt, modo vero ipsius demolitionem exigunt, sub specioso praetextu, quod ipsum in solo alieno a sacerdote di Osso proprio marte ac dominis invitis aedificatum fuit.

Hisce et aliis causis minoris momenti adductis, sacerdos di Osso concludit petens, ut enunciatae sententiae, utpote nullae revocentur, vel sin minus implorata transactio indulgeatur.

QUAE MONIALIBUS CARMELITIS FAVENT. Verum ex altera parte Moniales Carmelitae totis viribus sustinent, controversas sententias, utpote facto et iuri conformes, executioni demandandas esse,

Quod facto sint conformes ex eo arguunt, quod omnes sint concordes in attribuendo ipsis Carmelitis proprietatem totius praedii quod Magdalena de Gran dona v erat.

Sane quod Magdalena de Gran proprietatem praedicti praedii Carmelitis reapse cessisset, ex indubiis documentis, ac praecipue deduci aiunt ex decreto regio diei 21 iunii 1876, ubi ad rem legitur, quod rex preces Magdalenae de Gran excepit et consensum praestitit, ut in oppido *Iesu* monasterium Carmelitarum erigeretur.

Idipsum deduci addunt ex precibus, quas ipsa Magdalena Episcopo dertusen. die 27 aprilis 1877 porrexit petens, ut ipse Episcopus aedificium, pro recipiendis Carmelitis discalceatis extractum, in monasterium iuxta Ecclesiae disciplinam erigere dignaretur.

Idipsum tandem erui subdunt ex ipsius Magdalenae epistola die 26 iunii 1891 ad Moniales Carmelitas missa, Magdalena enim expressis verbis declarat, solum, in quo sacerdos di Osso Collegium aedificaverat, ad Carmelitas pertinere, ex eo quod ipsis ab ea dono datum fuerat.

Verumtamen, nedum facto, verum etiam iuri praedictas sententias conformes esse urgent. Sane neminem latet, eum qui in alieno solo sua materia aedificavit, ex iuris civilis censura aedificium amittere debere. « Ex diverso, si quis in alieno solo sua materia aedificavit, illius sit aedificium, cuius et solum est: et si scit alienum solum esse, sua voluntate amisisse proprietatem materiae intelligitur. » *L. 7. ff. % 12 de acquir. rerum domin.*

Imo neque pretium materiae et fabrorum mercedes petere posse, qui in alieno solo scienter et mala fide aedificavit: « Certe si dominus soli petat aedificium, nec solvat pretium materiae et mercedes fabrorum, poterit per exceptionem doli mali repelli : utique si nescit, qui aedificavit, alienum esse solum et tamquam in suo bona fide aedificavit; nam si scit, culpa ei obiici potest, quod temere aedificavit in eo solo, quod intelligeret alienum. » *loc cit.*

Porro, quod sacerdos di Osso Collegium in Carmelitarum solo scienter, ideoque mala fide, aedificaverit, nullatenus ambigi valet; quandoquidem sicuti ceteris cessionariis, ita ipsi notum erat, Magdalenam totum praedium Carmelitis dono cessisse, etsi in donationis instrumento de huiusmodi ipsius voluntate iustis de causis nulla mentio facta fuerit.

Cum itaque ex hactenus deductis manifestum erumpat, praefatas sententias nedum facto, verum etiam iuri conformes fuisse, sponte sua fluit ipsas iustas ac validas fuisse, ideoque executioni demandandas esse.

Verum, absurda sacerdotis di Osso hypothesi parumper admissa, scilicet quod citatae sententiae nullae fuerint ; nihilominus haud revocari posse contendunt, quia obstaret exceptio rei iudicatae. Vulgati cum iuris sit per rem iudicatam litibus finem poni. *L. 1 Si pari modo 4 ff. de liberis exhibendis ; I. Separatus 3 ff. de pignor. et hypoth.; I. ingenuum 27 ff. de statu hominum; arg. quod si nolit .1, § in factum 13 ff. de aedilit. edict.*

Quibus concinit Reiffenstuel *lib. 2 Decret., tit. 27 de sentent, et reiudicata* §. *4. num. 106,* ubi haec ad rem

tradit : « Sententia illa quae in rem transit iudicatam, tantae est auctoritatis, ut de ente faciat non ens, et de falso verum, et de albo nigrum •», Alibi vero addit, quod sententia quae transiit « in rem iudicatam, postea retractari non possit, et contradicere volens amplius non audiatur. » *Loc. cit. num. 109.*

Inutili vero labore sacerdos di Osso contenderet, huiusmodi sententias executioni tradi non posse, ex eo quod in aliqua minoris momenti parte sunt inter se difformes. Huic siquidem offensioni obviam it Card. De Luca, qui in *disc. 36, num. 55 de Iudiciis* tradit, explorati iuris esse, quod eae sententiae executioni tradi debeant in iis partibus, in quibus conformitas habetur.

Tandem, quoad alterum quaestionis caput, Carmelitae contendunt invocatam transactionem concedi non posse, sive quia congruentiae et aequitatis rationes a sacerdote di Osso- exhibitae quovis fundamento destitutae sunt ; sive quia per eam iura a Monialibus Carmelitis acquisita laederentur,

Iamvero notum in iure est, Pontificem iura tertio acquisita laedere haud velle, imo neque posse absque culpa. Fagnano *in cap. Consultationibus de Clericis aegrot. n. 50.* Ex eo quod qui iura aliena laedit iniustitiae reus fit. *cap. 1, 22 dist.* et Glossa ibi *in vers. Iniustitiam* docet neque Pontificem posse legitima absque ratione ius suum uni adimere ut illud alteri tribuat. Et Card. De Luca tradit, id facere posse tantummodo ob causam publicae utilitatis. *Disc. 2.» num. 6 et 7 de Regul.*

Hisce pro utraque parte praenotatis, proposita fuerunt diluenda sequentia

Dubia

An sententiae ab Hispaniae tribunalibus latae sint infirmandae in casu?

Et quatenus negative

An et quomodo concedenda sit transactio a sacerdote Ossa petita in casu?

RESOLUTIO. S. Congregatio Episcoporum et Regularium, re mature perpensa, sub die 11 martii 1892 respondere censuit: *Ad 1. Negative* et executioni demandandam esse sententiam rotalem diei 28 februarii 1891. Ad *2. Negative in omnibus et amplius.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Si quis in alieno solo sua materia aedificavit, illius esse aedificium, cuius et solum est: et si scit alienum solum esse, sua voluntate amisisse proprietatem materiae censendum esse.

II. Dominum soli, si petat aedificium nec solvat pretium materiae et mercedes fabrorum posse per exceptionem doli mali repelli, si nescit, qui aedificavit, alienum esse solum, •et tamquam in suo bona fide aedificavit,

III. Nam si scit, culpam ei obiici posse, quod temere aedificavit in eo solo, quod intelligeret alienum.

IV. Rei iudicatae tantam vim inesse, ut litibus finem ponat.

V. Et sententiam illam, quae in rem transit iudicatam, tantae esse auctoritatis, ut de ente faciat non ens, et de falso verum, et de albo nigrum.

VI. Ideoque ipsam postea retractari non posse, et contradicere volentem amplius non audiri.

VII. Summum Pontificem iura tertio acquisita, neque velle, neque posse laedere absque peccato, nisi causa subsit legitima, quae iuxta Card. De Luca sententiam *disc. 2, n. 6 et 7 de Regul.* publicae utilitatis esse debet.

RAGUSINA

PRIMAE MISSAE FESTIVAE

COMPENDIUM FACTI. Capitulum Curatum Ecclesiae Abbatialis urbis vulgo *Cuzzola* in Dalmatia, supplici oblato libello, sub die 7 Decembris 1889 s. Congregationem Episcoporum et Regularium adivit, exponens, sedem episcopalem

dictae urbis, vertente anno 1300 erectam, anno 1830 suppressam et Dioecesi ragusinae canonice unitam fuisse. Ex hac unione factum esse ait, ut Ecclesia, quae antea cathedralis erat, deinceps simplex paroecia evaderet.

Verum, haud multo post, seu sub die 18 februarii 1843 hanc simplicem parochiam in Ecclesiam Collegiatam erectam fuisse subdit, et Capitulum, quod archipresbytero parocho et quatuor canonicis curatis constat, die 23 maii 1858 sor lemniter recognitum fuisse.

Nec satis; sed die 20 iunii 1876 eamdem Ecclesiam in abbatialem erectam, et archipresbyterum parochum *pro tempore* iure Pontificalium ditatum fuisse addit, eiusque privilegia decreto S. Congregationis Concistorialis diei 28 octobris 1881 ampliata esse.

Capitulum Curatum ab institutionis tempore omnia iura sarta tecta servasse, quibus Capitulum Cathedrale fruebatur, inter quae illud adnumeratur, celebrandi nempe in dicta Ecclesia Abbatiali diebus dominicis et festivis primam Missam, quae parochialis audit, et Evangelium explanandi.

Ast paucis abhinc annis accidisse refert, ut Religiosi S. Dominici primam Missam praedictis diebus dominicis et festis in propria Ecclesia celebrare praesumerent, cum gravi fidelium damno, qui ad ipsorum Ecclesiam accedunt, ex eo quod inter huiusmodi primae Missae celebrationem nulla fit S. Evangelii explanatio. Ut ergo huic malo occurratur, Capitulum Curatum postulat, ut S. Congregatio Episcoporum et Regularium declaret, ius primam Missam praedictis diebus dominicis et festis celebrandi ad Ecclesiam Abbatialem, spectare.

Disceptatio Synoptica

QUAE CAPITULO FAVENT. Capitulum Curatum pro viribus sustinet Ecclesiae Abbatiali ius competere primam Missam diebus dominicis et festis celebrandi; idque duabus de causis, quae tum iuri communi, tum consuetudini innituntur.

Ad ius commune quod spectat Capitulum animadvertit, S. Concilium Tridentinum, *Cap. VIII, sess. 22, de Sacrificio Missae,* animarum pastoribus praecipere : ut « frequenter inter Missarum celebrationem vel per se vel per alios ex iis, quae in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cetera sanctissimi huius Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus praesertim dominicis et festis ». Ratio autem, ob quam Concilii Patres parochis ceterisque animarum pastoribus hoc onus imposuerunt, huiusmodi est: « ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, et non sit qui frangat eis ».

Verum, ut finis a Concilii Patribus intentus obtineatur, Capitulum observat Ecclesiam iugiter disposuisse ne in parvis praesertim locis sacrae functiones uno eodemque tempore celebrentur. Et hanc dispositionem eo vel magis in themate observandam esse ait, cum non de qualibet sacra functione, sed de S. Evangelii explanatione agatur. Quandoquidem, admisso quod in aliis ecclesiis Missa celebretur vel paullo ante vel eodem tempore, quo in Ecclesia parochiali S. Evangelium explanatur, occasio praeberetur, ne plures ex Christi fidelibus verbum Dei audirent. Quod quantopere impediendum sit, nemo est qui non videat.

Ne igitur praefata Concilii Tridentini dispositio frustretur et inutilis fiat, Capitulum postulat, ut impediatur, quominus religiosi S. Dominici diebus dominicis vel festis primam Missam in sua Ecclesia celebrent vel paullo ante, vel ea ipsa hora, qua in Ecclesia Abbatiali Missa parochialis celebratur ; et insuper declaretur ius celebrandi primam Missam Ecclesiae Abbatiali competere, idque citati Cap. VIII Concilii Tridentini dispositionem exigere.

Quin ad huiusmodi Capituli ius infirmandum regerere valeat, quod Religiosi praedictis diebus verbum Dei fidelibus annuntiant ; siquidem Episcopus perpendit id perraro contingere. Verum, dato etiam quod frequenter accideret ; nihilominus idem Episcopus animadvertit quam maxime optandum esse, ut fideles Ecclesiam Abbatialem adeant, ex eo quod in

Missa parochiali, praeter Evangelii explanationem, vel summi Pontificis literae encyclicae, vel Episcopi dioecesani literae pastorales, vel Gubernii praescriptiones leguntur, vel vigiliae aut festa et publicationes matrimoniales, vel alia quamplurima denuntiantur, quae in aliis Ecclesiis frustra desiderantur.

Quo vero ad consuetudinem Capitulum observat, a sua institutione, omnes antiquas praerogativas et iura sarta tecta servasse, quibus Capitulum Cathedrale potiebatur, inter quae ius recensendum esse ait primam Missam diebus Dominicis et festis in Ecclesia abbatiali celebrandi. Idque, adductis plurium testium et ipsius Syndici declarationibus, ostendere satagit.

Hisce in facto praeiactis, tralatitium in iure esse inquit, consuetudinem vim legis habere, dummodo ea rationabilis sit ac legitime praescripta. *Cap. ult. de Consuet.* In themate vero rationabilem esse nullatenus ambigi posse urget cum ipsa ad bonum spirituale augendum tendat. Verum, ut ipsa legitime praescripta dicatur, sufficit ut tantum temporis perduraverit, quantum ad praescriptionem inducendam requiritur. Reiffenstuel *lib. 1 decret., tit. 4, § 3,* et in consuetudine contra legem sufficere spatium 40 annorum. Devoti *Instit. Canon. lib. 1, cap. 2* §. 50.*

In themate vero non de 40 annorum consuetudine, sed de centenaria, imo de immemorabili agi; quandoquidem Capitulum asserit a sua institutione, praeter alias praerogativas, ius sibi servasse, primam Missam diebus dominicis et festis celebrandi.

Quo posito, neminem latere subdit, consuetudinem immemorabilem vel centenariam praesumere facere meliorem titulum de mundo. De Luca, *De Benefic, disc. 32j n. 2, et* 4;Bonf. *de Iure Fideicom. disp. 114, n. 31;* Rota *cor. Olivatio, decis 624, n. 8,* eique tantam vim inesse « ut suppleat vices expressi privilegii apostolici, cum ea sola nominali differentia, quae inest inter tacitum et expressum ». Imo ipsam in linea praesumptiva allegari posse etiam contra

Conc. Tridentini dispositiones, etsi decreto irritanti munitas. « Cum tum (ait Card. De Luca *de Can. et Cap. disc. 12, num.* P) non sit de directo ferire decretum irritans, sed agere de eius non comprehensione ».

Ex quibus Capitulum arguit, a veritate absonum esse, Religiosorum assertum; ipsos nempe, a die institutionis Coenobii, seu ab anno 1876 usque ad praesens, diebus tam dominicis quam festis primam Missam iugiter celebrasse. Idipsum confirmatur ab Episcopo, qui in suo ad S. C. informationis epistolio asserit, observantiam non Religiosis S. Dominici, sed Capitulo Ecclesiae Abbatialis favere.

Hisce tum in facto, tum in iure positis, Capitulum concludit Religiosis S. Dominici interdicendum esse usum nuperrimis hisce temporibus ab ipsis inductum, celebrandi nempe diebus dominicis et festis primam Missam eodem tempore vel paullo ante quam Missa parochialis in Ecclesia abbatiali celebratur.

QUAE RELIGIOSIS S. DOMINICI FAVERE VIDENTUR. EX altera vero parte Religiosi S. Dominici contendunt, sibi ius competere Missam celebrandi quo tempore ipsis libuerit; idque in vim privilegiorum, quae Religiosis a fel. mem. S. Pii V indulta fuerunt Constit. *Etsi mendicantium* § 22, ubi ad rem haec scripta leguntur: « Prohibemus insuper eisdem Ordinariis, ac aliis quibuscumque personis, ne impediant ipsos fratres, quando eis placuerit, tam in diebus dominicis seu festivis, aut aliis totius anni temporibus campanas pulsare et etiam tempore quo ipsi celebraverint, Missas celebrare ».

Ex eiusdem Constitutionis §. 8 itidem argui urgent, ipsis datam fuisse facultatem tam divina officia explendi, quam Missam celebrandi, antequam parochi in propriis Ecclesiis ipsam celebrent: « Nec non Missas et divina officia eiusmodi etiam in diebus dominicis vel festivis, etiam antequam Rector Parochialis Ecclesiae celebraverit, celebrare et facere quando eis videtur ».

Huiusmodi vero Constitutionem modo etiam omnem vim

-suam exerere, dubio procul deduci posse arguunt tum ex resolutione S. O. Episc, et Regul. ceu videre est in *Taurinen. 28 Septembris 1742;* tum ex duabus resolutionibus S. G. -Concilii, scilicet in *Comen. Funerum et functionum parochialium 19 decembris 1750, dub. 8,* et in ' *Aquen. 19 maii et 9 iunii 1760,* ubi proposito dubio: « An Patres •Carmelitae possint dare signum campanae et celebrare Misaam in diebus festivis eodem tempore, vel antequam detur dignum et celebretur Missa parochialis » responsum fuit : < *Affirmative* ».

Neque ex praescriptione a Concilio Tridentino pastoribus animarum facta, verbum Dei populo annuntiandi inter Missae parochialis celebrationem, argui posse, quod Religiosis prohiberi debeat, ne in propriis Ecclesiis S. Missam celebrent eodem tempore, vel antequam in Paroecia, Missa parochialis celebratur. Siquidem Benedictus XIV sapienter observat, citatum Concilium Tridentinum *sess. 23,* onus Parochis imponens admonendi fideles « ut frequenter ad suas parochias saltem diebus dominicis et festis maioribus accedant », noluisse fideles adigere, sed eos tantum hortari, ut hisce diebus ad ecclesiam parochialem accederent. « Enimvero non praecepto adigendam, sed hortationibus ad id alliciendam plebem ». *De Synod, dioec. L 11, cap. 14, § 10.*

Verumtamen Religiosi subdunt huiusmodi ius sibi competere , nedum in vim privilegiorum quae sunt Ordinis proprio, verum etiam in vim consuetudinis. Aiunt enim -exploratum in facto esse, quod ipsi ab anno 1876 usque ad praesens primam Missam iugiter celebraverint. Quod si haec observantia antiquioribus temporibus interrupta fuit, ex eo contigisse referunt, quod Coenobium ab anno 1806 usque ad 1876 clausum plerumque mansit, vel unus tantum religiosus in eo degebat.

Verum cum ab anno 1876 duo religiosi missi fuerint, qui in eo stabiliter degerent, prima Missa, in ipsorum Ecclesia iugiter celebrata fuit, quin aliquid ex adverso obmussiiatum fuisset. Et ex hoc tam diuturno ac constanti Capi-

tuli silentio argui fas esse, ipsum Capitulum quoque admisisse, quod consuetudo Religiosis favebat. Quandoquidem si aliter fuisset, praesumi non posset quod Capitulum tamdiu siluisset.

Hisce addunt, quod cum, vertente anno 1889, Capitulares huiusmodi ius sibi vindicare pertentaverint, ne tunc quidem verbum de consuetudine facere ausi sunt, quae sibi faverent; sed via amicabili obtinere conati sunt, ut Religiosi suo iuri vale dicerent. Quae res manifestum facit, nullam consuetudinem Capitularibus faventem antea extitisse.

Quo véro ad septem testes, qui de consuetudine favore Capituli deponunt, ipsos in nullo pretio habendos esse conclamant, ex eo quod ii testes testimonium perhibent de re,, quae in usu erat, antequam ipsi in hunc mundum venissent: quod admitti nullo pacto valet.

Tandem Religiosi contendunt, quod ex primae Missae in propria Ecclesia celebratione nullum damnum sive Capitulo^ sive fidelibus urbis vulgo *Curzola* affertur.

Non equidem Capitulo, quia fideles, qui ad Religiosorum Ecclesiam accedunt, ut ibi primam Missam audiant, non sunt Ecclesiae Abbatialis parochiani, sed ad paroecias proximorum oppidorum pertinent. Qui cum diebus festis ad urbem *Curzola* accedunt, ut sua negotia absolvant, nisi primam Missam audirent, quae in Religiosorum Ecclesia celebratur, neque ad Cathedralem, neque ad aliam Ecclesiam accederent, ut praecepto satisfacerent.

Sed neque spirituali fidelium bono damnum affertur*, quia in ipsa Religiosorum Ecclesia, omnibus diebus festis- inter Missae celebrationem, verbum Dei populo annuntiatur$_y$ quemadmodum in Ecclesia Abbatiali fieri solet.

Quae cum ita sint Religiosi concludunt, se in huiusmodi iuris quasi possessione manutenendos esse.

Quibus enucleatis, propositum fuit diluendum sequens

Dubium

An Religiosi s. Dominici urbis Curzola *valeant Missam diebus Dominicis et festis celebrare in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, re cognita, sub die 11 Martii 1892 respondere censuit : *Affirmative.*

Ex. QUIBUS COLLIGES. I Religiosos omnes, in vim Constit. S. Pii V - *Etsi mendicantium* - tam in diebus dominicis seu festivis, aut aliis totius anni temporibus campanas, quando eis placuerit, pulsare posse et Missas celebrare etiam tempore, quo Ordinarii celebraverint.

II. Ipsos, ex citata Constitutione S. Pii V, Missas celebrare et divina officia, quando eis videtur, facere posse etiam in diebus dominicis vel festivis, etiam antequam Rector parochialis Ecclesiae celebraverit.

III. Huiusmodi privilegia in desuetudinem haud abiisse, sed adhuc in viridi observantia permanere, ex pluribus tum S. C Episc, et Regul. tum S. C. Concilii resolutionibus argui.

RHEDONEN.

IURISDICTIONIS

Cui Episcopo subiaceant professi votorum simplicium rite dimissi.

Sacerdos E. Garnier, e Dioecesi Rhedonen. supplici libello S. C Episcoporum et regularium die 26 Aprilis porrecto, enarrat sese a teneris unguiculis Dioecesim rhedonensem reliquisse, ut alibi humanioribus litteris vacaret; deinde inter Societatis Iesu novitios cooptatum fuisse, ubi philosophicis ac theologicis studiis incubuit; quibus expletis, magistri munere per plures annos functum fuisse, ac demum, vertente mense augusto anni 1870 a Rmo Zanquillot Episcopo eiusdem Societatis ad ss. Missiones delegato, sacerdotio insignitum fuisse. Praeter haec refert quidem, Societati Iesu die 8 Septembris 1879 vale dixisse, et ex hac die ad clerum saecularem iugiter pertinuisse. Verum cum ab Archiepiscopo originis neque- officium aliquod in Dioecesi, neque litteras testimoniales, imo neque facultatem celebrandi obtinere valuerit, ad H. S. C. efflagitavit ut declarare liaud dedignaretur, num sibi applicari valeret H. S. C. decretum diei 6 Martii 1864, quo ad Episcopum Tarvisinum respon-

sum fuit : ***Presbyterum Instituti Charitatis per indultum saecularisationis perpetuae redire sub potestate Episcopi originis r*** ac proinde num ipse ex regressu a Societate Iesu sub Episcopi originis iurisdictionem ipso facto reciderit?

Hisce praenotatis, sapientissimo Eminentissimorum Patrum: iudicio dirimendum propositum fuit sequens Dubium :

An et quomodo Sacerdos Garnier Archiepiscopi rhedonen. iurisdictioni subiiciatur?

S. Congregatio Episcoporum et Regularium, re mature perpensa, die 27 Februarii 1891 proposito dubio respondere censuit:

Affirmative, uti Ordinario originis.

S. C. SUPER STATU REGULARIUM

RESCRIPTUM quo declaratur, professos votorum simplicium non posse? valide eligi in superiores.

Beatissime Pater,

Fr. Diomedes a Pescoconstantio, Procurator Generalis Minorum Reformatorum, ad pedes S. V. provolutus, ut e medio, omne dubium in re gravis momenti tollatur, sequentia, pro opportuna declaratione, humillime submittit.

In Decreto a S. Congregatione super Statu Regularium,, diei 12 Iunii 1858, Apostolica auctoritate edito, circa iura, quae professis votorum simplicium competunt, ad n. vi decernitur, quod ***professi dictorum votorum simplicium participes erunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus professi votorum solemnium in memorato ordine legitime utuntur, fruuntur et gaudent.*** Immo in n. VIII additur: ***Anni professionis^ qui in dieta Ordine requiruntur, ut quis voee activa et passiva gaudeat, et ad officia admitti possit, a die emissionis votorum simplicium computentur.***

Hinc quaeritur:

Utrum professi votorum simplicium, qui ex allato Decreto,, quoad iura tam gratiarum et privilegiorum, quam vocis activae? et passivae professis votorum solemnium aequiparantur, ut pro-

fessi votorum solemnium in Praelatos seu in Superiores in eodem Ordine licite et valide eligi possint et valeant?

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium super Statu Regularium, omnibus mature perpensis, super praemissis censuit rescribendum:

Negative.

Datum Romae, ex Secretaria praefatae Congregationis, hac die decima sexta Ianuarii 1891.

FR. ALOYSIUS EPISCOPUS CALLINICEN. *Secr.*

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

DUBIUM quoad impositionem scapuiarium.

Rector Decanus Ecclesiae B. M. V... Dioecesis Picta vie nsis huic S. Congregationi haec, quae sequuntur humiliter exponit :

Aliquando 'impositio Scapuiarium ab Ecclesia approbatorum ita pro frequentia populi protrahitur, ut fiat cum assistentium taedio et sacerdotis defatigatione, praesertim post primam puerorum Communionem vel exercitia Missionum, quia tunc permulti accedunt ad hos sacros habitus suscipiendos; quae praecaveantur incommoda, si sacerdoti liceret una tantum vice dicere formulam numero plurali, imponendo successive, sed nulla interposita mora, Scapulare fidelibus praesentibus; quod quidem licitum videtur, cum adsit unio moralis inter formulae prolationem et impositionem Scapuiarium, et sic efficeretur unicus et completus actus.

Unde supradictus rector sequens dubium dirimendum proponit:

Utrum liceat sacerdoti in impositione Scapuiarium ab Ecclesia approbatorum, omnibus rite peractis, dicere semel, numero plurali, formulam: « *Accipite, Fratres* (vel .Sorores), etc., » imponendo successive et sine interruptione Scapulare omnibus praesentibus; vel potius formula numero singulari pro singulis sit repetenda?

S. Congregatio» Indulgentiis Reliquiisque praeposita proposito dubio respondit:

Affirmative quoad primam partem ; negative quoad secundam^, uti decretum est in UNA VALENTINBNSI *die 5 Februarii 1841 ad dubium 4.*

Datum ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 18 Aprilis 1891.

I. CARD. D'ANNIBALE, *Praef.*

A. ARCHIEP. NICOPOLIT., *Secret*

DUBIUM quoad tertiarios.

Beatissime Pater,

A saeculis, imo a tempore S. Francisci usus invaluit ut Episcopi, Sacerdotes, Nobiles et plebea a Sacerdotibus Franciscanis vel aliis facultatem habentibus privatim et seiunctim admittantur ad habitum et professionem Tertii Ordinis saecularis S. Francisci, quin ad aliquam Congregationem pertineant Auctores hac de re tractantes, censent quidem praeferendum esse ut Tertiarii, qui possunt, alicui Cengregationi adscribantur eique statutis diebus interveniant propter commoda spiritualia, quae inde consequuntur; simul tam admittunt vestitiones et professiones privatim factas esse validas, et hanc sententiam Superiores maiores Ordinis S. Francisci etiamnum tuentur. Post Constitutionem *Misericors Dei Filius* nonnulli Sacerdotes Archidioecesis Mecliniensis hac de re dubitare coeperunt, et subest periculum, ut ex hac incertitudine zelus amplectendi Tertium Ordinem paulatim tepescat, praesertim apud Sacerdotes qui Ordini adscripti Congregationi interesse raro possunt. Quapropter sequens dubium S. Congregationi enodandum proponitur:

Utrum valida sit vestitio et professio eius, qui a Sacerdote habente facultate seiunctim ad Tertium Ordinem saecularem S. Francisci admittitur, quin alicui Congregationi ascribatur?

Quam gratiam, etc.

S. C. Indulgentiis et Reliquiis praeposita respondit:

Affirmative.

Die 14 Iulii 1891.

S. I. CARD. D'ANNIBALE, *Praef*

A. ARCHIEPISCOPUS NICOPOLIT., *Secret.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

NEAPOLITANA Decretum Beatificationis et Canonizationis ven. Servi Dei Francisci Xaverii M. Bianchi sacerdotis professi e Congregatione Clericorum regularium sancti Pauli Barnâbitarum.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraeulis constet in casu et ad effectum de quo agitur?

Quod Paulus Apostolus de se fatebatur « *Mihi vivere Christus est* » (Philip. 1, 21), idipsum Ven. Franciscus 'Xaverius Maria Bianchi vere de vita sua poterat affirmare. Ipse enim Ärpini ortus anno MDCCXLIII, caducis rebus omnibus atque oblectamentis posthabitis, quae sursum sunt unice quaesivit et sapiit, neque aliud optavit impensius quam ut vitam cum Christo in Deo absconditam ageret. Voti nimirum compos factus in Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli Barnâbitarum, huius Apostoli vestigiis insistere studuit, vivens in Christo per omnia; eiusque spiritum, quo plenus erat, plurimis in proximos caritatis operibus, neque minus- singulari patientiae exemplo inter diuturnos et acerbissimos corporis dolores mirifico ostendit, verus Pauli imitatur, verus discipulus Christi. Famam sanctitatis et vivus habuit praeclaram et post mortem, quam obiit anno aetatis altero et septuagesimo, praeclariorem in dies obtinuit, accedentibus supernis prodigiis. Eius porro théologales et cardinales virtutes heroicum attigisse gradum Pius IX sa. me. pronuntiavit VII calendas martias anno MDCCCLVII.

Deinde de duobus miraculis patratis eius intercessione agi coeptum est apud hanc S. Congregationem. Qua de re triplex disceptatio habita : prima in Coetu antepraeparatorio ix calendas martias anno MDCCCLXXXII apud cl. me. Card. Aloisium Bilio; altera in Congregatione praeparatoria in palatio vaticano VIII idus augusti anno MDCCCLXXXIX; tertia in generalibus Congregationis Comitiis in eisdem vaticanis aedibus xvi calendas iulias anno MDCCCXCI coram SSmo Domino nostro Leone PP. XIII. In quibus cum Rmus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi Episcopus Albanensis Causae Relator dubium proposuisset « *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo*

agitur ? Rmi Cardinales ac Patres Consultores singuli suum ex ordine protulerunt suffragium. Sanctissimus autem Dominus Noster Decessorum suorum consuetudini inhaerens, coelestis luminis opem a Deo petendam duxit, priusquam sententiam suam ea de re aperiret.

Hac vero die, qua Beatae Mariae Virginis Annunciatio recolitur, oblato incruento Sacrificio, ad hanc nobiliorem Vaticani aulam accedens, et in Pontificio solio assidens, vocari iussit Rmos Cardinales Caietanum Aloisi-Masella Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, ac praefatum Lucidum Mariam Parocchi, cum R. P. Augustino Caprara sanctae Fidei Promotore meque subscripto Secretario, iisque praesentibus definivit « Constare de duobus propositis miraculis, scilicet de primo — *Instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Rosae Casabona a sari' guinea lethali apoplexia ;* deque altero — *Instantaneae perfe* ctaeque sanatiouis Philumenae Varazzo a varicosis ulceribus, unde irnpetiginosum eczema ortum duxit."*

Hoc autem Decretum in Sacrorum Rituum Congregationis acta referri ac promulgari mandavit VIII calendas apriles anna MDCCCXCII.

L. % S.

CAL CARD. ALOISI MASELLA, S. R. C. *Praef.*

VINC Nussi, S. R. C. *Secretarius.*

MURANA seu COMPSANA Decretum Beatificationis et Canonizationis ven. Servi Dei Fr. Gerardi Maiella laici professi e Congregatione sanctissimi Redemptoris.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur?

Divina illa Iesu Christi promissio, *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum* (Io: xv, **5),** quae omni tempore in Sanctorum vita luculenter impleta est, confirmata patescit in Ven. Gerardo Maiella e Congregatione SSmi Redemptoris. Muri in Lucania natus anno MDCCXXVI, quum totus Christo inde a pueritia adhaesisset, eique adulescens tum in sarcinatoris arte

tum in famulari opera sese arctius coniunxisset, penitus in ipso perfecteque mansit, Ligorianam disciplinam amplexus ; unde quamquam annorum vix triginta curriculo, multos equidem laetissimosque virtutum omnium attulit fructus. Quarum lux virtutum, humilitatis praecipue et patientiae in tolerandis, ad Iesu Christi exemplum, omne genus iniuriis, e domesticis latebris erumpens, omnes in admirationem rapuit, ita ut eum haberent tamquam electum a Deo instrumentum, quo amplins bonitas eius et gloria claresceret. Ipsius sanctitatis fama iam late diffusa, eo latius manavit post mortem, coelestibus florens prodigiis: eumdemque virtutibus heroicis illustrem Pius Papa IX sa. me. solemni edidit decreto vi idus iunii anno MDCCCLXXII.

De quatuor postea miraculis quae ipso intercedente patrata ferebantur, triplici actione apud hanc Sacram Congregationem disputatum est; prima scilicet xii calendas; décembres anno MDCCCLXXXVIII in aedibus Rmi Caerdinalis Miecislai Ledóchowskí Causae Relatoris; altera vi idus martii anno MDCCCXCI in Vaticano palaio; tertia vi calendas februarias huius anni, coram SSmo Domino Nostro Leone Papa XIII in generali Congregationis Conventu, in quo quum praefatus Cardinalis Causae Relator dubium proposuisset « *An et de quibus miraeulis constet in casu et ad effectum de quo agitur?»* Rmi Cardinales ac Patres consultores suum singuli suffragium edidere. Sanctissimus autem Dominus Noster sententiam suam non illico proferre iudicavit, sed ut in re tanti ponderis coeleste consilium precibus imploraretur, hortatus est. Hodierna vero die, Mariae ab Angelo salutatae sacra, Hostia divina oblata, ad hanc nobiliorem Vaticani aulam accedens, et in Pontifìcio solio assidens, accersivit Rmos Cardinales Caietanum Aloisi-Masella Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, ac laudatum Miecislaum Ledóchowski, et R. P. Augustinum Caprara sanctae Fidei Promotorem, meque infrascriptum Secretarium, iisque adstantibus definivit « Constare de quatuor miraculis, nempe de primo — *Instantaneae perfectaeque sanationis Annae Mariae Theresiae Deheneffe ab inveterato vulnere fistuloso, nullo relicto eicatrieis vestigio;* de altero — *Instantaneae pcrfeetaeque sanationis Laurentii Rióla a gravi tubercolosi meseraica ;* de tertio — *Instantaneae perfectaeque sanationis Ursulae Solito a tumore canceroso conclamato;* de quarto — *Instantaneae perfectaeque sanationis Iosephi Santorelli ab ileo-typho gravissimo. »*

Hoc autem Decretum in Sacrorum Rituum Congregationis acta referri ac promulgari mandavit VIII calendas apriles anno MDCCCXCII.

L. * S.

C. CARD. ALOISI MASELLA, S. R. C. *Praef.*

VING. NUSSI, S. R. C. *Secretarius.*

ROMANA Decretum Beatificationis et Canonizationis ven. servi Dei P. Antonii Baldinucci sacerdotis professi e Societate Iesu.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur Ì

Apostolicis operariis, quos evangelicus Dominus ad vineam suam excolendam providentissime semper mittit, accensendus est Ven. Antonius Baldinucci, Florentiae ortus anno MDCLXV atque in Societatem Iesu adolescens cooptatus, assumpsit pennas ut aquilae, volavit et non defecit, iam tum apostolicae vitae feliciter praeludens : omnibus namque virtutis laudibus eminebat quae sunt eius muneris, studio imprimis divinae gloriae et caritate in devios et peccatores. Inde vera, tamquam miles e castris, quum aciem et certamen ingressus est, omnem expectationem longe superavit : nil enim sibi neque infirmo corpori indulgens, summis laboribus contendit ut animas Christo lucrifaceret. Id autem tam assidua constantia fecit per romanam provinciam, tamque salutares uberesque retulit fructus, ut suorum temporum Apostolus sit appellatus: tali quidem nomine propterea dignior quod mortem ipsam sacras inter expeditiones pientissime obierit anno MDCCXVII. Eius sanctitatis famam, qua vivus ornatus fuerat, prodigia, ipso deprecante, a Deo patrata magis magisque auxerunt et illustrarunt; et Summus Pontifex Pius IX sa. me. heroicis ipsum inclaruisse virtutibus v calendas ianuarias anno MDCCCLXXIV solemni decreto edixit. Tum disceptatio coepta est de tribus miraculis quae a Deo effecta ferebantur ad ostendendam servi sui fidelis sanctitatem. Qua super re triplex de more disquisitio habita: prima penes Rmum Dominum Cardinalem Raphaelem Monaco La Valletta, Causae Re-

latorem iv idus februarii anno MDCCCLXXXII; secunda in idus ianuarii anno MDCCCXC in vaticanis aedibus; tertia calendis decembris anno MDCCCXCI coram SSmo Domino Nostro Leone PP. XIII in eodem vaticano palatio, in generali Sacrorum Rituum Congregatione, in qua cum laudatus Cardinalis dubium proposuisset « *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur Ì* » Rmi Cardinales ac Patres Consultores singuli suffragium protulere suum. Sanctissimus vero Dominus Noster, arbitratus in re tanti momenti nonnisi divino auxilio precibus implorato quidpiam a se decernendum, sententiam suam reddere distulit.

Hac autem die, qua Verbum ex Beata Virgine carnem assumpsit, sacrificio laudis oblato, ad hanc nobiliorem Vaticani aulam accedens, ac in Pontificio solio assidens, arcessivit Rmos Cardinales Caietanum Aloisi-Masella, Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, ac praefatum Raphaelem Monaco La Valletta, Episcopum Ostien. et Velitern. cum R. P. Augustino Capram sanctae Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus pronunciavit « Constare de duobus propositis miraculis, nimirum de primo — *Instantaneae perfectaeque sanationis Rosalindae Fontani a chronica ulcerosa entero-colite ;* de secundo — *Instantaneae perfectaeque sanationis Sihiani Thomae de Bossi a typho maligno in extremo decumbentis agone.* »

Hoc autem Decretum in Sacrorum Rituum Congregationis acta referri ac promulgari mandavit VIII calendas apriles anno MDCCCXCII.

C. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praefectus.

L. * S.

VINCENTIUS NUSSI S. R. C. Secretarius.

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

DECRETUM quoad emblemata Sanctissimi Cordis Iesu in Eucharistia ponenda.

Feria IV, die 3 Iunii 1991.

Nova Emblemata Sacratissimi Cordis Iesu in Eucharistia non esse ab Apostolica Sede approbanda. Ad fovendam fide-

liam pietatem satis esse imagines Sanctissimi Cordis in Ecclesia iam usitatas et approbatas; quia cultus erga Sanctissimum Cor Iesu in Eucharistia non est perfectior cultu erga ipsam Eucharistiam, neque alius a cultu erga Santissimum Cor Iesu. Insuper iidem Eminentissimi Patres communicandam mandarunt mentem ab hac Sacra Congregatione, iussu Pii Papae IX san. mem. panditam feria IV die 13 Ianuarii 1875, nempe monendos esse alios etiam scriptores, qui ingenia sua acuunt super iis aliisque id generis argumentis, quae novitatem sapiunt, ac sub pietatis specie insuetos cultus titulos etiam per ephemerides promovere student, ut ab eorum proposito desistant, ac perpendant periculum quod subest pertrahendi fideles in errorem etiam circa fidei dogmata et ansam praebendi Religionis osoribus ad detrahendum puritati doctrinae Catholicae ac verae pietatis (1).

R. CARD. MONACO.

Quoad validitatem matrimonii quatenus baptisma unius coniugis dubium sit.

« Illustrissime et Reverendissime Domine,

« Literis datis die 18 Aprilis currentis anni Vicarius capitularis, ad animarum quieti et saluti prospiciendum, declarari rogabat a S. Sede, quod per dispensationem super impedimento mixtae religionis, si dubium de baptismo haereticae partis persistat, ut istis in religionibus non raro contingit, etiam dispensatio super impedimento disparitatis cultus, ad cautelam concessa, intelligenda sit. Res ad hanc supremam Congr. S. Officii delata est, quae approbante SS. D. N. Tibi pro norma communicanda sequentia decreta mandavit, scilicet:

» 1. Proposito dubio: An Calvinistae et Luterani, quorum baptisma dubium et suspectum est, infideles habendi sint ita ut inter eos et catholicos disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse censeatur?

» Feria iv, die 17 Nov. 1830 responsum fuit: Quoad haereticos, quorum sectae ritualia praescribunt collationem baptismi *absque necessario usu materiae et formae essentialis* examinari debet casus particularis; quoad alios, *qui iuxta eorum ritualia_ baptisant valide,* validum censendum esse baptisma. *Quod si dubium persistat,* etiam in I° casu censendum esse validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii; *si autem eerto cognoscatur* nullum baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium.

» 2. Proposito dubio : utrum, si dubium de valore baptismi remaneat, et non visum sit opportunum solvere dubium de his, qui sic dubie baptizati sunt, in rebus quae ad matrimo-

(1) Monitum, quod in casu recolitur, iam relatum fuit Vol. VIII, 269.

niuni spectant habendi sint ac si vere et valide baptizati fuerint?

» Feria iv, 9 Sept. 1868 responsum fuit: censendunr est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii.

» Romae, die 18 Sept. 1890.

» R. CARD. MONACO ».

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM quo plures prohibentur libri.

Feria V die 7 Aprilis 1892.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana Repubblica praepositorum ct delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 7 Aprilis' 1892, mandavit et mandat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

Conte Luigi Pianciani. — *La Roma dei Papi illustrata.* — E. Permo Editore. — Roma.

Les erreurs scientifiques de la Bible. Par Emile Ferrière. — Paris. Ancienne Librairie Germer Baillière et Cie, Félix Alean Editeur. Boulevard Saint-Germain, 108. — 1891.

Les Apôtres, Essai d'Histoire religieuse d'après la méthode des sciences naturelles. Par Emile Ferrière. — Paris. Librairie Germer Baillière et Cie, Boulevard Saint-Germain, 108. — 1879.

Paganisme des Hébreux jusqu'à la captivité de Babylone. Par Emile Ferrière. — Paris. Ancienne Librairie Germer Baillière et Cie, Félix Alean Editeur. Boulevard Saint-Germain, 108. — 1884.

L'àme est la fonction du Cerveau. Tome premier — Tome second. Par Emile Ferrière. — Paris. Ancienne Librairie Germer Baillière et Cie, Boulevard Saint-Germain, 108. — 1883.

La matière et l'énergie. Par Emile Ferrière. — Paris. Ancienne Librairie Germer Baillière et Cie, Félix Alean Éditeur, Boulevard Saint-Germain, 108. — 1887.

La oie et l'urne. Par Emile Ferrière. — Paris. Ancienne Librairie Germer Baillière et Cie, Félix Alean Éditeur. Boulevard Saint -Germain, 108. — 1888.

Emile Ferrière. — *Le Darwinisme.* — Paris. Ancienne Librairie Germer Baillière et Cié, Félix Alean Editeur, Boulevard Saint-Germain, 108.

Catholicisme ei Spiritisme. Par J. Jesupret fils —• Paris à la librairie des sciences Psychologiques, rue Ghabanais. 1. — 1891.

Adauetus. — I Dominatori della Clûesa. — Venezia, Tipografia dell'Ancora, I. Merlo editore, 1891. *Decreto S. Off. Feria IV die 9 Martii 189. — Auctor* (Domenico Penzo) *laudabiliter se subiecit et Opus reprobava.*

Sopra una Pastorale Vescovile contro il monumento al Rosmini: Osservazioni storiche.—Milano, Tipografìa L. F. Cagliati, 1889. *Decreto eodem. — Auetor* (Domenico Penzoj *laudabiliter se subiecit et Opus reprobava.*

La Riforma del Clero secondo il Concilio di Trento, del Sac- Virginio Marchese, Canonico Prevosto di Cardé nella diocesi di Saluzzo. Torino, 1884. *Decr. eod.*

Difesa del libro: La riforma del Clero secondo il Concilio di Trento, del Sac. Virginio Marchese, Canonico Prevosto di Cardé nella diocesi di Saluzzo. Torino, 1884. *Decr. eodem.*

La Conversione dei Protestanti per mezzo del Concilio di Trento, del Sac. Virginio Marchese, Canonico Prevosto di Cardé nella diocesi di Saluzzo. Torino, 1885. *Decr. eodem.*

Il Diaconato Cattolico e la Questione Sociale, del Sac. Virginio Marchese, Can. Prevosto di Cardé nella diocesi di Saluzzo. Torino, 1891. *Decr. eodem.*

Ruggero Bonghi: *Vita di Gesù Cristo, illustrata da 86 artistici disegni. — Decreto S. Off. Feria IV die 16 Martii 1892.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisito ribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum'Romae 7 Aprilis 1892.

Auctor Operis, *Les Congrégations Romaines, guide historique et pratique par Félix Grimaldi,* Sienne, Imprimerie San Bernardino, 1890, prohibiti ex Decr. S. Off. Fer. IV die 29 Apr. 1891, *laudabiliter se subiecit et opus reprobami.*

CAPILLUS Card. IVIAZZELLA Praef.

Fr. HYACINTHUS FRATI O. P. a Secretis.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

HISPANIARUM ET INSULAE CUBANAE

IURISDICTIONIS

Die 5 Martii 1892.

COMPENDIUM FACTI. Prodit disceptatio gravissima et difficilis, re in se levissima, exorta. Agitur, nempe, de conflictu Iurisdictionum, Rotam inter matritensem et Episcopos Cubae, quorum iura praesumpta, simul cum proprio tueri nititur Episcopus habanensis, et cum illo, Archiepiscopus S. Iacobi de Cuba, ad S. Sedem appellans « ut Eiîios Cardinales, quibus res committitur, modo iuri plus consentaneo, sive per viam appellationis, vel exceptionis, vel querelae, oppositio mea constet actis Rotae, meo quidem iudicio, antecanonicis. »

Origo et progressus huius controversiae haec est: capellanus quidam castrensis, Ioachim Salvadores et Botas, penes milites in civitate S. Cristophori de Habana residentes, quamvis a Subdelegato castrensi iussus fuerit et a parocho et tribuno militum invitatus, adsistere recusavit matrimonio cuiusdam centurionis, coram sponsae parocho celebrando; et in sacristia, durante celebratione, remansit. Audita inobedientia, in qua irreverentia quaedam erga militum duces merito suspicabatur, Subdelegatus castrensis D. Urreta, qui pariter officio Vicarii generalis Episcopi fungebatur « de plano, non servata iuris forma, sed rei veritate inspecta » mandavit capellano ut exercitia perageret decem dierum; huic praecepto restitit dictus Salvadores Capellanus, appellationem ab eo ad Rotam Matritensem faciens.

Rota, pro parte sua appellationem accepit, et « exceptionem incompetentiae » ab Urreta oppositam spernens se competentem declaravit, perpensisque actis omnibus sententiam tulit anno 1884 decreti D. Urreta revocatoriam, illumque insuper expensis omnibus mulctando ! Postea idem Tribunal Rotae novam Urretae provocationem reiecit sententia definitiva 16 maii 1887.

Verum, cum executio huius sententiae remissa fuerit Archiepiscopo S. Iacobi de Cuba, in qua civitate domicilium habuit Urreta; nam factus canonicus doctoralis Capituli S. Iacobi, Habanam, ubi primo morabatur, iam reliquerat: Archiepiscopus censuit, sententiam Rotae attentatum esse contra privilegiatam in appellationibus disciplinam, quae ad instantiam Regis Hispaniae in regionibus illius regni ultramarinis fuerat per Gregorium XIII, introducta et adhuc in pleno vigore manebat; et proinde executioni sententiae Rotae sese opposuit et ad S. Sedem recursum fecit « exorans, verbis utor eius, ut B. V. huic Sedi Metropolitanae, et Sedibus Episcopalibus huius provinciae ecclesiasticae restituere iubeat cognitionem, decisionem et executionem causae intentatae adversus presbiterum « Salvadores et adversum D. Urreta »

Interea, prout in supplemento narratur, alter processus cum hoc tamen connexus a Salvadores apud Rotam intenta tur contra Subdelegationem Habanensem, Episcopum scilicet huius dioeceseos. Actoris petitioni annuit Rota, et Episcopo rescripsit relationem eorum exquirens quae, iuri ab eo praetenso, faverent. Respondit « Episcopus iuxta Constitutionem *Exposcit debitum* Gregorii XIII et legem X, tit. IX lib. I Collectionis Indiarum, causas omnes ecclesiastici fori in eadem provincia ecclesiastica esse finiendas ubi initium habuerunt, et omnia contra hanc Bullam gesta, esse irrita et nullius roboris. »

Huic Episcopi communicationi ipsi Eccmo Nuntio factae, nulla data fuit responsio, praeterquamquod, flagitante Salvadores, cui consentit Fiscalis Rotae, tribunal illud aliud contra Epiácopum decretum, absque audientia aut notitia eius, edidit, quo ad dimidiam partem expensarum, libellas scilicet 1535, illum damnavit: quam sententiam ceu « pro firma et re iudicata » habuit Rota actionem criminalem minans Episcopo, nisi, intra decem a notificatione, dies ille acquiesceret, mandatum exequendo a tribunali iam datum. Quapropter Episcopus Habanensis etiam ad S. Sedem appellat contra Rotam, prout supra dictum fuit.

Disceptatio synoptica

VOTUM CONSULTORIS. Ex his omnibus patet, quod dum ab una parte Rota matritensis sibi ius esse existimat recipiendi et terminandi causas quascumque fori ecclesiastici in *appellatione,* Episcopi Cubae et Habanae hoc, quoad *regiones ultra-*

marinas negant, sive agatur de iurisdictione ordinaria episcopali, sive de iurisdictione castrensi, pro qua hi Episcopi sunt semper subdelegati, a Capellano maiori qui Patriarcha Indiarum esse solet.

Patet igitur controversiam totam versari circa iurisdictiones quasdam privilegiatas, quae iuris communis tramites minime sequuntur; quapropter oportet imprimis huiusmodi privilegia attente perscrutari, ut sic determinari possit quid iuris tenendum virtute uniuscuiusque concessionis. Et sub hoc respectu tria potissimum, ait Cousultor, consideranda veniunt: scilicet 1. Iurisdictio ordinaria sed privilegiata in regionibus ultramarinis Hispaniae a Gregorio XIII creata- 2. Iurisdictio castrensis pro universis eiusdem regni militibus. 3. Iurisdictio Rotae matritensis.

Iurisdictio ultramarina privilegiata. A. D. 1578. Gregorius XIII Bullam « *Exposcit debitum* » dedit, ad instantiam Philippi II regis catholici pro regionibus Hispaniae ultramarinis. Exponi fecerat rex quod « in partibus civitatum, terrarum, locorum et oppidorum ac dominiorum Indiarum, terrae firmae et insularum maris Oceani, ob *locorum a romana Curia distantiam,* difficile admodum rescripta apostolica haberi qui verini, ac propterea appellationes, quae a quibusvis sententiis in causis tam criminalibus, quam civilibus et aliis quibuscumque forum ecclesiasticum concernentibus pro tempore latis, interponunt^, difficulter admodum recipi et admitti possunt, ac propterea incolarum praedictorum dispendiis, quae ex litium longitudine proveniunt, valde consultum fore, si *duae sententiae* pro tempore latae, *rem iudicatam facerent,* et ab *Ulis amplius non liceret appellare* ». Huic regis petitioni pergit Pontifex, praemissis solitis a censuris absolutionibus, satisfacere modo sequenti : - « Volumus et apostolica auctoritate decernimus quod in *omnibus regnis, Terris* et *Dominas Indiarum,* et *Terrae firmae* et *Insularum* Maris Oceani, et in aliis quomodocumque et qualitercumque nuncupatis, dicto Philippo Regi, mediate vel immediate subiectis, quandocumque in causis tam criminalibus, quam aliis quibuscumque forum ecclesiasticum concernentibus, a sententiis pro tempore latis appellari contigerit, si. prima sententia ab Episcopo lata fuerit, ad Metropolitam, si vero ab ipso Metropolita, ad suffraganeum Ordinarium viciniorem, appellatio interponatur: cuius sententia, si primae con-

formis fuerit, vim *rei iudicatae* obtineat, et executioni per eum qui illam tulerit, *quacumque appellatione non obstante,* demandetur. Si vero illae duae sententiae, sive ab Ordinario et Metropolita, sive a Metropolita et Ordinario latae, conformes non fuerint, tum ad alterum Metropolitam vel Episcopum a quo prima lata fuerit, viciniorem eiusdem Provinciae appellatur, et duas ex ipsis tribus sententias conformes, quas etiam vim *rei iudicatae* habere volumus, is qui ultimo loco iudicaverit exequatur, *quacumque appellatione non obstante.* Decernentes omnia et singula, alias quam praemittitur, intentata iudicia nullius prorsus roboris vel momenti fore, et quascumque deinceps, modo praedicto non servato, interpositas vel interponendas appellationes, nullas, irritas et inanes existere, sicque, per quoscumque iudices, et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam ordinarios et Palatii apostolici auditores, sublata, iis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate, iudicari deberi, irritum quoque et inane, si secus, super his, a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari ». -

En forma iurisdictionis privilegiatae in regionibus praedictis! Ex allegatis autem in causa, satis superque constat, modum appellationis per Bullam hanc introductum, fuisse iugiter in causis ad forum ecclesiasticum spectantibus servatum, ita ut in terminis legislationis modernae civilis loquens, verus Codex *processus civilis et criminalis* dici possit. Quae denominatio si ut vera admittatur, haud parum puto conferet ad solutionem quaestionis propositae.

Iurisdictio castrensis pro Regno Hispaniae. Haec iurisdictio privilegiata continetur et firmatur pluribus Constitutionibus apostolicis incipiendo ab Innocentio X « Cum sicut » 6 Septembri 1644; quae Constitutio notabiliter ampliata reperitur in alia Clementis XII 4 Februarii 1736 « Quoniam in Exercitibus, » et in alia eiusdem 10 Martii 1762 « Quoniam in exercitibus: » ~ iterum in Constitutione Clementis XIII 27 Augusti 1768 « Cum exercitibus, nec non in Constitutionibus Pii VII 12 Iunii 1807 Compertum est, » et Pii IX 14 aprilis 1848 « Nobis nuper fuit » - Constitutio prima Clementis XII in subsequentibus omnibus citatur ut fundamentale ius ab illis ampliatum et roboratum, et proinde rei nostrae providebimus eam hic proferendo saltem quoad partem eam, quae forum externum respicit, omissis, ceu

ad scopum nostrum non spectantibus, clausulis, quae facultates tribuunt pro foro interno, et privilegia quam plurima, pro variis exercitus et illorum qui huic inserviunt exigentiis. Constitutio Clementis sic sonat. « Clemens P. XII ad futuram rei memoriam. - Quoniam in exercitibus charissimi in Christo filii Nostri Philippi Hispaniarum Regis catholici, multa saepe contingere possunt in quibus, pro recta Sacramentorum administratione salubrique directione et cura animarum, illorum qui in castris degunt et versantur, nec non pro *cognoscendis et decidendis* inter eos, *causis et controversiis* ad forum *ecclesiasticum pertinentibus* opera et industria unius seu plurium personarum ecclesiasticarum opus sit; *propterea quod, non facile, -ad proprios parochos,* et *locorum Ordinarios, aut ad Nos* et *Sedem Apostolicam* recursus haberi potest: idcirco Nos, supplicationibus ipsius Regis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Capellano Maiori exercituum huiusmodi ab eodem Philippo Rege, pro tempore deputato, infrascriptas facultates per se vel alium, seu *alios sacerdotes probos et idoneos,* per ipsum Capellanum Maiorem praevio diligenti ac rigoroso examine repertos ac approbatos (quatenus ab aliquo suo Ordinario approbati non essent), et ab eodem Capellano Maiore *subdelegandos,* erga milites aliasque utriusque sexus personas ad dictos exercitus (comprehensis etiam copiis auxiliaribus) quomodolibet spectantes, tantum exercendos ». - Enumerantur deinde per XII paragraphos facultates et privilegia, usque ad XIII, in quo de foro sermo fit his verbis - « Praeterea, eidem Capellano maiori per se pariter, vel per alium seu alios, ab eo subdelegandos probos et idoneos sacerdotes, in foro ecclesiastico versatos, iuxta attestationem et informationem ab eorum Ordinario, aliisve personis fide dignis, per ipsum Capellanum Maiorem desuper exquirendam, *omnem et quamcumque iurisdictionem ecclesiasticam* exercendi *in eos, qui in exercitibus praedictis pro Sacramentorum administratione, nec non spirituali animarum cura et directione pro tempore inserviant,* sive *clerici* \ ***Q*** \ *presbyteri saeculares, sive quorumvis* etiam *Mendicantium Ordinum Regulares* fuerint, ac si *quoad clericos saeculares* eorum VERI PRAESULES ET PASTORES, ad Regulares vero illorum Superiores generales essent. Omnesque causas ecclesiasticas, profanas, civiles, criminales et mixtas inter seu contra praedictas aliquas personas in exercitibus praedictis commo-

rantes, ad forum ecclesiasticum, quovis modo, pertinentes, etiam *summarioj simpliciter de plano, sine strepitu* et *figura iudicii, sola facti veritate inspecta,* audiendi et fine debito terminandi, contra inobedientes quoslibet ad censuras et poenas ecclesiasticas procedendi illasque aggravandi et etiam saepius reaggravandi, auxiliumque brachii saecularis advocandi; non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis, editis generalibus aut specialibus Constitutionibus et Ordinationibus; nec non Ordinum____etiam iuramento, confirmatione Apostolicis, vel quavis firmitate, roboratis, statutis et Constitutionibus, privilegiis quoque indultis et Litteris Apostolicis, Ordinibus .... aut singularibus personis quomodolibet concessis ac approbatis et innovatis. »

Per constitutionem 14 Aprilis 1762, idem Pontifex instituit permanenter Capellanum Maiorem, qui primo a rege deputari debuerat. Immediate post verbum *inclinato* prosequitur hoc modo: - « Dilecto filio Nostro Bonaventurae S. R. E. Presbytero Cardinali de Cordova, Spinola de la Cerda, e S. Carolo nuncupato, ex concessione et dispensatione Apostolica, *moderno* nec non pro *tempore existenti Patriarchae Indiarum,* qui *nunc et deinceps* Capellanus maior, seu Vicarius exercituum eiusdem regis esse debebit, infrascriptas facultates etc. » Facultates vero eaedem omnino sunt, transcriptae ex Constitutione praecedenti.

Postea anno 1768, Clemens XIII confirmat et explicat praedictas facultates modo sequenti, incipiendo pariter a verbo *inclinati:* « easdem secundo dictas Nostras Litteras diei 14 Martii 1784, ut praefertur, expeditas ac quascumque declarationes, concessiones, aliaque omnia et singula, in eis contenta atque disposita, quae praesentibus, pro plene ac sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, haberi volumus, confirmamus, approbamus, innovamus, illisque Apostolicae firmitatis Nostrae, vim, robur atque munimen nanciscimus, easque, ac in illis contentas decisiones et declarationes, ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque, quomodolibet spectabit in futurum, inconcusse et irrefragabiliter observari volumus, praecipimus et mandamus; eidemque Bonaventurae Cardinali .. . moderno, nec non pro tempore existenti Patriarchae Indiarum, infrascriptas facultates iuxta tenorem et formam secundo dictarum Nostrarum Litterarum, in omnibus et per omnia, ut praefertur, intelligendas et interpretandas atque exequen-

das, per se vel per alium, seu alias personas in dignitate constitutas, sive alios sacerdotes probos et idoneos, per ipsum Capellanum maiorem seu Vicarium exercituum ... subdelegandos erga milites etc. »

Litterae posteriores Pii VII 7 Iunii 1807, et Pii IX 14 Aprilis 1848 tantum declarant quinam proprie sint, qui huic iurisdictioni castrensi subiiciantur; sed nihil innovant circa iurisdictionem ipsam vel personas per quas exerceri debeat, quin potius per clausulas confirmatorias, omnia in antegressis constituta corroborant atque tuentur. Ab illis proferendis igitur abstineo, ut ad tertiam et ultimam iurisdictionem properem, quae est.

Rotae matritensis. Tribunal a Clemente XIV per Bullam « Administrandae iustitiae » 26 Martii 1871, Auditorio Nuntiaturae matritensis subrogatum fuit, cum iurisdictione tum in *prima instantia,* tum in *appellationibus,* qua,< eousque gaudebat Auditor Nuntiaturae illius regni.

Omissis generalibus, quae parum ad rem conferrent, clausulas maioris momenti hic exscribuntur, ex quibus colligere pronum erit naturam et extensionem istius iurisdictionis, cui, ut videbimus, innititur potissimum seu innituntur sententiae, contra quas fit appellatio praesens. - Praemisso, quod, « sicuti accepit in tribunali Nuntiaturae Hispaniae Auditor pro tempore ibidem existentis Nuntii Apostolici, lites et causas tam civiles quam criminales regularium, aliorumque exemptorum, tamquam ordinarius iudex, in prima instantia cognoscere et definire assuevit; simulque in causis in quibus Ven. Fratres Archiepiscopi et Episcopi regnorum huiusmodi suas iam ediderunt sententias, tamquam iudex appellationis idem auditor eas confirmare vel infirmare solebat; » pergit Pontifex novum instituere tribunal his verbis: « Motu proprio ac ex certa scientia et matura deliberatione Nostra, et de Apostolicae potestatis plenitudine, Auditorem pro tempore existentis Nostri et apostolicae Sedis in Hispaniarum regnis Nuntii, quacumque auctoritate, facultate, et iurisdictione cognoscendi, decidendi et terminandi omnes et quascumque Causas praefatas, tam in prima quam in ulterioribus instantiis, et in gradu appellationis, perpetuo pariter privamus, et pro privato haberi volumus et mandamus; eiusdemque Auditor ii loco, Rotam Nuntiaturae apostolicae nuncupandam, et in Villa, civitate nuncupata Matriti, toletanae Dioecesis erigendam et constituendam, motu, scientia et potestatis

plenitudine paribus, perpetuo, itidem substituimus, ponimus et subrogamus. Huic tribunali Rotae sic erigendae, cognitio praefatarum causarum a pro tempore existente Nostro et apostolicae Sedis in Hispaniarum regnis Nuntio committenda erit, iisdem modo et forma, quibus tribunal nostrum Signaturae Iustitiae nuncupatum causas in hac alma Urbe Auditorio Rotae Romanae committere semper assuevit ».

Prosequitur deinde Bulla numerum iudicum determinare, qui per « turnos », ut aiunt, causas iudicarent et quid sit faciendum statuit, cum sententiae fuerint diversae. Sex esse debent huius Rotae iudices ad praesentationem Regis Hispaniae nominandi. - Postea iurisdictionem Rotae limitat modo sequenti - « Non autem omnes causae a Nuntio praedicto tribunali novae Rotae huiusmodi committi poterunt, quandoquidem illae exemptorum et residentium seu commorantium in Provinciis eorumdem regnorum, ut imposterum idem Nuntius causas huiusmodi vel locorum Ordinariis vel Iudicibus synodalibus earumdem Provinciarum, reservata Nuntiaturae apostolicae appellatione committere debeat ac teneatur, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus statuimus et mandamus; in aliis vero causis, quae in gradu appellationis interpositae a sententiis Ordinariorum vel Archiepiscoporum huiusmodi regnorum, in secunda aut tertia instantia ad nuntiaturam praefatam devolvantur, pro tempore existens Nuntius praedictus, serio perpensis omnibus circumstantiis causarum praefatarum et personarum et distantiae locorum, servata, quoad fieri poterit, dispositione ss. Canonum et Conciliorum, sine gravi causa lites et litigantium personas extra earum respective Provincias trahere prohibentium, easdem causas vel Iudicibus synodalibus Dioecesum vel novae Rotae praedictae committere debeat.

« In aliis autem causis criminalibus, id totum adamussim, omnino ac perpetuo servandum erit quod a Concilio Tridentino, sacris Canonibus et apostolicis Constitutionibus praescriptum reperitur circa appellationes et recursus in iis omnibus quae compatibilia sint cum nova hac iudicandi forma, per praesentes Nostras Litteras instituta; hincque gradualis et legitimus ordo semper servabitur in admittendis, recipiendisque appellationibus et quocumque recursu, ita ut in prima instantia omnibus Ordinariis salva perpetuo maneat iudicandi facultas, ac regularis monastica disciplina, quoad correctionem Regularium firma Consistat».

Describit postea S. Pontifex modum deputandi tum assessorem, tum abbreviatorem novi tribunalis, et deinde clausulam summi, ut mihi videtur, momenti addit: « Ipsius, tamen pro tempore existentis in Hispaniarum regnis Nuntii iurisdictionem et auctoritatem in nihilo imminutam, mutatam vel innovatam esse, per praesentes decernimus et declaramus. Quocirca omnibus et singulis facultatibus, auctoritatibus et privilegiis quibus ipse, tamquam Sedis praefatae de Latere Legatus, iuxta Litteras Apostolicas in simili forma Brevis, pro unoquoque ex huiusmodi Nuntiis expediri solitas, antea fruebatur, gaudebat et potiebatur, eum quoque imposterum iis omnibus gaudere, frui et potiri debere volumus, praecipimus atque decernimus. Neque eiusdem Nuntii omnimodam iurisdictionem, auctoritatem, et facultatem per praesentes Nostras Litteras, vel per alias quascumque ordinationes ac regulas, quae quoad novum tribunal Rotae, sic erigendae, in futurum etiam decerni ac praescribi contigerit, in aliquo immutatam, diminutam et innovatam, sed perpetuo sicuti prius, ita et imposterum firmam omnino manere debere, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus statuimus etiam et ordinamus. »

His omnibus perpensis, facile intelligitur, rationes non spernendas stare pro utraque parte. Rota argumentis saltem valde probabilibus fulcitur, definitivam proferendo sententiam; neque leviter aut imprudenter agunt Episcopi hanc sententiam respuendo, sicuti fecerunt ad S. Sedem confugientes.

Res primo S. Cong. super Negot. Eccl. extraord. delata, ab hac ad S. C. C. remissa fuit, ut quaestio iudicio EE. PP. submitteretur, prout reapse fuit submissa. Die etenim 14 Iunii 1890 in S. C. C. propositum fuit dubium - « An sententia Rotae Matritensis ex competentiae defectu nulla et irrita sit in casu »; et EE. PP. responsum dederunt: « Dilata et exquiratur votum Consultoris, reassumptis omnibus ad rem facientibus, et ad mentem » - Mens est: scribendum esse illi Nuntio Apostolico ut interim donec quaestio dirimatur, Rota matritensis a quovis ulteriori actu, hac in re abstineat.

Cum mihi, ait Consultor, munus demandatum sit votum in quaestione scribendi, post attentam instrumentorum omnium considerationem, melior et clarior mihi non occurrit voluntati S. C. obtemperandi modus, quam exhibere EE. PP. in ordine: 1. Rationes ab Episcopis allatas:-2. Illas quibus Rota videtur

niti: - et 3. Censuram meam et iudicium super argumentis in causa et super sensum qui probabilis mihi videtur Constitutionum Pontificiarum.

Contentio pro parte Episcoporum. Argumentum palmare ipsis est Breve Gregorii XIII « Exposcit debitum », cuius obligatio declaratur etiam et corroboratur per legem decimam Tit. IX lib. I Collectionis, vulgo *Rieopilaeion de leges de los reinos de las Indias.* Haec Constitutio Gregoriana decrevit causas universas regionum illarum, ibi terminandas esse etiam in gradu appellationis, et insuper iudicia omnia eorumdem locorum, contra ordinem per ipsam stabilitum intentata vel intentanda irritavit et annullavit. Quapropter Episcopi in toto illo territorio hanc iurisdictionem privilegiatam tenuerunt et a saeculis pacifice exercuerunt; minime enim ei derogatum fuerat per Breve Clementis XIV, quo institutum fuit tribunal Rotae. In hoc Brevi sublata quidem apparet iurisdictio Auditoris Nuntii apostolici matritensis, cui sufficitur novum tribunal, sed ne verbum reperitur quod ad ius Episcoporum in *regionibus ultramarinis* referatur, nec clausula ulla, iuri per Breve « Exposcit » introducto derogatoria. Sicut in pacifica possessione fuerunt ante editam Clementis XIV Constitutionem, ita post ipsam permanserunt, cuius indicium est quod nuperrime finita fuerit ab Episcopo Portoricensi causa quaedam divortii ad normam Constitutionis Gregorianae.

Sed neque Romani Pontifices Innocentius X in Brevi 26 Sept. 1644, nec Clemens XII in illa Feb. 1736, et alii qui facultates Vicarii Generalis Castrensis definivere, quidquid iuri Gregoriano contrarium statuere; et quamvis Rex Carolus III per ordinationem 2 Oct. 1784. *(Leœ 4 tit. 5 lib. 2. Novissima Rieopilaeion)* statuerat quod tribunal Rotae Matritensis cognosceret de appellationibus et recursibus Vicariatus Generalis Castrensis et conservaretur in usu facultatum et iurisdictionum a Sede Apostolica obtentarum, non ideo iudicandum est per hanc legem quidpiam derogatum fuisse privilegiatae iurisdictioni ultramarinarum per Breve «Exposcit» introductae, neque *Legi IO, tit. 9, lib. Î Collectionis Recopilación.* Nam paullo post datam Caroli III ordinationem, cum appellatum fuerit ad Rotam Matritensem a quodam Peruano, Archiepiscopus illius regni hanc appellationem denegavit, et eius modum agendi approbavit rex, qui, praeterea per suam ordinationem 17 Oct. 1789 (forsitan 1788)

mandavit, ut quoad causas castrenses in *regno Peruano* servetur in appellationibus praxis, quae pro CETERIS illorum dominorum SUBDITIS invenitur stabilita - quae alia non est quam iurisdictio Gregoriana - Ex Breve vero habetur, quod eadem omnino haec sit pro « insulis » et « terra firma » maris oceani.

Concludendum igitur, Constitutionem « Exposcit » perdurare et plenum suum retinere vigorem in locis pro quibus fuerat concessa, etiam post institutionem Rotae Matritensis cum omnibus suis iuribus. Et merito. Sunt etenim eaedem rationes gravissimae, distantia longissima, litium dispendia maiora, et tempus ad causas finiendas longius, quae subditos iurisdictionis castrensis in iis locis commorantes afficiunt, non minus quam ceteros incolas, qui iurisdictioni ordinariae Episcoporum subiiciuntur. Sententia haec roboratur per monita Caroli III, directa ad Indiarum Patriarcham.

Praeterea Constitutio gregoriana abrogari nequit nisi per alias Litteras Pontificias, in quibus exprimitur et ipsa Constitutio et eius abrogatio vel revocatio sin expressis, saltem verbis aequivalentibus, dum e contra in Litteris et Constitutionibus sive Rotam, sive iurisdictionem castrensem constituentibus, altum observetur silentium quoad Breve gregorianum, quod nihilominus specialem introduxerat disciplinam quoad appellationes in partibus ultramarinis eiusdem regni Hispaniae, et eo magis necessaria esset mentio specialis, quod subsistant adhuc graves illae rationes, quibus permotus Gregorius XIII Constitutionem « Exposcit » ediderat. Sequitur ergo quod, cum subdelegati sint causarum castrensium iudices,* et in regionibus ultramarinis Episcopi sint subdelegati castrenses, servari debeat forma iudicii ea quae a S. Pontifice praescripta fuerat pro « *omnibus eausis, tam criminalibus,* quam *aliis quibuscumque.* »

Deinde cum, praeter causam Salvadores et Botas, adsit altera cum hac connexa in qua Rota sententiam definitivam tulit contra Episcopum Habanensem, contra actionem Rotae, urget Episcopus, praeter privilegium Brevis « Exposcit » : - **1.** Archiepiscopi, in eadem re, ad S. Sedem appellationem, quae iuxta auctores effectum sortiri debet suspensivum appellationis cuiuscumque ad inferius tribunal: - **2.** Quod post Tridentinum causae Episcoporum tractari ac finiri possint a solo Papa vel Concilio Provinciali; et proinde Rota ultra vires egerit, nisi dicatur, quod absurdum videtur, conditionem nempe subdelegati,

Episcopum privare exemptionibus et privilegiis, quibus iure communi gaudere debet. - 3. Quod Salvadores excommunicationem incurserit « speciali modo » Papae reservatam, ob traducami coram tribunali laico iudicem ecclesiasticum ideoque, etiamsi Rota competens aliunde fuisset, acta omnia excommunicationem sequentia invalidanda et irritanda forent.

Contentio Rotae Matritensis. Argumentis his Episcoporum Habanae et Cubae, alia ex adverso opponit Rota, sive potius qui eius iurisdictionem in gradu appellationis quoad causas harum regionum defendunt. Imprimis dicunt *a)* essentiam, privilegii Brevis « Exposcit » in eo consistere quod *duae* sententiae *rem iudicatam* faciat ubicumque viget. Huiusmodi enim fuerat Regis petitio, et eo tendunt motiva allegata pro concessione. Ex hoc inferunt dictam Constitutionem, iuri communi derogare, quoad *substantiam* et quoad *formam;* quoad substantiam in quantum *tres* sententiae iure efficiunt «exequutoriam; » in forma, quia ex iure appellationes *gradatim* fieri debent, ab inferiori scilicet ad superiorem. Igitur, licet ex parte *favorabilis,* substantialiter est lex *odiosa,* restringit ius defensionis, quale communiter in ecclesia admittitur; est ergo Breve « Exposcit » strictae interpretationis, et locus non datur argumentis « ex simili », neque « ex identitate », iuxta axiomata : « in correctoris stricte debemus procedere » et « quae a iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda », et ulterius « in argumento trahi nequeunt quae propter necessitatem aliquando sunt concessa » Reg. Iuris in. 6. 28-78 : et praeterea cum lex sit circa « solemnitates », spiritus et scopus eius in littera stant; ut exequatur ergo, requirit duas distinctas dioeceses et duo tribunalia, *b)* Constitutiones clementinae pro exercitu ab Ordinariis auferunt iurisdictionem in milites universos et personas exercitibus ad dictas, eamque uni soli attribuunt qui illam debet ac potest per se vel per subdelegatos ecclesiasticos, non refert tamen an sint Episcopi aut Metropolitae, exercere. Hae Constitutiones cum recentiores sint derogant in « comprehensis et non exceptis » legi generali cuicumque antecedenti, *c)* Vi earum dominia et regiones Hispaniae tam ultramarinae quam aliae, in ordine ad iurisdictionem castrensem, unam tantum Dioecesim privilegiatam constituunt cum unico Praesule, Patriarcha Indiarum, et uno *tribunali* ex delegatis formato, qui singulis in respectivis suis locis, ad instar sunt Vicarii eius, et iu-

dicant ac finiunt unica sententia, cum ab uno ad alterum non detur appellatio, sicuti in foro communi Episcopus non iudicat in appellationibus a sententia sui Vicarii Generalis, ***d)*** Quamvis ergo una eademque persona vices gerat Ordinarii et subdelegati castrensis, a Cappellano maiori omnino dependet quoad secundam; nequit subdelegare nisi in casibus per Constitutionem determinatis neque permanenter, ita ut ipsorum Vicarii veram a Patriarcha iurisdictionem accipiunt, quod argumentum est totam ab ipso derivari iurisdictionem, ***e)*** Deinde Constitutio Clementis XIV anni 1771 ceteris posterior in Rotam transfert iurisdictionem quae prius penes Auditorem Nuntii fuerat, facultatem scilicet iudicandi in prima instantia causas exemptorum et ceteras in gradu appellationis, propter quod constituitur ut tribunal ordinarium et supremum, nullis circumscriptum limitibus praeter illos in Brevi expressos.

Unde inferunt qui causam Rotae tuentur, quod in Brevi « Exposcit » termini idonei non inveniantur qui causas castrenses attingerent, prout iura requirunt. Quod nisi dicatur causas huiusmodi omnes per unicam terminandas esse sententiam, quae nova et insolita doctrina esset, aliud tribunal non est cui recursus fieri possit, praeter Rotam. Negant praeterea Breve « Exposcit » ad castrenses extendi posse aliam ob rationem; respicit enim iurisdictionem ordinariam et non castrensem, quae adhuc modo permanenti non existebat. Nec obstat quod « exemptos » comprehendat; siquidem hoc tantum significat olim exemptos amisisse ex parte privilegium per Breve; milites autem qui tunc temporis sub hac iurisdictione fuerant ab illa exempti sunt per Constitutionem clementinam duobus saeculis post emanatam.

Praeterea, aiunt, qua iurisdictione uterentur Ordinarii qui sunt subdelegati? Et tales iudicare nequeunt in secunda instantia, nisi accepta ad hoc a Vicario generali castrensi facultate; et si, prout accidit, iudicant ut subdelegati in prima, id facere non valent ut Ordinarii, cum haec iurisdictionum mutatio nuspiam contemplari videatur in Constitutionibus Apostolicis. Neque gaudent Ordinarii iurisdictione super milites sibi non subiectos. Quapropter in Hispania, Metropolita non iudicat in secunda, causas a subdelegato castrensi vi suae delegationis decisas.

Quaeri potest, quis ergo iudex fuerat appellationis post Clementinas, sed ante institutam Rotam? Respondetur fuisse

Auditorem Ecciîii Nuntii, in prima instantia si castrenses fuerint, in sensu stricto, exempti, seu S. Sedi immediate subiecti. Sed hoc non potuit esse; cum exempti speciali modo fuerint et iudicium in prima instantia Vicario generali castrensi et eius subdelegatis datum fuerit, Auditori relictum fuit tantum iudicium in secunda et in gradu appellationis, quod ad Rotam transivit vi Constitutionis Clementis XIV. In fine demum Rota non admittit commoda allegata, distantiam et dispendia maiora, cum in causis civilibus laicorum, constanter fiunt appellationes ad tribunal supremum peninsulae.

Censura et Votum Consultoris. Expositis nunc ab utraque parte rationibus allegatis, nunc venimus ad iudicium super valorem respectivum; et in ipso limine fateor sententiam quae transmarinis favet, mihi magis arridere. Argute argumentantur qui actionem Rotae defendunt; nimis argute forsitan, quin tamen omnino convincant. Rationes subtiliores technicis, ut ita dicam, iuris innixae nulli fere causae desunt; sed quantumvis subtiles et numerosae sint cadunt prorsus quoties ipsis contrarium opponatur factum certum, indubitatum et incontestatum, quod ipsa sua natura, ex adverso praetensa retundit et destruit. Tale autem factum in casu praesenti est saepe citata Constitutio « Exposcit », quae pro appellationibus in transmarinis Hispaniae regionibus, novum modum et ordinem procedendi introduxit non tantum, sed sub poena nullitatis actorum omnium in causis, quae hunc non servant ¡ordinem, imposuit. Audiantur verba Pontificis : « *in causis tamen criminalibus quam aliis* QUIBUSCUMQUE *forum ecclesiasticum* ^concernentibus » - et deinde - « *Decernentes omnia et singula* ALIAS QUAM PRAEMITTATUR *intentata iudicia, nullius prorsus roboris vel momenti fore, et quascumque deinceps, modo praedicto non servato,* INTERPOSITAS *vel interponendas* APPELLATIONES, *nullas, irritas ac inanes existere* » - et ulterius, quod sedulo notandum - « per *quoscumque* iudices et commissarios, *quavis* AUCTORITATE fulgentes, etiam Ordinarios et *Causarum* PALATII APOSTOLICI *auditores, sublata eis et eorum cuilibet, quavis* ALITER *iudicandi facultate,* iudicari debere, irritum quoque et inane, si secus etc. ». Norma autem in iudiciis his transmarinis praescripta, est ut duplex sententia rem iudicatam faceret, quae utraque in locis ipsis ultramarinis reddi debet, facta appellatione ad Metropolitam in causa Ordinarii, ad Ordinarium viciniorem si de Metropolitae

Curia agatur,; cui regulae iudices universim conformare se tenentur in causis ecclesiastici fori omnibus sub poena nullitatis. Et cum lex non distinguat, nec nobis licet distinguere. Parum ergo refert num sit iudex Ordinarius aut delegatus, Vicarius generalis aut capitularis. Summus Pontifex cum novum hunc appellationum in transmarinis ordinem institueret, non'aliquas sed omnes omnino sententias curiarum ecclesiasticarum comprehendit. Nec aliter contingere potuit; nam motiva a rege producta in sua petitione et a S. Pontifice admissa, incommoda nempe gravissima « distantiae » et « dispendiorum » causas omnes aeque afficiunt. Qua ratione ergo eximerentur sententiae in causis castrensibus eiusdem regionis? Siquidem istae non minus quam illae forum ecclesiasticum et Hispaniae colonias respiciunt, quibus providere voluit S. Pontifex lege « Exposcit », quae proinde causas castrenses comprehendit cum ceteris omnibus illarum regionum iudiciis. Sane hoc tenendum, nisi RR. PP. iurisdictionis castrensis auctores specialem appellationum ordinem in sententiis subdelegatorum castrensium servandum praescripserint. Verum Innocentius X aliique Pontifices, qui hanc iurisdictionem initia verunt et perfecerunt pro Hispania, et Benedictus XIV qui similem omnino concessit Regi Sardiniae *« Quoniam in exercitibus »* 28 Maii 1746, ne verbum quidem de appellationibus habent. Statuunt simpliciter : « omnes causas ecclesiasticas, profanas, civiles, criminales et mixtas inter seu contra praefatas aliasque personas in exercitibus praedictis commorantes, ad forum ecclesiasticum quovis modo pertinentes, etiam summarie, simpliciter ac de plano, sine strepitu et forma iudicii, sola facti veritate inspecta audiendi et fine debito terminandi, contra inobedientes quoslibet, ad censuras et poenas ecclesiasticas procedendi, illasque aggravandi et reaggravandi, auxiliumque brachii saecularis invocandi ». Fateor mihi haec verba legenti vehementem surrexisse suspicionem vel coniecturam, quod RR. PP. in hac materia iudicii castrensis morem sequi voluisse qui passim apud nationes viget quoad causas militares, iuxta quem appellatio non admittitur et post unicam sententiam a duce confirmatam, res exequutioni mandatur. Etiamsi huiusmodi coniectura respuatur, ceu benignitati et prudentiae legislationis ecclesiasticae haud consona, inferre nihilominus cogimur quod in sententiis subdelegatorum servari debeat ordo, in peninsula quidem, qui pro ceteris eiusdem loci iudiciis statuitur;

in ultramarinis vero quod standum sit legi a Gregorio XIII pro illis regionibus latae. Vult Pontifex ut subdelegati castrenses sint « veri praesules » : sunt verba ipsius. Habent igitur quodammodo dioecesim. Immo in ultramarinis quilibet Episcopus est etiam subdelegatus - castrensis: - praxis quae a saeculis viget iure merito igitur dicendum quod in appellationibus a sententiis quas ipsi, sive tanquam iudices ordinarii sive in virtute delegationis castrensis edunt, idem ordo servandus sit: nam ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

Infirmatur igitur assertum a defensore Rotae, quod scilicet Ordinarius cum causas cognoscit castrenses, id faciat virtute subdelegationis Patriarchae Indiarum, non secus ac in península: sed subdelegatio restringitur ad primam instantiam, et proinde curiae ordinariae deest iurisdictio in appellationibus. Difficultas haec nascitur ex male intellectis Litteris Pontificiis... Patriarcha enim Indiarum subdelegatos eligit quidem, at iurisdictionem subdelegationi annexam nec limitat, nec limitare potest : ipsi RR. Pontifices satis id indicant « Capellani Maiores . . . infrascriptas facultates *per se vel per alium seu alios* sacerdotes . .. per ipsum subdelegandos erga milites . . . exercendas .. . perinde ac si veri praesules et pastores essent ». Ergo Episcopi transmarini statim ac subdelegantur, in subditos castrenses eam potestatem nanciscuntur iuris ministerio, qua in oves proprias pollent; sunt enim « veri praesules »: et proinde eorum causas cognoscunt, nedum in primo, verum etiam in secundo et tertio iurisdictionis gradu, servato appellationis ordine a Gregorio XIII praefinito. Nonne suspicandum ideo subdelegatos iugiter fuisse illarum regionum Episcopos omnes et Archiepiscopos, et continuo de septennio in septennium facultates renovatas?

Insuper, posito etiam quod subdelegati castrenses iure cognoscendi appellationes priventur, quo iudices ordinarii inibi polleant, ut contenditur ex parte adversa, nasceretur ex hoc statu rerum consequentia Rotae parum favorabilis. Cum enim certum sit Gregorium XIII in Episcopos Hispaniarum insularum facultatem contulisse appellationes omnes, forum ecclesiasticum concernentes cognoscendi, quicumque tenent Romanos Pontifices, dum *speeiah iurisdictioni* supposuerint fideles ad exercitum pertinentes, castrensibus iudicibus, etsi in locis ipsis degerent, quoad appellationes minime illos fecisse obnoxios,

fateri debent dictos fideles in regionibus transmarinis commorantes Episcopis quoad appellationes subiectos mansisse. Revera quamvis Litterae Pontificiae super iurisdictione castrensi Hispaniae non solum, sed etiam aliae Benedicti XIV quae similem pro regno Siciliae iurisdictionem instituunt, facultates omnes concessas etiam minimas expresse recenseant, nec verbum in ipsis invenitur appellationes respiciens. Dicemus ne Innocentium X aliosque Pontifices, dum castrensem iurisdictionem instituèrent nonnihil iurisdictionis ab Episcopis abstulisse, quin id in praesules castrenses contulissent? Sed hoc est absurdum; nam ii Pontifices potestatem pastoribus exercitus tribuere animo intendunt, Episcoporum autem iurisdictionem imminuere consequenter tantummodo passi sunt.

Pariter Episcoporum iurisdictioni contraria minime apparet constitutio Clementis XIV, qua Rotae Matritensis tribunal creavit. Tribunal istud instituit ad causas cognoscendas, quas nonnisi Sedes Apostolica aut iudex ab ea delegatus dirimere poterat; et eas tantum causas tribunali Rotae supposuit, quas Auditor Apostolici Nuntii prius iudicabat. Sed certum videtur Auditorem Nuntii nunquam post saepedictam Gregorii XIII dispositionem, ius sibi vindicasse cognoscendi causas, sive a iudicibus ordinariis, sive a delegatis castrensibus in transmarinis regionibus definitas. Aliis verbis Apostolici Nuntii Auditori primum, deinde tribunali Rotae Matritensis concessum est ecclesiasticas Hispaniarum causas dirimere, quae alias Romam deferendae erant. Sed transmarinis in regionibus haud ullae causae ecclesiasticae Romae diiudicandae supererant, posteaquam Gregorius XIII statuerat, « in causis tam criminalibus, quam civilibus quibuscumque forum ecclesiasticum concernentibus », omnes iudiciorum gradus inibi expleri, et specialem appellationis ordinem illis in regionibus, sub poena nullitatis actorum servandum definiverat, « Decernentes omnia et singula, alias quam ut praemittitur intentata iudicia, nullius roboris vel momenti fore, et quascumque deinceps, modo praedicto non servato, interpositas vel interponendas appellationes, nullas, irritas et inanes existere, sicque per... quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fulgentes, etiam loci Ordinarios et causarum Palatii Apostolici Auditores (sublata eis"et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate) iudicari debere, irritum quoque et inane, si secus, super

his, a quocunque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. »

Defectus contentionis Rotae capitalis in eo consistere videtur, quod advocati eius non satis genuinam legislationis Gregorianae naturam perspexerint, eam cum *ordinaria* iurisdictione perperam confundentes. Sed revera ab ordinaria essentialiter differt. Ordinarium non est, sed quid omnino speciale quod Episcopus v. gr. de Archiepiscopi sententia videat, et tertius Praesul, neutri superior de iudiciis amborum definiat. Ex hoc autem, quod sit iurisdictio specialis, sequitur imprimis quod etiamsi Clemens XII exercitum a iurisdictione ordinaria subtraxerit, non propterea statim dicendum quod per suum Breve, milites et eorum Capellani a speciali iurisdictione in 2 et 3, quae pro coloniis sancita fuit subtracti quoque censeantur. Principium iuris est quod prioris legis plus non mutatur quam in posteriori sit expressum; praeterquamquod correctio legum utpote odiosa non facile praesumitur, et expedit concordare iura iuribus et eorum correctiones evitare. Quae loca communia iuris optime cum re praesenti quadrant. Sequitur insuper quod cum iurisdictio Gregoriana ad instar sit legis specialis seu privilegii, illae per leges posteriores minime derogetur in toto vel in parte absque expressa eius mentione; huiusmodi vero mentio desideratur prorsus in Brevibus qui iurisdictionem castrensem et tribunal Rotae Matritensis constituere.

Concludendum videtur ergo, Constitutionem gregorianam plenum suum adhuc conservare vigorem in locis omnibus pro quibus fuerat concessa, ita ut causae etiam castrenses ultramarinae, sibi in 2 et 3 instantia finiri debeant, sicuti « ceterae omnes forum ecclesiasticum concernen tes » ; eo vel magis quod pro iis valeant eaedem rationes, distantia nempe et expensae exorbitantes. Revera, cum regiones transmarinae Hispaniae non solum insulas et terram firmam Oceani, sed etiam Philippinas comprehendant, facile est videre incommoda gravissima si causae castrenses harum regionum propriam appellationis sedem Matriti tantum invenirent.

Incommoda haec negare ausus est advocatus Rotae ob maiorem nostri aevi communicationis copiam et facilitatem; sed casus ipse Salvadores contra D. Urreta satis superque ostendit illa adhuc existere. Ad rem, Archiepiscopus S. Iacobi de Cuba:

« ex insula Cubana, ex insula Portorici et ex insulis Philippinis ad Matritum sunt millia leucarum pro itu et reditu: est magnitudo expensarum quae exiguntur a partibus in quacumque lite vel causa quae agitatur apud tribunal Rotae Matritensis. Kam cum actor et reus domicilium habeant in insulis, vel iter longissimum suscipere debent vel procuratores Matriti nominare pro sustinenda appellatione. Utrumque est dispendiosum valde, quod ex ipso casu praesenti D. Urreta abunde patet. Si enim sententia lata contra ipsum executioni mandaretur, solvi deberent *octo millia argenteorum* pro expensis!

Haec videntur sufficientia ad iustificandam sententiam, quae salvo EE. PP. iudicio meliori, mihi videtur vera et recta, interpetrationi Brevium conformis; scilicet Rotam matritensem incompetens fuisse forum, et proinde annullandam esse sententiam, tum contra D. Urreta, tum aliam contra Episcopum Habanensem ab ipso latam.

Hisce praemissis, propositum fuit dirimendum

Dubium

An sententia Rotae matritensis ex competentiae defectu nulla et irrita sit in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re cognita sub die 3 Martii 1892 censuit respondere: *Affirmative et amplius.*

FAVENTINA

MATRIMONII

Die 5 Martii 1892.

Sess. 21 cap. 7. De reform.

COMPENDIUM FACTI. Teresia Minzolini filia Francisci, et Mariae Tarlazzi, nata in Oppido Cotignolae faventinae Dioecesis, cum 16 aetatis annum ageret, rite matrimonium celebravit in facie Ecclesiae die 13 Octobris anni 1873, cum Nicolao Vaccari ex Oppido Portus maioris, ravennatensis Dioecesis, anno aetatis suae 33. Vix initis nuptiis, mulier, maritalis vitae consortium aggressa, Sponsi Domum profecta est, ibique mensem circiter cum viro suo transegit. Mor-

bo tamen ibi correpta, caelum in quo aegrotaverat fugit, et lares paternos repetiit; ibique quindecim elapsis diebus convalui, iterumque ad virum suum rediit. At iurgiis quae iampridem animos coniugum dissociaverant, acrius iteratis, Teresia post biduum Nicolaum dereliquit, et in patriam, ac in paternam Domum remeavit; ubi aliquândiu a marito visitata, rei uxoriae, etsi invita, ut ipsa asserit, non una tantum vice operam dedit. Deinde vero cum Nicolaus male a sponsa pluries acceptus, non amplius comparuisset; Teresia vertente anno 1878 cuidam Carolo Grilli, quem ante matrimonium praediligebat, civili contractu se adstrinxit, ab eoque septem filios hucusque suscepit. Miserrima mulier admissi criminis, tractu temporis, se poenituit, et animo recogitans se nonnisi ob patris vim, et metum matrimonium inivisse, Mense Septembris 1885 a suprema Ecclesiae potestate, matrimonialis vinculi nullitatem, ex defectu consensus declarari postulavit. Precibus Oratricis etiam extraiudiciales parentum depositiones, coram Vicario loci Cotignolae emissae, allegatae fuerunt, quae Teresiae verba plene confirmare videbantur. Quae omnia a S. C. C. statim remissa fuerunt Episcopo f a ventino, ut, ceu de more, processum conficeret iuxta Constitutionem Benedicti 14, Dei miseratione, et Instruct. S. C. Cong. die *22* Augusti 1840. Quapropter constituto Defensore Matrimonii, ipsemet Episcopus die 30 insequentis Iunii processualia acta inchoavit. Excussa primum fuit actrix, deinde viri, qui rite bis citatus asseritur, contumacia declarata fuit : postea testes septimae mulieris manus interrogati sunt, ac demum, audito sacramenti vindice Idibus Iulii sententia dicta est pro validitate matrimonii.

Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. Priusquam ad praesentis causae discussionem deveniam, ait Consultor, nonnulla praemittere arbitror, quae tutam ad conclusionem sternent viam. Et in primis indubium est inter cetera humanarum actionum impedimenta, vim et metum recenseri, quae impedimenta non

solum a Theologis, sed etiam a Canonistis unanimiter adnumerantur inter efficaces causas ad matrimonii vinculum dissolvendum aptas, utpote coniugii sanctitati, et libertati oppositas. Hinc prius aliquid de vi et metu dicendum puto, ut evidenter pateat utrum faventinae Curiae sententia tenenda sit, vel reiicienda. Vis ergo, seu violentia, et coactio a Theologis definitur : « Id quod est a principio extrinseco repugnante omnino eo, qui vim patitur ; > ex quo manifeste apparet ad violentiam requiri 1. ut ea sit a principio extrinseco, quia nemo proprie dici potest sibi ipsi violentiam inferre; 2. ut patiens repugnet pro viribus, idest omni conatu. Ex agenti extrinseco pro viribus, et potentia tam externa, quam interna, tunc opus agentis extrinseci nullo modo volitum est a patiente; ac proinde eidem est involuntarium simpliciter, et absolute, ac nullimode imputabile. Si vero violentia non sit in se tota, non tollit, sed minuit voluntarium; nam ubi voluntas non resistit quantum potest, ibi remanet in aliqua parte ratio voluntarii ; et secundum maiorem, vel minorem resistentiam actio erit magis vel minus voluntaria, et culpabilis.

Metus autem a Theologis definitur « mentis trepidatio ex repraesentatione mali vel futuri, vel impendentis. > Ex qua definitione apparet quod metus differt a violentia, eo quod haec sit semper, et solummodo a principio extrinseco ille vero proveniat tum a principio intrinseco qualis est metus naufragii, et metus inferni. Item in eo differt, quod vis seu violentia corpori infertur, metus autem animae. Metus insuper est gravis, vel levis, prout grave vel leve malum timetur, quodque absolute vel relative gravis nominatur, quo scilicet non movetur quidem vir constans, et fortis, movetur autem miticulosus, uti puer, senex, femina. Huc revocatur metus reverentialis, timor nempe quo quis veretur resistere cui subiicitur. Hic erit gravis vel levis habita ratione personae reverendae, ac personae reverentis. Quamquam bene observat Pontius, quod hic metus sine apprehensione alterius mali, puta gravium minarum, non tam

est metus quam simplex reverentia, quae ex se non inducit metum alicuius mali, sed inducit tantummodo quamdam erubescentiam. Metum levem non tollere voluntarium, nec minuere ex noto iuris principio patet: « Vani timoris iusta excusatio non est. » Imo neque per metum gravem voluntarium absolute tollitur, si casum particularem excipias, quo ita sit gravis, ut mentem de suo statu deiiciat; quia non tollitur neque intellectus cognitio, neque voluntatis propensio, quamvis haec minuatur. Ideo S. D. Bonaventura aiebat: coacta voluntas, voluntas est. Hoc manifeste evincitur exemplo mercatoris proiicientis merces in mare, quod profecto non ageret, si ea sibi absque vitae periculo servare posset; in illis tamen circumstantiis id voluntate facit. Unde S. Augustinus Lib. de Spiritu et Litt. Ç. 31 dicit: « Si subtilius advertamus etiam quod quisque invitus facere dicitur, si facit voluntate facit. Hinc a quacumque causa proveniat metus per se non impedit quominus actus ex illo elicitus sit simpliciter voluntarius. Ita Theologi et Canonistae communiter docent.

Quibus praenotatis, factum Teresiae Minzolini paulisper perpendendum est. Ipsa, uti ex processu eruitur, vix initis nuptiis cum Nicolao Vaccari, patria ac domo paterna relicta, in novam Regionem se confert, nempe Portum maiorem, sponte in domum viri sui ascendit, ibique per mensem circiter cum eo cohabitans, coniugalis vitae officiis operam dedit. Morbi tamen curandi causa in domum paternam rediit, ubi quindecim dierum spatio convaluit, et iterum ad sponsum remeavit. Quis sanae mentis homo haec considerans, non statim sibi suaderet pleno electionis consensu, matrimonium de quo agitur initum fuisse? Siquidem in ipso nullum motivum in contrarium suspicandi, neque in hac Teresiae agendi ratione ullum reperitur signum, quod in matrimoniis per vim, vel metum initis, ordinarie reperiri solent, nempe quod sponsa, expleta matrimoniali caerimonia, fugam arripuerit, vel in domum sponsi ascendere contempserit, vel denique coniugale debitum viro suo reddere

temere recusaverit. De his omnibus ne verbum quidem in actis processualibus invenitur; et rationabilis illico exurgit praesumptio de consensu in matrimonio praestito, et actu coniugali ratihabito, seu vere confirmato. Eo vel magis quod Teresia, relicto postea viro suo, et in paternam domum reversa, ibique ab eodem pluries visitata, pluries cum ipso copulam carnaiem habuerit. Eine ad rem illud iuris adamussim facit: « Invita desponsata, postea cognita, contra matrimonium non auditur ob rationem, quia consentit ex ratihabitione. » In Cap. Consultationis de Spons: et Matrim :

Insuper in praesenti causa prae oculis habenda est tam Teresia Minzolini, quam eius Pater. Teresia quia priusquam ipsi propositum fuisset matrimonium cum Nicolao Vaccari, iam amore erga Carolum Grilli afficiebatur; Pater autem ipsius, quia in egestate constitutus erat. Ideoque rebus sic stantibus, mirum non est si mulier dicat in prima responsione : usque ab exordio « respui eum tamquam genio meo contrarium ; et quia alium amabam ; sed excitata precibus parentum et amicorum, qui eum divitem sciebant, tandem consensum praebui. Ex quibus verbis manifeste patet quod, etsi primus Teresiae amor erga Carolum Grilli causa fuerit non totalis ipsius simpathiae versus Nicolaum Vaccari; evidenter etiam constat quod ipsa illecta a magna utilitate quam certe consequutum erat, libenter matrimonio proposito cum Nicolao consensit. Dixi quod Teresiae Pater prae oculis aeque habendus sit. Nam misera mulier postquam nubere Nicolao expresse promiserat, dicit : « sed postea meam aversionem ostendens, pater dixit : si renuis habere iuvenem illum, ut alium eligas, sub pedibus teram te. Scis enim mea negotia in peius ruere ; aufugere cogar, et non amplius me videbis. Idque aiebat respectu utilitatis, quam sperabat. Patris verba, etsi primo intuitu quemdam ipsius excessum exprimere videantur, habito tamen respectu ad circumstantias praecedentes, et concomitantes, rem diversimode se habere certum est. Nam Teresia iam nuptias Nicolao Vaccari Ii-

benter promiserat, et postea a data fide recedere videbatur, ex quo inurbano agendi modo iratus Pater, recensita verba protulit, cupiens servari fidem Nicolao datam. Super quae verba abs re non erit observare, quod dum Pater ea protulit, filiae licentiam refraenare nititur, ne cum aliis quibuslibet pro sua cupiditate tractet; quod ut obtineat, subito mentis excessu captus, in praedicta verba prorupit. Cuius excessus quodammodo poenitens, statim alia verba iam relata adiecit.

Uno verbo : Pater Teresiae quasi diceret : nuptias Nicolao promisisti ? serva fidem ipsi datam ; nam fidem alicui datam frangere iniquum est : ac insuper miserere mei, et ab angustiis quibus teneor eripe me, quia tu scis quod negotia mea male vertunt. Clarius : recensita verba ardens Patris desiderium exprimere videntur filiae suae utilitati, ac sibi, familiaeque suae consulendi, non vero eiusdem filiae voluntati vim inferendi. Praeterea neminem latet huiuscemodi loquendi formulas a parentibus in filios prolatas, et alia similia, non rigorose, sed cum grano salis, uti dicitur, esse intelligendas. Siquidem si Pater Teresiae fugam arripuisset, quia ipsius negotia male procedebant, quomodo filiam suam pedibus calcare potuisset?

Quae omnia apertissime confirmantur per ea quae sequuntur ex responsione sexta : ait enim actrix : Ecclesiam quum peterem, consobrina me adivit dicens se velle dare mihi osculum, ante meum matrimonium. Tunc ita excitata fui ut ploraren), excogitans quid ibam facere contra voluntatem. Adstantes id percepisse satis ostenderunt. Et pater ipse dixit: si autem id facere debes ex vi.... ego adiuncta considerans praesentia, animum non habui contrariam amplectendi resolutionem, patrique dixi: nimis sero hoc innuis...

Ex hucusque relatis quis non videt , Patrem haudquaquam voluntati filiae suae vim inferre voluisse, et Teresiam ab ineundo matrimonio recedere potuisse, et tamen noluisse? Si enim revera voluntatis suae propositum mutare voluisset, nemo profecto ei obsistere ausus esset. Ex dictis

etiam facile eruitur supradictas Patris minas filiae ideo prolatas fuisse, ut promissio matrimonii Nicolao facta et acceptata, incunctanter servaretur; quia iuxta notum effatum: promissio boni viri est obligatio: et per consequens metus a Patre incussus, non iniuste, sed iuste incussus dicendus est, utpote ad datam fidem servandam directus.

Archipresbytero autem roganti an sponte et libere matrimonium iniret cum Nicolao, respondet utique, sed absque seria voluntate. Quid stultius hac responsione? infelix mulier, proprio Parocho fatetur se sponte et libere matrimonium cum Nicolao Vaccari inituram, et illico asserere non erubescit se non voluntate seria hoc fecisse! Hae omnes Teresiae responsiones sub quocumque respectu considerentur, reapse ipsam condemnant. Heic enim agitur de actibus externis, de quibus tantum iudicat Ecclesia; et uti sonant verum consensum, et veram libertatem significant. Dato insuper, et non concesso, ipsam in his actibus aliquam repugnantiam expertam fuisse, forsitan ideo verus consensus excluditur? Absit. Nam etiam mercator merces suas in re cum repugnantia proiicit; et tamen vera voluntate proiicit, Ita et in praesenti facto asserta repugnantia verum consensum bis externe Parocho exhibitum nullimode excludit, nec destruit. Eo vel magis quod talis consensus, praesertim habito respectu ad personam, non levis ponderis est: solent enim fideles ad proprium Parochum tota fiducia accedere, ipsique proprii cordis angustias revelare, ut ab eo in rebus dubiis, vel magni momenti edoceantur, ut in actionibus suis dirigantur. Verum cum Oratrix post illa verba: « consensum praebui, sed eamdem retinens repugnantiam, idque accidit etiam quando de consensu in Ecclesia requisita fui, ita ut nesciam an et quale responsum dederim parocho interroganti. > Signanter haec verba notanda sunt, quia per ipsa patenter insinuare videtur, se haud respondisse Parocho de consensu in Ecclesia interroganti, et tamen nuptias eius benedixisse, quod nullimode supponi potest.

Praeterea haec gratuita assertio verbis praecedentibus

aperte contradicit. Etenim paulo ante deposuerat: verbis assensum praebui, sed retinens eandem repugnantiam. Quod idem est ac si apertis verbis fateatur, se ante matrimonium Parocho, coram testibus, consensum dedisse. Hinc ad rem faciunt quae idem Parochus sub iuramenti sanctitate in iudicio rogatus an puella sese ostenderit agitatam aut perplexam dum consensum praeberet, retulit sese id non percepisse. Recensita verba Parochi quae vel praecedunt, vel concomitantur huius matrimonii celebrationem, ne ullum quidem verbum faciunt, quod ipsum quomodolibet infirmare videatur; neque ullam exhibent suspicionem de perplexitate, vel haesitatione Oratricis in emittendo consensu a Parocho requisito : quod manifeste indicat, ipsam respondisse ut de iure in huiusmodi casibus responderi solet, et debet. Ex quibus omnibus superius relatis, evidenter patere arbitror, Teresiam Minzolini quatuor vicibus consensufn praebuisse ad matrimonium cum Nicolao Vaccari contrahendum. Nec interest quod ipsa asserit, se cum repugnantia assensum exhibuisse; talis namque repugnantia non absolute, sed relative perpendenda est : relative scilicet ad sympathiam quam erga Carolum Grilli fovebat antecedenter ad propositum matrimonium Nicolai Vaccari; quae tamen haud impedivit quominus assensum ipsi Nicolao praeberet, illecta a desiderio melioris conditionis oeconomicae.

Praeterea Oratrix non solum quater consensum suo matrimonio praestitit, ut ex dictis ostensum est, sed etiam opere consummavit. Nam, ut ab initio notavi, vix initis nuptiis, illico patria, paterna domo, ac suis relictis, sponte in alienam regionem se confert, in domum sponsi ascendit, et per unius mensis circiter spatium, cum viro suo cohabitans, et condormiens, pluries ipsi coniugale debitum reddidit, per quod revera matrimonium consummavit. Hoc idem accidit cum relicto marito et in paternam domum reversa, ipsum excepit, et coniugale officium cum eodem pluries complevit. Nec officit quod ipsa asserit se per vim hoc fecisse ; nam ipsius assertio nullo fundamento fulcitur, eo vel magis quod

dum asserit id eodem modo evenisse in paterna domo ubi a Nicolao visitata pluries cum eodem copulam carnalem habuit, manifeste demonstrare praesumit, patrem ipsum, vel maritum ad reddendum 'coniugale debitum per vim, et metum gravem eam coegisse : quod rationabiliter nec potest nec debet admitti. Pater siquidem antiqua benevolentia filiam prosequebatur, oblitis quae matrimonium praecesserant, aegrotum curavit, et ad sponsum conduxit recuperata sanitate etc. Nicolaus vero non adeo perditae indolis erat, ut violenter domum Soceri sui ingrederetur, et vi, ac metu gravi copulam carnalem a Teresia extorquere voluisset.

Nec pariter audienda est dum dicit Nicolao Vaccari adhaesisse absque affectu maritali, quia quod dicit, gratis asserit. Si per plures dies Cum ipsa in paterna domo morabatur, qua vi debitum viro reddebat? 2. pluralitas actuum coniugalium contra ipsam militat; 3. affectus cordis forum internum respicit, et Deus tantum intuetur cor; heic autem de actibus qui ad forum externum spectant, loquimur; 4. quia factum externum iuxta vulgare axioma, praesumitur recte factum, id est prout erat faciendum de iure. Iure meritoque ergo concludendum est Teresiam Minzolini, non solum quater ad matrimonium cum Nicolao consensisse, sed etiam non vi, aut metu, sed sponte et libere consumasse. Quapropter ad rem faciunt sequentia ex Capite *Insuper* deprompta his verbis : « Ab accusatione enim matrimonii repellitur mulier quae matrimonium ab initio quidem invita, et gravi metu coacta contraxit, et postea carnalem copulam admisit » Schmalzgrueber part. 4 tit. 18. Et in casu nostro etsi Oratrix ab initio aliqualiter invita fuerit, postea tamen amore divitiarum capta, sponte consensit. Deinde cum a fide, et promissione data et acceptata recedere videretur, Pater minis iuste aliquantulum institit, ut fides Nicolao data servaretur, quae minae si metum aliquem in filiam attulerunt, metus iuste incussus dicendus est, et non gravis, sed ad summum reverentialis nuncupandis, non ad extorquendum matrimonium, cui iam mulier assensum dederat, sed ad ad-

implenda promissa incussus. Quique metus reverentialis ut sufficiat ad annullandum matrimonium debet esse qualificatus, aut importunis precibus et suasionibus.... aut minis praecisis, perçussionibus, et saepius repetitis, ac gravissimis circumstantiis. Rot. decis. 301 n. 22, et decis. 334 n. 10 part. 11 rec. Sola namque persuasio parentum non irritat filiorum connubium. Rot. dec. 334 n. 11, par. II rec. >

Praeterea diligenter advertendum est quod etiamsi in hypotesi gravis fuerit, non fuit tamen qualis ordinarie requiritur ad matrimoniale vinculum dissolvendum. Conscius Lib. 1 Cap. 8 nnm. 13 inquit; « Ad annullandum tamen matrimonium, metus concurrere et continuare debet in ipso actu matrimonii; nec sufficit quod ante tantum intervenerit: Rot. decis. 600. Quod in praesenti^ casu non solum non accidit, quinimo oppositum reperitur per illa verba patris, dum Ecclesiam peterent ad ineundas nuptias, superius notata: quae verba manifeste demonstrant, mentem patris non fuisse filiae metum incutere, et ipsam a matrimonio libere recedere potuisse si revera voluisset.

Contra hoc legitimum, et consummatum matrimonium depositiones testium septimae manus, graviter pugnare videntur, attente perpensae, ut mihi videtur non ita res se habet. Ideoque sequentia praenotanda existimo ad easdem facile solvendas. Ac primo quidem observandum est, testes quadam naturali pietate moveri erga infelicem Teresiam, ut si fieri posset, ipsius bono spirituali, et temporali provideatur per subsequens ecclesiasticum matrimonium cum Carolo Grillo: mirum idcirco non est si pressiones, metumque Oratricis incussum, singulari studio exponere conentur, qua super re pater, materque ipsius praecipue distinguuntur. Notandum tamen est huiusmodi depositiones extraiudicialiter factas in processu irregulari anni 1885 locum habuisse, et utrumque parentem in regulari processu praeteriti anni 1891 nec invitatos ad deponendum, neque sponte ad hunc finem in iudicio comparuisse; quod in praesenti casu maximi momenti esse neminem latet.

Insuper sicut indubium est ad matrimonium dissolvendum, praesertim si sit consummatum, ut in casu, requiri testes omni exceptione maiores : aeque indubium est, patrem inter istos testes non adnumerari; naturale quippe est ipsum in favorem filiae, deponere, meritoque eius testimonium suspectum reputatur « Reinfest. L. 2. Dec. Titulo 20 Parag. 5. Id quod maxime in praesenti facti specie suspicandum est, cum ipse huiusmodi matrimonii ineundi primaria causa censeatur. Deinde quod a patre in praedicta depositione asseritur, ab ipsius filia penitus excluditur quando refert verba a patre prolata dum Ecclesiam peterent ad matrimonium ineundum.

Aliorum autem testium depositiones ad hoc reducuntur nempe 1. matrimonium in casu initum fuisse, pro lucro captando; 2. comminationes patris, ut filiae consensum obtineret. Respondemus ad primum et dicimus quod fere omnia matrimonia propter temporale emolumentum contrahuntur, et plerumque inter personas aetate et conditione quammaxime dispares; nemo tamen ea invalida esse asserere audebit. Sic et in praesenti casu libenter fatemur initum fuisse matrimonium ob temporale emolumentum; verum ex utraque parte, scilicet Oratricis, eiusque parentum hoc accidisse fatendum est. Isti enim a divitiis Nicolai illecti, Teresiam ad matrimonium excitarunt, ut propria negotia, quae male procedebant, instaurarent: illa vero, quia iisdem divitiis mota, consensum ad idem matrimonium exhibuit, cupiens et sperans meliorem oeconomicam conditionem.

Ad secundum notandum est, quod omnes fere testes septimae manus ab Oratrice inducti his verbis exprimuntur: dicere audivi, memini audivisse ; quin aliquam probationem afferant, sed tantum simpliciter asserunt quod deponunt; ac insuper nullum speciale factum adducunt per quod ostendat aliquando, vel in casu nostro, illas minas verberibus, persequutionibus, aliisque modis executioni mandasse. Breviter sunt tantum testes de credulitate et auditu ; non autem omni exceptione maiores, et ideo non probant, nec

admittendi sunt: ifa Laurienus Lib. 2 quaest. 612. Reiffenst. L. 2 tit. 20 de testibus, et attestât. Ad ea quae deposuit mater actricis die 10 Iulii 1885 per praecedentia responsum est.

Praeterea silendum non est praesentem casum esse gravissimum, agitur enim de dissolvendo matrimonio rite celebrato et opere consummato, in quo ob reverentiam sacramento debitam, non sufficiunt, uti monet Coscius de sep. tori L. 2 Cap. 18 n. 274 cum communi, probationes dubiae, et incertae, minusque coniecturae, et praesumptiones; sed requiruntur probationes univocae, et concludentes, et in suo genere perfectae, Sánchez L. 3. Disput. 41 n. 4. Rota... adeo ut Iudex sit non quasi, sed omnino certus quod res aliter esse non possit; ne quod Deus coniunxit, homo deceptus separet per errorem. « Huiusmodi autem probationes a testibus omni exceptione maioribus exhibentur : omni vero exceptione maiores illi dicuntur testes, qui sint non solum idonei, seu legitimi, sed et de quorum assertione nulla dubitatio nasci possit. » Laurenius Forum Eccl. Lib. 2 Decret, tit. 20 q. 560 n. 2. Tales non esse testes, 'si unum excipias, qui in processu afferuntur, ut mihi videtur, certum est. Dixi si unum excipias, nempe Parochum qui Oratricis connubium benedixit, cuius tamen depositiones haud quaquam ipsi favere superius ostensum est.

Circa regularitatem huius processus, aliqua observanda forent quae Canonistam profecto non latebunt: liceat nihilominus mihi aliquid vel breviter dicere : et praecipue praetereundum, inter cetera, non esse arbitror, quod in hac non levis momenti causa, una pars tantum in iudicio compareat, nempe Actrix Teresia Minzolini, cui summopere interest sui matrimonii solutio. De ipsius viro Nicolao Vaccari, in ipsa facti specie haec tantum, quasi per transennam leguntur: « Excussa primum fuit Oratrix , dein viri, qui rite bis citatus asseritur, contumacia declarata fuit. » Ex actis processualibus eruitur interrogationes, citationes, et sententiae prolationem etc. brevi temporis spatio completa esse :

idcirco Nicolai contumacia praepropere videtur prolata. Nam in inquirendo coniuge, qui in huiusmodi iudiciis ius ' habet deponendi, praeter diligentiam, sufficiens etiam temporis intervallum ipsi coniugi tribuendum est: uti ex variis huius S. Congregationis decretis patet : et praesertim in Vormatiens. Matrimonii 7 Iulii 1731, et in Mediolanen. Matrimonii 20 Novembris 1734. Quae Decreta sic sonant : « Si omni diligentia ad rem collata deprehendi nequeat ubi alter coniux in ius vocandus commoratur, satis est citatorium palam facere per edictum affixum de more valvis Ecclesiae Cathedralis et Parochialis etc., praefinitis sexaginta diebus illi coniugi ut compareat. » Praedicta Decreta non respondere quoad tempus quo processus in casu completus fuit, manifestum est. Sic pariter notandum est Oratricem non statim, sed post annos duodecim contra suum matrimonium reclamasse, etc. de quibus, ut dixi, animadvertit Canonista. Tandem cum ex omnibus superius perpensis constet 1. Oratricis consensus in matrimonium cum Nicolao Vaccari : 2. Minae Patris non ad extorquendum consensum sed ad servandam fidem Nicolao datam: 3. Matrimonii spontanea consummatio : 4. Depositiones testium septimae manus argumentum nullum concludens contra matrimonium exhibent: quapropter iure meritoque mihi concludendum videtur matrimonium in casu esse validum, et ut tale tenendum iuxta verba Matthaei 19 » Quod Deus coniunxit, homo non separet. »

VOTUM CANONISTAE. Fundamentum vinculi matrimonialis, ait Consultor, et ideo Sacramenti, consensus est, vere et serio emissus a contrahentibus, eoque deficiente, tum iure *naturali,* tum *positivo* matrimonium nullum, irritumque efficit: in hoc omnes Theologi, et Canonistae consentiunt. Mutuus itaque consensus in matrimonium immunis esse debet a quocumque notabiliter laedente plenam libertatem. Ratio vero quare Ecclesia voluerit Matrimonium esse liberum, et a quacumque obstáculo immune, libertatem inficiente est, quia coniugalis contractus natura sua, et ex iure divino non

est rescindibilis, ac proinde provvide disposuit, ut gravi impellente timore, seu vi, contractum nullum, irritumque sit matrimonium, sed requirit liberum, et positivum consensum non extortum per vim, aut metum.

Fateor, mihi saltem videri hanc causam non modica obsitam esse difficultate, cum ad probandam nullitatem coniugii agatur de defectu consensus, idest de re intimo hominis corde abscondita, solique Deo nota.

Curia faventina, ni fallor, in asserenda validitate procul dubio existimavit metum, qui Teresiae a patre illatus dicitur, non eam attigisse gravitatem, quae necessarium consensum omnino destruit, siquidem ipsa femina Parochum praemonuit, Ecclesiam adivit, consensum expressit coram testibus, domum sponsi ingressa, per mensem cum eo habitavit, pluries rem uxoriam habuit, et de violentia ab se passa per annos circiter duodecim siluit. Itaque omnia iii celebrando matrimonio rite intercessisse patet; ideoque validum praesumi potest, siquidem omne factum praesumitur recte factum donec contrarium non probetur. Ex his iusta alicui forte videbitur sententia pro validitate.

Sed contrarium probare contendit Theresia Minzolini adversus sententiam Curiae faventinae, sicuti colligimus tum ex eius examine , tum ex depositionibus parentum, aliorumque testium extraiudicialibus, quibus ipsa conatur elidere ea quae supra pro validitate sunt allata, sub iuramento, constanter asserens se per violentiam, et metum nupsisse, idest sine vero et interiori consensu contraxisse : idcirco defuisse se obligandi voluntatem, quae est de essentia contractus onerosi, qualis est matrimonium.

A iudice compulsa deposuit ante nuptias animum habuisse aversum a Sponso, qui semper ei displicuit, familiaribus, et amicis saepe dixit se coacte fuisse coniunctam : vim et metum fuisse passam ex paternis minis et obiurgationbus, ad extorquendum consensum illatis. His, subiungit Teresia, addantur matris, et familiarium importunae exhortationes et stimuli : coram Parocho consensum non voce,

corde expressit. Aegre domum sponsi ingressa, carnalem copulam cum eo habuit, sed invite et coacte, numquam cum affectu maritali.

Haec in iudicio sub iuramenti religione deposuit Teresia unde videtur vim sibi fuisse illatam a patre, et ex metu gravi puellam sexdecim annorum matrimonium celebrasse: metus vero gravis iuxta omnes matrimonium irritat. *Matrimonium:, quod ob metum contrahitur oportet, ut sit de se nullum,* ait S. Ligorius.

Sed eritne fides adhibenda feminae asserenti se invite, et coacte per vim, et metum contraxisse? agitur enim de re intimo hominis corde abscondita, solique Deo nota: unde ex legali axiomate habemus. *Invite desponsata, sponte cognita contra matrimonium non auditur.*

Verum enim vero multa favent actrici, quae ad nullitatem matrimonii decernendam videntur sufficere, siquidem mendacii suspicio exulat, cum quidquid ab ipsa narratur cum aliorum testimoniis optime congruit. Sed cum agatur de consensu, interius latente, ad probandam nullitatem ex praefato defectu sufficere possunt probationes , moralem certitudinem generantes ex adiunctis matrimonium praecedentibus, concomitantibus et subsequentibus, quae prudentem virum persuadere valeant, ceu docet Sánchez lib- II dist. 42 cum aliis Canonistis. Haec adiuncta favent Teresiae, et fidem illi habendam esse suadent, siquidem testes omnes uno ore deponunt mendacii esse incapacem: et ipsa sine ulla contradictione semper loquuta est de vi, et metu sibi illatis a patre. Antequam iret ad Ecclesiam visa fuit anxia, agitata, reluctans. Quando habitavit cum sponso iurgia, lites, contradictiones arserunt.

Parentum depositionibus de vi et metu illatis ad extorquendum consensum concorditer et uno ore affirmant Archipresbyter et testes acciti: aiunt enim se audivisse eiusmodi matrimonium celebratum fuisse per vim et metum, ita in toto oppido una vox esset de vi illata.

Ex his, aliisque testificationibus facile colligitur in hoc

connubio verum, et sincerum defuisse consensum , qui est sacri vinculi fundamentum, ideoque matrimonium tum iure naturali, tum iure ecclesiastico nullum esse. Neque dici poterit ex cohabitatione matrimonium revalidan, cum cohabitatio non conferat quod ab initio irritum fuit : cohabitatio vero Teresiae cum Nicolao minime spontanea, sed coacta fuit. Gravior quidem obiectio fieri poterit ex copula, quam semel et iterum sponsa se habuisse fatetur: haec tamen non sponte ac libere, et affectu maritali, idest animo vivendi coniugaliter habita fuit, sicuti actrix pluries deposuit in suo examine, sed per vim. Matrimonium vero, uti scribit Chrysostomus, non facit copula, sed consensus : unde et sponsi domum dereliquit, nolens cum eo habitare.

His singillatim enumeratis ad declarandam matrimonii nullitatem ex defectu consensus, cum agatur de re in intimo corde reposita, consideranda erunt adiuncta seu probationes an sufficiant ad moralem certitudinem, cum metaphysica haberi non possit, constituendam, quae virum prudentem moraliter certum reddant de ficto, et coacto consensu.

Teresiam Minzolini invitam et gravibus compressam paternis minis Nicolao nupsisse non obscure colligimus, tum ex ipsius iuratis depositionibus, tum parentum, tum omnium testium unanimi confessione. Itaque habetur ea moralis certitudo, quam Sánchez cum aliis supra citatis docet sufficere ad probandam matrimonii nullitatem ex defectu consensus, quem per vim et metum patet fuisse extortum.

Quamobrem, meo saltem iudicio, censeo sententiam Curiae faventinae iudicantis pro valore matrimonii esse infirmandam et pro nullitate iudicandum.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Connubiale foedus, quod labente anno 1873 Octobris die 13 Teresia Minzolini, 16 annos nata, cum Nicolao Vaccari, in aetate annorum 33 constituto, iniit, discindere pertentat ab anno 1885, quasi illud contraxerit, minis a patre ad id compulsa.

Sed etsi dare velim hortationes, suasiones et forsan etiam

minas intercessisse, non facile tamen credam, patrem serio filiam unquam comminatum fuisse. Imo in confessis est patrem desideria sua Teresiae voluntati semper postposuisse.

Profecto Teresia fatetur: patrem sibi dixisse, dum Ecclesiam peterent ad ineundas nuptias; *si autem id facere debes per vim...* Recitata verba, in actu matrimonii a patre prolata, luculenter demonstrant, patrem nec antea, neque eo momento vim ullam filiae intulisse.

Liquet itaque non Teresiarn patris, sed patrem Teresiae voluntati obsequi in more habuisse. Neque mirum est: faveñtinus enim sacramenti vindex affirmat, *Teresiarn vivacitatem non ordinariam semper possedisse, praesertim vero tempore huiusmodi matrimonii.*

Nec satis : Teresia percontanti pudici : ante matrimonii celebrationem ivisti ne, sicut fieri solet,- ad parochum ad ostendendum, te sponte et libere inire nuptias, respondit : utique perrexi, sed absque seria voluntate. Rursum percontata : habuisti ne copulam carnalem cum marito, respondit : aliquando, sed semper per vim. Postremo : quando vir domum tuam petivit, indulsisti ne genio matrimoniali? reponit illa: aliquando, sed semper per vim. Dic, quaeso, quis sit huiusce violentiae auctor. Non certe pater: quoniam iste filiam a domo viri ducebat et reducebat pro ipsiusmet filiae labitu. Non vir: quia Nicolaus statim ac se haud exoptatum sensit uxorem invisere destitit.

Neque me movent quae testes a Teresia inducti referunt de fama. Fama enim fortasse de matrimonio haud *spontaneo* non autem de *coacto,* volabat. Nam parochus ipse nihil huiusmodi audivit. De matrimonio celebrando populum, prouti de more praemonuit; et non solum nemo unus coactionem parocho denuntiavit, sed, sponsa ante nuptias in lacrimas erumpente, praesentes, ut ait actrix, hoc valde mirati sunt.

Post ea quae fuso calamo disseruit lectissimus consultor theologus, piaculum existimo iis immorari, quae extra iudicii aulam oggantiunt Teresiae parentes. Neque valde doleo quod ne unus quidem, sive de latere viri, sive ex officio testis in-

ductus sit. Namque vel ex iis quae ab ore ipsius actricis accipimus arguere licet, faventinum iudicem iure optimo merito matrimonium Teresiae Minzolini cum Nicolao Vaccari validum renuntiasse.

Hisce aliisque enucleatis, propositum fuit dirimendum

Dubium

An sententia Curiae episcopalis faventinae sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita, sub die 5 Martii 1892 censuit respondere: *Sententiam esse confirmandam.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Consensum a contrahentibus vere et serio emissum requiri in contractu matrimoniali a iure naturali et positivo; ideoque oportere ut consensus sit immunis a quacumque re, qua plena libertas laedatur.

II. Hinc matrimonium quod per vim et metum contrahitur, oportet ut sit de se nullum.

III. Verumtamen ad annullandum matrimonium metum et vim concurrere et continuare debere in ipso actu matrmonii; neque sufficere quod antea intervenerit.

IV. In themate haec requisita defecisse videri; nam pater ante matrimonium clare ostendit filiae ploranti, ex quadam commotione, se vim non inferre ad matrimonium ineundum.

V. Ad matrimonium dissolvendum, praesertim consummatum, requiri testes omni exceptione maiores, inter quos nequeunt adnumerari genitores, qui suapte natura deponerent in favorem filiorum.

VI. Nam ob reverentiam sacramento debitam repelli certum esse probationes dubias et coniecturas, et admitti tantum probationes testium omni exceptione maiorum; quas exhibent tantum testes idonei, legitimi et de quorum assertione nulla dubitatio nasci possit.

VII. Pariter ab accusatione matrimonii repelli mulierem quae matrimonium ab initio contraxit invita et coacta, postea carnalem copulam admisit.

VIII. In themate nullum , videri , adesse testem omni exceptione maiorem, dempto parocho; qui nuptias benedixit, quique tamen oratrici non favet; quippe qui retulerit, nil scivisse de coactione patris aliorumque parentum.

EX 3. CONGREG. EPISC. ET REG.

MATRITEN.

EXEMPTIONIS ET EMOLUMENTORUM

COMPENDIUM FACTI. Religiosi S. Ioannis de Deo , *Fatebenefratelli* vulgo appellati, xenodochium cum cappella publica in urbe *Ciempozuelos,* dioecesis Matriten., pluribus abhinc annis possident.

Cum, ob aegrotorum numerum in dies crescentem, huiusmodi cappella in infirmorum habitationem converti deberet, praedicti Religiosi Matriten. Episcopum rogaverunt, ut novo opqri benedictionem impertire haud dedignaretur.

Religiosorum votis annuit quidem Episcopus, verum conditionibus huiusmodi adiectis : 1. ut nova Ecclesia Episcopi diocesani iurisdictioni in omnibus obnoxia esset, quin exemptiones et privilegia Ordinum religiosorum propria sibi tribuere praesumeret. 2. Ut praedicta Ecclesia Parochi illius loci iurisdictioni subiecta esset ad formam art. 25 Concordati inter S. Sedem et gubernium Hispanicum initi, eidemque Parocho iura ac emolumenta cederet, quae ex funeribus aliisque religiosis functionibus ipsi proveniunt, quaeque ipsius dotem constituunt.

R. P. Provincialis ratus iura et privilegia a S. Sede suo Ordini concessa dispositionibus mox citatis pessumdata fuisse, S. C. Episc, et Regul. supplici porrecto libello adivit, efflagitans, ut praedicta iura et privilegia ad formam Constitutionum apostolicarum sarta tecta servarentur.

Disceptatio Synoptica.

QUAE RELIGIOSIS FAVENT. P. Provincialis praeprimis sustinet, xenodochium loci *Ciempozuelos* ab omnimoda Episcoporum iurisdictione exemptum esse ; ac idcirco decretum nullum et quovis firmitatis robore destitutum esse, ex eo quod privilegium exemptionis ab Episcoporum iurisdictione pluribus Constitutionibus Apostolicis Ordini S. Ioannis de Deo indultum fuit.

Quod ut evincat , memorat Breve Pauli V. *Romanus Pontifex,* in cuius § 10 legitur, laudatum Pontificem Episcopis expressis verbis praecepisse, ne se immiscèrent in iis, quae vel res, vel personas Congregationis S. Ioannis Dei concernunt: « Ac in primis dumtaxat ab omnimoda Ordinariorum locorum iurisdictione,perpetuo exemptos fore et esse declaramus, ipsisque Ordinariis et eorum cuilibet, etiamsi Cardinalatus honore praefulgeant, ne deinceps in his quae observantiam, disciplinam et Instituta regularía Congregationis Ioannis Dei huiusmodi, ut praefertur, concernunt . . . . se immiscere aut intromittere seu praesumant districte praecipimus et inhibemus. »

Concinit Urbanus VIII, qui brevi - *Cum sicut* - Ordinariis praescripsit ne se ingérèrent in his Conventibus et Hospitalibus, in quibus duodecim essent Religiosi, haec decernens; « Apostolica auctoritate, tenore praesentium declaramus ac decernimus, ut quoad dictae Congregationis Conventus et Hospitalia, in quibus erunt duodecim Religiosi, Episcopi nullatenus se ingerant. » In his vero Hospitalibus in quibus numerus Religiosorum minor esset, decrevit ut Episcopi una cum eorumdem Hospitalium Superiore ad revisionem computorum administrationis procedere valerent : « Et quoad illos Conventus seu Hospitalia, in quibus erit minor Religiosorum numerus, iidem Episcopi possint insimul cum Provinciali vel alio maiori eiusdem Congregationis Superiore ad revisionem computorum administrationis eo-

rumdem Hospitalium procedere, ita tamen ut contra personas in nihilo prorsus se immisceant. »

Ex hoc factum esse inquit, ut quoties Episcopi huiusmodi iura et privilegia impugnare praesumpserint, eadem a Romanis Pontificibus iugiter recognita et confirmata fuerint. In cuius rei confirmationem adducit exemplum Urbani VIII, qui Episcopo Massanen. mandavit, ne Hospitale oppidi Plumbini visitare et ad ninistrationis computa examini subiicere praetenderet. Imo addit eumdem Pontificem decrevisse , ut Hospitale Civitatis Vetulae Ordinarii iurisdictioni nullatenus subiectum esset, etsi duodecim dictae Congregationis Fratres illic actu haud habitarent.

Cum igitur ex hactenus deductis manifestum appareat Hospitalia Religiosorum S. Ioannis de Deo ab Ordinariorum iurisdictione exempta esse, sponte sua iiuit Hospitale loci *Ciempozuelos* ab Episcopi Matriten, iurisdictione exemptum renunciandum esse; nedum quia huiusmodi hospitalis domus ad Ordinem S. Ioannis de Deo pertinet, et ad formam coeterorum Hospitalium eiusdem Ordinis erecta fuit; verum etiam quia Religiosi illic degentes plusquam octoginta sunt.

Post haec ad alterum controversiae caput gradum faciens, P. Provincialis contendit, praedictum Hospitale a Parochi iurisdictione ita exemptum esse, ut ipsi, et non Parocho ius competat funerandi et percipiendi emolumenta illorum, qui in dicto Hospitali supremum diem obeunt. Idque in vim Brevis San. mem. Pii V. *Salvatoris nostri,* in cuius §. 9 quoad Hospitale Granaten, haec scripta leguntur: « Nec non Hospitale, illiusque Ecclesiam, Altaria et Capellas praedicta ab omnimodo dictae et quarumcunque aliarum Parochialium seu aliarum Ecclesiarum ac illorum Rectorum et Beneficiatorum iurisdictione et superioritate, ratione perceptionis eleemosynarum, oblationum et aliorum iurium et obventionum praedictorum et quorumcumque aliorum etiam funeralium, quae ipsi hospitali provenient, perpetuo eximimus et totaliter liberamus. »

Huiusmodi autem privilegia et exemptiones a s. m. Pio V.

Granatensi hospitali concessas, a Gregorio XIII per Bullam. *In supereminenti* diei 28 Aprilis 1576 ad omnia hospitalia S. Ioannis de Deo extensas et ampliatas fuisse, § 14 eiusdem Bullae plenam fidem facit.

Imo P. Provincialis subdit, Sixtum V, tum Breve S. Pii V, tum etiam Bullam Gregorii XIII confirmasse, ut huiusmodi privilegia, iura atque exemptiones maiori firmitatis robore communiret. Insuper animadvertit, Gregorium XIV, praeter privilegia, iura et exemptiones superius memoratas, omnibus S. Ioannis de Deo hospitalibus, sive in Italia, sive extra Italiam existentibus, iisdem privilegia, immunitates et exemptiones induisisse, quae Archihospitalis S. Spiritus de hac Urbe propria existunt.

Huiusmodi vero privilegia et immunitates Archihospitali S. Spiritus concessa in hoc consistebant, ut praedicti Hospitalis Rectores, non modo Quartam funerariam Parochis persolvere haud tenerentur, sed etiam immunes essent ab obligatione Gabellas, Passus et alia onera solvendi.

Idque optimo iure factum fuisse affirmat, ex eo quod, ceu sapienter observat Card. de Luca *disc. XXIII* § *V. de Paroch.* » ista hospitalia exempta sunt a Parochorum iurisdictione, quoniam ille qui ex eodem ordine, seu alias deputatus ad administrandum sacramenta infirmis, habetur loco parochi, ipsumque hospitale intra suum ambitum dicitur habere territorium separatum, atque quoad ibi viventes, constituere quamdam speciem Parochiae diversae ac stantis per se. »

Hinc haud mirum esse subdit, ut quoties huiusmodi iura et privilegia in discrimen adducta fuerint, a sacris Tribunalibus iugiter confirmata, et favore Religiosorum S. Ioannis de Deo definitae fuerunt lites inter ipsos et Parochos exortae.

Ita sane a Tribunali A.C. die 6 Iulii 1707 definitam fuisse legitur controversiam exortam inter Hospitale S. Ioannis de Deo Orbitelli et Collegiatam Ecclesiam eiusdem loci; nec non alteram sub die 8 Augusti 1714 inter eosdem Religio-

sos et Archipresbyterum Montisalti natam. Concinit Rescriptum Congregationis specialis deputatae a san. mem. Clementis XI in *Romana Quartae funeralis et Iurium Parochialium* inter Parochum S. Laurentii in Lucina et Hospitale S. Caroli *al Corso* die 8 Ianuarii 1717 agitata. Concordat decretum R. P. D. Vicesgerentis pro Conventu et Hospitali S. Ioannis de Deo contra Parochum S. Blasii *in Via Giulia* die 11 Aprilis 1764 prolatum. Chorum agit decretum, quod Emus Cardinalis Vicarius die 8 Februarii 1879 contra Parochum S. Bartholomaei *air Isola* protulit. Tandem coronat opus decretum quod S. C. C. sub die 11 Iunii 1891 in *Mediolanen. Funerum et Emolumentorum* contra Parochum S. Victoris edidit.

Hisce positis, P. Provincialis animadvertit in nullo pretio habendam esse difficultatem ab art. 25 Concordati desumptam. Quandoquidem in prima parte citati art. 25 non agitur de Communitatibus religiosis canonice erectis, sed de Paroeciis proprie dictis, seu de Curatus et Vicariis perpetuis, quae antea cuidam Communitati religiosae *pleno iure* annexae erant. In secunda vero parte eiusdem articuli sermo tantum fit de Ecclesiis seu Cappellis et de ecclesiasticis saecularibus, qui ad religiosas Communitates haud pertinent.

Constito itaque, quod Hospitale loci *Ciempozuelos* est Caenobium ad S. Ioannis de Deo Congregationem pertinens, P. Provincialis concludit ad praedictum Hospitale eadem iura et privilegia extendi et communicari debere , quae a Romanis Pontificibus ceteris omnibus hospitalibus indulta fuere; ideoque ipsi, tam ius funera in propria Ecclesia, independenter a Parocho peragendi, quam eorum emolumenta percipiendi tribui oportere.

QUAE RELIGIOSIS ADVERSANTUR. EX altera vero parte Episcopus Matriten, prae primis denegat Hospitale loci *Ciempozuelos* ab Ordinarii iurisdictione exemptum esse. Idque erui posse autumat ex art. 29 Concordati inter S. Sedem et Hispaniae gubernium initi, vi cuius, exceptis Institutis S. Philippi Neri et S. Vincentii a Paulo et ceteris quae vel missio-

nibus vel exercitiis spiritualibus mancipantur, vel parochis auxilium praestant, reliquae domus religiosae uti residentiae et domus particulares habendae sunt ac proinde privilegiis atque exemptionibus destituuntur, Ordinibus concessis, ad quos dictae domus pertinent. Cum igitur Hospitale S. Ioannis de Deo in urbe *Ciempozuelos* erectum, uti institutum religiosum ex Concordati dispositione haud habeatur, Episcopus deducit praedicto Hospitali exemptiones et privilegia tribui haud posse, quae Ordini S. Ioannis de Deo, ad quem pertinet indulta fuerunt.

Quin opponere valeat, ait Episcopus, quod fel. mem. Pius IX, tum cum Bulla - *Quae diversa* - omnes iurisdictiones suppressit, iurisdictiones Praelatorum regularium proprias exceperit. Quandoquidem animadvertit, quod iuris canonici auctores, inter quos citat Episcopum di Leon et Vincentium di Lafuente, in suis operibus auctoritate ecclesiastica editis, docent, praedictam iurisdictionem Praelatis religiosis iuxta art. 11 Concordati reservatam, intelligendam tantummodo esse de vitae ratione, quam Religiosi *intra claustra* ducunt.

Et huiusmodi doctrinam ab ipsis auctoribus confirmari in suis operibus, quibus titulus *Procedura Ecclesiastica*, ubi de Praelatis regularibus agentes, ita se exprimunt. « Praelati regulares nullam iurisdictionem externam, sed tantum *intra claustra* quoad suos subditos et in rebus criminalibus exercent, in casibus a Concilio Tridentino praescriptis. In reliquis nulla exemptione potiuntur Instituta regularía, sed ab Ordinario loci dependent; Praelati vero regulares in iis tantummodo se immiscent, quae religiosorum vitam spiritualem et interiorem agendi rationem respiciunt. ».

Quo vero ad emolumentorum quaestionem, quae percipiuntur occasione funerum eorum qui in Hospitali loci *Ciempozuelos* supremum diem obeunt, Episcopus contendit, sive aequitatis sive iustitiae rationes exigere, ut ea non Religiosis in dicto Hospitali degentibus, sed Parocho Oeconomo debeantur.

Id exigunt praeprimis aequitatis rationes, ex eo quod ex una parte stipendium Parocho Oeconomo a Concordato assignatum nimis exiguum est ; ex altera vero Hospitale loci *Ciempozuelos* divitiis affluit.

Sane quod stipendium Parocho Oeconomo assignatum nimis exiguum sit, nullatenus dubitari posse videtur; quandoquidem Episcopus asserit, quod praedictum stipendium praeterquamquod a 15 annis, prius 25 et postea 10 libellis pro quolibet centenario imminutum fuit, modo magis exiguum evasit ex facto ipsius auctoritatis civilis, quae Parochis Oeconomis duas tertias partes stipendii tribuit, quod pro Parochis titularibus constitum est. Si itaque admitteretur quod Hospitale loci *Ciempozuelos* Oeconomo Parocho persolvere haud debeat emolumenta eorum, qui in dicto Hospitali decedunt, sequeretur quod Parocho Oeconomo deessent, quae propriae sustentationi necessaria omnino sunt.

Ex altera vero parte, quod Hospitale divitiis abundet, fidem facit idem Episcopus qui asserit valetudinarium multa pecunia disponere, éx eo quod infirmi qui in eo recipiuntur fere omnes diariam persolvunt. Pro iis vero infirmis, qui egestate premuntur, deputatio Provincialis diariam persolvit in ea mensura et quantitate, quae ab ipsa deputatione Provinciali una cum valetudinarii Rectore constitui solet.

Praeter haec Episcopus affirmat, huiusmodi aequitatis rationem admissam fuisse ab ipsius valetudinarii Rectore, qui idcirco sub die 14 Augusti 1890 Episcopo significaverat, se paratum esse Oeconomo Parocho rependere funerum iura in ea quantitate, quam Episcopo designare libuerit pro infirmis indigentibus, qui in Valetudinario ex hac vita decessissent.

Verum, praeter aequitatis rationes, Episcopus contendit, quod huiusmodi emolumenta Oeconomo Parocho debentur attenta ratione iustitiae, ex eo quod Concordatum anni 1851, ad cuius normam praesens controversia dirimenda est, sub art. 25 praescribit, ut Ordines regulares in Hispania existentes a proprio Parocho dependere, eidemque emolumenta rependere teneantur.

Et ex hac iuris dispositione observantiam in Hispania constantem ortam esse, ut Hospitalia vel hospitia et quaelibet charitatis Instituta, etsi a Communitatibus religiosis recta, proprii parochi iurisdictioni obnoxia sint ac ipsi funerum iura et emolumenta persolvere debeant.

Idque optimo sane iure, ex eo quia, ut Episcopus observat, in stipendio a Concordato Parochis assignato, iura stolae seu incerta computantur, quae ipsi a suis parochianis pro matrimoniis, baptismis ac funeribus percipere solent. Et huiusmodi iura, quae iuxta praxim in Hispania vigentem, partem stipendii Parocho debiti constituunt, magnum damnum in themate persentiant, casu quo Parocho urbis *Ciempozuelos* emolumenta infirmorum deneganda essent, qui in illius urbis Valetudinario moriuntur, quandoquidem Episcopus observat hosce infirmos Parochi Oeconomi subditos esse.

Quin imo, urget Episcopus, in vim pluries memorati Concordati, nedum infirmi, qui in Regularium/ Hospitalibus vel Hospitiis moriuntur, verum etiam eaedem Communitates regulares, in morte cuiusdam religiosi, proprio Parocho funerum iura ac emolumenta persolvunt, etsi Constitutionum Apostolicarum vi, privilegiis ac exemptionibus aequalibus imo maioribus iis fruantur, quae Religiosis S. Ioannis de Deo concessa sunt. Et huic praxi, quae in tota Hispania vim legis habet, ulla absque oppositione adhaerere omnes Communitates regulares in sua Dioecesi existentes.

Hisce pro utraque parte perpensis, proposita fuerunt diluenda sequentia

Dubia

I. *An et quomodo Religiosi S. Ioannis de Deo in demensum valetudinario urbis* Ciempozuelos *degentes a iurisdictione Episcopi Matriten, exempti sint in casui*

II. *An et quomodo dementium valetudinarium loci* Ciempozuelos *a Parochi iurisdictione exemptum sit in casu?*

III. *An eidem Parocho competant emolumenta in fu-*

neribus infirmorum, qui in dicto valetudinario decedunt in casu?

RESOLUTIO. S. Congregatio Episc, et Reg. re mature discussa sub die 1 Aprilis 1892 respondere censuit: *Ad* I. *affirmative. Ad* II. *affirmative. Ad* III. *Negative et amplius.*

EX QUIBUS COLLIGES. I. Congregationem S. Ioannis de Deo ex Brevi Pauli V. *Romanus Pontifex* ab omnimoda Ordinariorum locorum iurisdictione exemptos esse : ita ut Episcopi, etiamsi Cardinalatus honore praefulgeant, in his, quae observantiam et disciplinam concernunt, se immiscere aut intromittere haud valeant.

II. Huiusmodi privilegia et exemptiones ab Urbano VIII, Brevi - *Cum sicut* - confirmata fuisse, quoad dictae Congregationis Conventus et Hospitalia, in quibus duodecim Religiosi vitam agunt.

III. Quo vero ad illos Conventus seu Hospitalia, in quibus erit minor Religiosorum numerus, Episcopos, una cum eiusdem Congregationis Superiore, ad revisionem computorum administrationis procedere posse; ita tamen, ut contra personas in nihilo prorsus se immisceant.

IV. Imo Hospitale Civitatis Vetulae, in vim Brevis Urbani VIII - *Ad futuram rei memoriam* - ab Ordinarii iurisdictione exemptum esse, licet in ipso duodecim dictae Congregationis fratres de familia non assignentur, nec illic actu habitent.

V. Hospitale Granatense, illiusque Ecclesiam et Altaria, per Breve S. Pii V - *Salvatoris Nostri* - a qualibet Ecclesiarum parochialium Rectoris iurisdictione perpetuo exempta esse ratione perceptionis eleemosynarum, oblationum, iurium et obventionum etiam funeralium, quae ipsi Hospitali proveniunt.

VI. Mox citata privilegia atque exemptiones Hospitali et Ecclesiae Granatensi a S. Pio V. concessa, tum a Gregorio XIII, tum a Sixto V, tum denique a Gregorio XIV universis Ordinis Hospitalibus et Ecclesiis, tam intra, quam extra Italiam existentibus deinceps extensa fuisse.

VII. Ista hospitalia a Parochorum iurisdictione ideo exempta esse, quia (de Luca *disc. XXIII % V. de P ar o ch.)* ille qui ex eodem Ordine vel alias deputatus ad administrandum sacramenta infirmis , habetur loco parochi, ipsumque Hospitale intra suum ambitum dicitur habere territorium separatum, atque quoad ibi viventes constituere quamdam speciem Parochiae diversae ac stantis per se.

EX S. C. DE PROPAGANDA FIDE

LITTERAE Emi Praefecti ad Ordinarios Americae septentrionalis; quibus communicatur decretum quoad conventionem initam ab Aren, s. Pauli super duas scholas paroeciales ; quae consona non videbatur Instructioni editae anno 1875.

Illme et Eme Domine,

Amplitudo Tua probe noscit ardenti studio nuper in ista Statuum Foederatorum Republica quaestionem de catholicae iuventutis institutione agitatam fuisse. Huiusmodi disceptationi occasionem praebuit quaedam Conventio ab Archiepiscopo S. Pauli inita quoad duas Scholas parochiales in pagis *Faribault* et *Stillwater* existentes.

Compertum sane est Sanctam Sedem omni tempore maxima sollicitudine invigilasse, ut salutari doctrina iuventus imbueretur atque a noxiis arceretur pascuis; atque haec ipsa S. Congregatio oculos suae vigilantiae ad istam regionem iampridem convertens, Instructionem inde ab auno 1875 edendam curavit, quae de publicis scholis agebat. (1) Cui adhaerentes Patres III. Concilii Plenarii Baltimorensis in id omnem curam impenderunt, ut iuventutem catholicam ab omni vitiorum et erroris labe incolumem servarent et a periculis educationis principiis fidei et morum haud informatae defenderent. Quapropter prudentissime statuerunt ut in sin-

(1) Instructio haec relata fuit Vol. XI, 44.

gulis Dioecesibus unamquamque prope ecclesiam scholae erigerentur, in quibus catholicorum sobóles sub ecclesiasticorum Pastorum auctoritate et directione non minus litteris ingenuisque artibus, quam religione et bonis moribus imbueretur. Porro nonnulli sapientissima haec statuta prae oculis habentes, rati agendi rationem Archiepiscopi S. Pauli in memoratis duobus casibus cum illis conciliari haud posse, reprehendere illam non dubitarunt; dum alii e contra ceu gravibus innixam rationibus probandam, et nihil per eam his decretis derogatum fuisse iudicarunt. Acriter hinc inde contentio exarsit: etiam per publicas ephemerides, quod valde dolendum, ardenter quaestio ventilata fuit, nec concors et unanime Episcoporum iudicium hac de re extitit. Quod quum religionis bono, Ecclesiae decori et optatissimae aeque ac necessariae inter sacrorum Antistites concordiae, in qua pax gregum ipsis commissarum solidatur, quam plurimum obesse iuste timeri posset, Sancta Sedes opportunum duxit rem ad se avocare diiudicandam suaque sententia disputationibus finem imponere. Huius autem negotii examen quibusdam ex Emis PP. S. Consilio Christiano •Nomini Propagando praepositis demandatum fuit, qui in Comitiis habitis die 21 Aprilis huius anni matura ac diligenti investigatione instituta ea quae ab Archiepiscopo S. Pauli peracta sunt, omni sub respectu perpendentes, attentis peculiaribus adiunctis nec non modo et pactis quibus conventio inita fuit, sequens edendum censuerunt Decretum, eadem die a Summo Pontifice approbatum: « Firmis in suo robore manentibus Decretis Conciliorum Bal» timorensium super scholas parochiales, conventio inita a » R. P. D. Ioanne Ireland relate ad scholas de Far bault et » Stillwater, perpensis omnibus circumstantiis, tolerari pot» est. » Hanc autem occasionem nacti Emi Patres enixe Venerabilibus Statuum Foederatorum Episcopis commendarunt ut pergerent, quemadmodum praestitum fuerat hucusque, eo concordi studio salutem animarum sibi commissarum et bonum religionis procurare, quo tot meritis suum in christiana republica nomen, Deo iuvante, iam honestarunt. Sane haec

animorum vinumque coniunctio eo vel magis firmanda et custodienda est, quo magis, uti nunc contingit, errores impune grassantur, cum pluribus hostibus dimicandum, ac innumerae difficultates et obstacula superanda undique extant.

Emi Patres item voluerunt ut in Comitiis quae primo inter Statuum Foederatorum Archiepiscopos locum habebunt, iidem diligentissime de ratione cognoscant, qua quamplurimis catholicis pueris, qui secundum computos fide dignos scholas publicas loco parochialium adeunt, prospici queat.

Cum vero pastoralis sollicitudo et impensum religionis studium, quo Antistites istius amplissimae ditionis feruntur, Sacrae Congregationi apprime perspectum sit, eadem pro certo habet, omni ope ipsos adnisuros ad aptissima remedia invenienda, quibus hisce malis efficaciter occurratur.

Item nullatenus dubitat quin pro filiali veneratione qua Apostolicam Sedem prosequuntur, iidem, quavis submota animorum dissensione, ad catholicum nomen tutandum et augendum concordi voluntate et consentientibus animis constanter adlaborent.

Interea omnia Tibi fausta a Deo ex animo precor.

Datum Romae ex Aed. S. C. Propagandae Fidei die 3 Maii 1892.

Amplitudinis Tuae

Addictissimus Servus

MIECISLAUS CARD. LEDÓCHOWSKI, PRAEFECTUS

f **IGNATIUS ARCHIEP. TAMIATHEN.,** ***Secretarius***

EX S. CONGR. R. U. INQUISITIONIS

DUBIA quoad constitutionem Apostolicae Sedis.

I. Utrum scienter legentes publicationes periodicas in fasciculos ligatas, habentes auctorem haereticum et haeresim propugnantes, excommunicationem incurrant, de qua Bulla *Apostolicae Sedis* 12 Octobris 1869 in excom. Rom. Pontifici speciali modo reservatis art. 2.

II. Utrum per acta a S. Sede apostolica profecta designentur tantum acta quae immediate a S. Pontifice proficiscuntur, an etiam quae mediate a S. Pontifice proficiscuntur, an etiam a SS. RR. Congregationibus proveniunt?

III. Utrum absolventes complicem in re turpi cum ignorantia crassa et supina hanc excommunicationem incurrant an non?

IV. Utrum colligentes eleemosynas maioris pretii pro missis, si eas celebrari faciunt in eodem loco ubi collegerunt, pro minori pretio, hanc censuram incurrant, nec ne?

V. Utrum clericus in sacris constitutus vel regularis, aut monialis, si praeter impedimentum voti solemnis castitatis alia habeat impedimenta ex. gr. affinitatis, consanguinitatis, hanc censuram incurrant, an non?

VI. Quoad absolutionem censurarum specialiter reservatarum in articulo vel periculo mortis dubitatur: utrum infirmus si convalescit et onus non adimplet se praesentandi Superiori, in eamdem excommunicationem reincidat, an non?

Feria IV die 13 Ianuarii 1892.

In Congregatione generali S. Rom. et Univ. Inquisitionis habita coram Emis et Rmis DD. S. R. E. Cardinalibus generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis dubiis, ac praehabito voto DD. Consultorum, iidem Emi ac Rmi DD. rescribi mandarunt:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative ad 1 partem; affirmative ad 2.

Ad III. In casu, incurrere.

Ad IV. Affirmative ad 1, partem; negative ad 2.

Ad V. Incurrere.

Ad VI Detur Decretum fer. IV, 19 Augusti 1891 super dubiis quae sequuntur: - 1. an obligatio standi mandatis Ecclesiae a Bulla *Apostolicae Sedis,* imposita sit sub poena reincidentiae, vel non? 2. An obligatio standi mandatis Ecclesiae in sensu Bullae *Apostolicae Sedis* idem sonet ac obligatio se sistendi coram S. Pontifice, vel an ab illa debeat distingui?

Responsum: Ad 1. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad 2. Obligationem standi mandatis ecclesiae importare onus sive per se sive per confessarium ad S. Pontificem recurrendi.

Feria autem V, die 14 Ianuarii 1892, facta de his omnibus per R. P. Adsessorem S. O. Sanctissimo D. N. Leoni PP. XIII relatione, Sanctitas Sua resolutiones Emorum PP. adprobavit et confirmavit.

Ex Cancellaria S. O. die 16 Ianuarii 1892.

I. MANCINI, *S. Rom. et Univ. Ing., Notarius.*

APPENDIX III.

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST.; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT, AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

S. C. Immunitatis, 20 Sept. 1860 — Clericus quoad privilegium fori.

Clericus, qui nondum maiores suscepit Ordines, sive coniugatus sit sive non, cum, quod ea quae S. Concilium Tridentinum Sess. 23 Cap. 6 de Reform, disposuit, diligenter non observaverit, privilegium fori amittit, habendus est uti destitutus atque ipso iure et ipso facto destitui omnibus clericorum privilegiis, ita ut haberi tractarique debeat tamquam persona vere laica, etiam in causis criminalibus et ad effectus poenales, quin iam nunc ac deinceps triplex admonitio, sive peculiaris declaratio incidentiae in hanc poenam sit necessaria.

8. Congr. de Propaganda Fide — C. Gen. 17 Maii 1860.
De recursu clericorum ad iudices laicos.

Declarat S. C. nunquam sese fore admissuram recursum vel appellationem sacerdotum, qui ad iudices laicos trahere ausi fuerint vel clericum sine venia Ordinarii, vel Episcopum sine venia Apostolicae Sedis, sive in causa ecclesiastica sive non, nisi prius recursum ad civile tribunal interpositum deseruerint.

Episcopi vero iuxta declarationem Capitis *Cogentes* **a Suprema Congregatione Inquisitionis dies 23 Ianuarii 1886 (1) editam, possunt in praedictum clericum animadvertere poenis et censuris ferendae sententiae, maxime suspensione a divinis, servatis tamen servandis, et pro gravitate causae, si id expedire in Domino iudicaverint. Quod si venia conveniendi clericum in forum laicorum ab Ordinariis petatur, ipsi nunquam eam denegabunt, tum maxime cum ipsi controversiis inter partes conciliandas frustra operam dederint.**

(1) Declaratio haec relata fuit Vol XVIII, 416.

S. Congr. de Propaganda Fide — C. Gen. 6 Septembris 1886.
De clerico cedenti sua iura. laico.

Volendo un ecclesiastico cedere i suoi diritti ad un laico in una questione contro un prete, deve domandare la venia del Vescovo, e, se la lite è contro un Vescovo, alla S. Sede ; che se esso non lo fa e non l'ottiene, rimane soggetto alle disposizioni emanate contro i preti ricorrenti ad *iudices laicos* e si considera come operante *in fraudem legis.*

Quatenus ecclesiasticus viro laico propria iura cedere velit in aliqua quaestione adversus presbyterum, veniam petere debet ab Episcopo ; et, a S. Sede si lis sit adversus Episcopum : quod nisi faciat et obtineat, subiicitur dispositionibus emanatis adversus presbyteros recurrentes ad iudices laicos, et habetur ceu agens *in Fraudem legis.*

S. **C. de Propaganda Fide — C. Gen. 2 Martii 1666.**
Dubium quoad regimen Praefecti.

Se il Prefetto possa continuare nel governo della Missione sino all'arrivo del successore, benché sia spirato il tempo delle sue facoltà.

An Praefectus continuare possit in administratione Missionis usque ad adventum successoris, quamvis terminus suarum facultatum cesserit.

R. Praefectus permaneat in gubernio Missionis usque ad adventum successoris, qui a S. G. destinatus et approbatus fuerit.

S. Congr. de Propaganda Fide — C. Gen. 13 Ianuarii 1682.
De Praefecto quoad privilegia communicanda.

Se il Prefetto possa comunicare i suoi privilegi ad un missionario che abbia terminato il tempo prescritto nella sua patente, senza domandare proroga e conferma.

An Praefectus communicare possit propria privilegia missionario qui tempus in eius patente praescriptum absolverit, quin prorogationem aut confirmationem petierit.

R. Affirmative, dummodo missionarius maneat in Missione.

S. Congr. de Propaganda Fide, 2 Octobris 1724.
De Missionariis institutis a Sede apostolica relate ad Praefectos.

Cum Sacrae huic Congregationi innotuerit in aliquibus Missionibus... perniciosam eamque prorsus erroneam opinionem irrepsisse, scilicet quod missionarii eo quia tales instituti sint ab eadem S. Congregatione, quae pariter Praefectos instituit, non sint subditi sed socii eorumdem Praefectorum, atque ideo cum par in parem non habet imperium, eorum praeceptis obtemperare non teneantur : Emi PP. ad huiusmodi abusum vanamque sententiam penitus eliminandam declararunt, quod missionarii sunt vere subditi et tenentur obedire superioribus localibus, etiam occasione transitus, et istos ac ipsorum subditos Praefectis, Praefectos vero et reliquos omnes P. Procuratori Generali Ordinis et S. Congregationi.

Decretum S. C. de Propaganda Fide, 24 Iulii 1626.
Missionarii quoad litteras exhibendas missionum superioribus.

Quoniam Sacra Congregatio non sine animi molestia certissime cognovit Superiores Regularium partes orientales incolentium, diversis praetextibus, et praesertim ordinariae iurisdictionis sed Apostolico privilegio illis concessae, plurima impedimenta missionariis a se vel ab aliis auctoritate sua ad praedictas partes destinatis procurare, quibus perterriti, non solum a munere suo cessare, sed etiam loca eis assignata deserere coguntur, simulque considerans quod frustra missiones ad orientis regiones tot expensis laboribus, ac periculis fierent, si missionarii in eorum officii executione impedientur aut e locis, ad quae destinati sunt, deturbarentur ; ad relationem Illmi D. Card. Marcomontii, censuit missionariis quibuscumque tam saecularibus quam regularibus cuiuscumque Ordinis et Instituti, seu Congregationis et Societatis a se, vel ab aliis auctoritate sua ad praefatas regiones destinatis seu destinandis sufficere quod Literas Patentes suae missionis praedictis Superioribus, vel eorum Vicariis, aut Ministris etiam ordinariam potestatem ex privilegio Sedis Apostolicae habentibus ostendant, ut illis ostensis sive obtenta sive non obtenta ab eis vel eorum quolibet licentia, possint libere ac licite suum officium et munus exequi. Denique praecipiendum esse censuit, prout praesenti decreto districte praecipit superioribus praefatis eorumque vicariis ac ministris, ne post illis ostensas Patentes praedictas ullo modo impedire praedictos missionarios audeant,

quominus officium suum exercere possint ac valeant, alioquin pro modo culpae severe a SSmo D. N. punientur.

S. Congr. de Propaganda Fide — C. G. 15 Augusti 1630.
De facultatibus missionariorum in itinere.

Missionariis in itinere per aquam vel per terram occurrit saepius ut ob defectum aliorum sacerdotum cogantur audire confessiones vel comitum itineris, vel etiam habitatorum illarum regionum per quas transire necesse est, ut ad loca suarum missionum se transferant, propterea cupiunt declarari per S. C an facultatibus illis concessis pro missionis locis possint uti in praedictis casibus in itinere occurrentibus.

S. G. declaravit non licere missionariis uti facultatibus illis concessis extra regna vel provincias aut loca ad quae destinati fuerint.

S. Congr. de Propaganda Fide — C. P. 7 Maii 1631.
De Missionariis quoad usum suarum facultatum.

1. An a missionariis (in oriente) pro usu suarum facultatum petenda sit licentia ab Episcopis quos missionarii arbitrantur esse catholicos.

2. An missionarii celebrare possint in Ecclesiis schismaticorum, eorumve sacerdotalibus vestibus et calicibus uti.

R. Ad 1. Affirmative, si tanta sit certitudo eorum rectae fidei, ut omnem schismatis ac erroris in illis partibus vigentis, suspicionem excludat.

Ad 2. Negative, quia datur misssonariis usus altaris portatilis et facultas benedicendi paramenta, et propterea non est necesse ut ipsi in praefatis Ecclesiis celebrent vel praedictis vestibus utantur.

S. Congr. de Propaganda Fide — C. G. 2 Aprilis 1640 (coram SSmo).
De tempore quo facultates missionariorum expirant.

Ad quaesitum P. I. missionarii, SS. Dominus dixit tempus facultatum ad eum transmissarum computandum esse a die receptionis earum et non a die datae.

S. Congr. de Propaganda Fide — Missionarii quoad ostensionem suarum facultatum.
C. G. 26 Aprilis 1647.

Missionarios in eorum facultatibus habere clausulam quod sine licentia Episcoporum vel parochorum in quorum districtibus habent Missiones parochialia Sacramenta administrare non possunt, cetera vero post ostensas praedictis Praelatis vel parochis suas facultates, quod facere debent quamprimum ad loca Missionum pervenerint, administrare possunt, nec a dictis Praelatis vel parochis impediri debent.

S. Congr. de Propaganda Fide, 14 Febr. 1702.
Missionarii quoad administrationem sacramentorum.

Missionariis, sive saecularibus, sive Regularibus, etiam Societatis Iesu, non liceat, etiam vigore suorum privilegiorum, Sacramenta administrare, aut alia munia parochialia obire, nisi de licentia Ordinariorum seu Vicariorum Ap. in quorum respective provinciis aut dioecesibus eosdem missionarios commorari contigerit.

S. Congr. de Propaganda Fide, 27 Febr. 1704.
De discessu Missionarii a propria Missione.

Cum alias sub die 13 Martii 1668 S. Congregatio missionariis apostolicis iniunxerit ne a Missione discedant nisi prius ab eadem S. C. obtenta licentia redeundi, quantumvis tempus residendi in Missione iuxta eorum decreta integre compleverint, quod etiam per lapsum facultatum expirare non censeatur, et in hoc tempus itineris non comprehendatur ; eadem S. C. declaravit missionarios praedictos donec confirmationem missionis, seu licentiam ut supra discedendi a Missione obtinuerint, facultates suas exercere posse ut antea, etiamsi tempus earum lapsum fuerit.

S. C. de Propaganda Fide — C. P. pro Syn. 13 Ianuarii 1766, Chan-si et Chen-si.
Missionarii quoad remotionem.

1. Utrum missionarii destinati ad aliquem districtum seu territorium habeantur ut parochi. Supposito quod sint tamquam parochi, quaeritur an gaudeant iure parochorum et an possint amoveri ad al-

teruni districtum quacumque ex causa etiam minima arbitrio Vicarii Apostolici.

2. Utrum missionarius recens adveniens teneatur personaliter accedere ad Vicarium Apostolicum petiturus ab eo necessarias facultates etsi id fieri nequeat sine magno suo incommodo et periculo.

R. Ad 1. Posse Vicarium mutare stationes missionariorum ex iusta et rationabili causa concernente bonum missionis.

Ad 2. Magis expediens esse ut Vicarias Alumnis transmittat facultates etiam per litteras vel per nuntios quando valde difficilis erit ad ipsum accessus, ad evitandas expensas, pericula itinerum et ceteras valde graves difficultates. Posse tamen Vicarium pro iusta et rationabili causa in aliquibus casibus particularibus mandare Alumnis, ut coram se sistant pro impetrandis facultatibus.

Ex Instr. S. C. de Propaganda Fide, Í4 Ianuarii 1726, ad Missionarios Congi. Missionarii quoad examen pro administratione sacramentorum.

Quando essi (Vescovi) pretendessero di esaminarli prima che amministrino i Sacramenti, per non esservi in esse Patenti le parole *examinatus et approbatus,* rispondano a detti Vescovi, che l'essere stati approvati per missionari importa lo stesso che l'essere stati approvati per l'amministrazione dei Sacramenti, giacché l'officio dei missionari per il quale sono stati approvati, consiste appunto nel predicare e nell'amministrare i Sacramenti.

Quando ipsi (Episcopi) praesumeret eos Missionarios examini subiicere antequam Sacramenta administrent, eo quod in litteris patentibus desint verba *examinatus et approbatus,* respondeant eisdem Episcopis, approbatos esse ceu missionarios idem esse ac approbatos fuisse pro sacramentorum administratione *, nam officium missionariorum, ad quod approbati fuerunt, in hoc apprime consistit ut praedicent et Sacramenta administrent.

S. C. de Prop. Fide — C. P. pro Syn. 20 Septemb. 1821. Vic. Ap. Sutchuen. De facultatibus quoad missionarios damnatos ad exitium.

1. Utrum Vicarius Ap. concedere possit missionariis sui districtus, damnatis ad exilium in alienas provincias, facultates ordinarias et extraoidinarias, ut illas exercere possint in locis exilii.

2. Utrum, huiusmodi missionariis in exiiium pulsis, independenter a facultatibus obtentis a proprio Vic. Ap. competant aliae facultates ab ipsa Apostolica Sede illis concessae tamquam missionariis Ap., praesertim si non constet illa loca esse alteri Episcopo subiecta, aut propter nimiam longitudinem, vel aliud impedimentum, ad illum Episcopum recurrere non possint.

3. Quaenam sint huiusmodi facultates, et quomodo se gerere debeant circa illas quae nonnisi ad biennium vel aliud determinatum tempus concedi solent.

R. Ad 1. Affirmative ; sed exerceri nequeunt nisi de licentia Ordinarii, aut ob difficillimum accessum ad Ordinarium loci, aut ob deficientiam eiusdem Ordinarii.

Ad 2. et 3. Provisum in primo.

S. Congr. de Propaganda Fide — C. G. Il Décembre 1838.

Ordinarii orientales quoad missionarios latinos.

1. Utrum Patriarchae, et Ordinarii orientales possint interdicere missionariis latinis ne Sacramenta administrent, et facultates suas exerceant in ecclesiis sibi subditis.

2. Utrum missionarii possint Sacramenta administrare, et easdem facultates exercere erga orientales in ecclesiis latinis absque consensu Ordinariorum orientalium.

3. Utrum Patriarchae et Ordinarii orientales possint interdicere suis subditis ne Sacramenta recipiant a missionariis latinis.

R. Ad 1. Detur Decretum 26 Aprilis 1647 *(quod habes pag. 631).*

Ad 2. Negative quoad parochialia iuxta Decretum 26 Aprilis 1647 ; in reliquis affirmative, nisi obstet diversitas ritus in Sacramentorum administratione, et servetur Decretum diei 31 Ianuar. 1702.

Ad 3. Provisum in praecedenti.

S. C. de Propaganda Fide — C. G. 12 Aprilis 1646.

Missionarii tempore persecutionis.

An cum periculo vitae persequentibus haereticis, missionarii in Missionibus suis permanere debeant.

R. Tempore persecutionis esse magis necessariam pastorum praesentiam ne fideles pervertantur.

S. C. de Propaganda Fide — C. G. 6 Febr. 1882.
Missionarii expediti ab Apostolica Sede quoad subiectionem Vicariis apostolicis.

Missionarii ad clerum saecularem spectantes, qui ab Apostolica Sede datis authenticis litteris ad missiones destinantur, Vicariorum Apostolicorum omnimodae iurisdictioni, visitationi et correctioni omnes et singuli obnoxii sunt. Regulares vero qui exemptionis privilegio gaudent omnino iisdem Vicariis Apostolicis subiacere debent in iis generatim quae pertinent ad curam animarum, ad Sacramentorum administrationem, atque in ceteris casibus a iure nominatim expressis.

S. C. de Propaganda Fide, 18 Decembris 1662.
De disputationibus Missionariorum cum haereticis.

De conferentiis et publicis congressibus seu disputationibus missionariorum cum haereticis, monetur Generalis (Capuccin.) ut omnino prohibeat, cum S. Sedes plurimis experimentis edocta semper eas prohibuerit ; quo vero ad interventum concionibus haereticorum, hoc etiam prohibeatur, sicut a S. G. S. Officii semper fuit prohibitum, nec omnibus indifferenter absolute [expediat ; quod si aliquis adsit insignioris doctrinae et prudentiae, supplicet in particulari pro licentia.

S. Congr. de Propaganda Fide, 23 Novemb. 1665.
De mercatura exercenda.

Cum SSmus D. N., éx voto S. G., Vicariis Ap. in regnis Sinarum facultatem largitus fuerit clericos promovendi ad sacros, etiam Presbyteratus, Ordines, quamvis necessarium patrimonium non habeant; quaeritur, an huiusmodi promoti possint ad sui sustentationem mercaturam exercere, pecunias suas mercatoribus dare, et cum ipsis societatem inire, maxime cum non habeant illis in partibus aliam rationem se sustentandi ?

R. Toleratur ad sustentationem propriam dumtaxat, modo tamen contractus sit ex sua natura licitus, et tantum solummodo impendant quantum honestum patrimonium constituat.

S. Congr. de Propaganda Fide, 23 Augusti 1852.
Missionarii quoad privilegia etc.

1. Utrum possit permitti missionariis uti rocheto loco cottae.

2. Missionarii quando visitant suas ecclesias recipiuntur a populo cum baldachino et cruce, sicut recipitur Vicarius Apostolicus ; quaeritur utrum tolerandum.

3. Missionarii Apostolici gaudentne iurisdictione ordinaria tamquam parochi, aut solummodo delegata in Missionibus ad quam missi sunt per Vicarium Apostolicum?

4. Iidem missionarii possuntne propria auctoritate aeque ac parochi alium delegare sacerdotem ad effectum assistendi et benedicendi matrimoniis christianorum sibi commissorum ? Item audire confessiones suorum christianorum etiam in alio Vicariatu ?

R. Ad 1. Negative. Ad 2. Negative.

Ad 3. Negative ad primam partem ; Affirmative ad secundam.

Ad 4. Provisum in praecedenti.

Ex Litt. S. Congr. de Propaganda Fide, 4 Febr. 1860, ad Vic. Ap. Lahassae.
Quoad mercaturae exercitium.

Cum nuper a Suprema Inquisitione, ad quam solvendas remisimus quaestiones ab A. T. propositas quoad mercaturae exercitium, responsionem tibi communicandam acceperimus, eam sine mora transcribentes pandimus, quae est ut sequitur:

lime et Rme Domine. — Exposuisti S. C. de Prop. Fide, vetitum omnino esse, sub poena expulsionis, omnibus alienigenis, et praesertim europaeis, ingressum in istas Thibeti regiones, sive regi, sive magno Lamae subiectas, nisi ex causa negotiationis. Id intelligens A. Tua, verens ne apostolicum quod suscepisti mandatum, evangelizandi nempe efferatam et superstitiosam istam gentem, in tenebris et umbra mortis hactenus sedentem, incompletum remaneret, cum nullum aliud, ut asseris, suppeteret medium: opportunum putasti istius regni oras pervadere tanquam negotiator, quo praetextu fidem catholicam facilius tutiusque propagaturum contendis. Quocirca, ad omnem de vero Ampi. Tuae caeterorumque sociorum statu et conditione ab infidelium animis suspicionem avertendam, non solum dictis, eisdem demonstrare studes vos omnes non aliud esse nisi quaedam mercatorum societas lucris terrenis addicta, sed, ut in huiusmodi opinione ultro confirmentur,

nonnulla promptuaria seu officinas ad merces servandas et vendendas huc illucque stabilire tibi placuit, et, quod mirum est, haec omnia perfecisse inconsulta Sede Apostolica, ad quam demum recursum habuisti, ut super liceitate praefatae negotiationis instruereris. EE. ac RR. PP. Supremae huius Sacrae Congregationis, postulatis tuis serio ac mature perpensis responderunt: *non licere quovis titulo missionarios mercaturam exercere;* **tibique respondendum esse per instructionem decreverunt.**

Et sane, quamquam Emis PP. compertum sit, ex zelo quo ad fidem catholicam propagandam flagrans, A. T. permotam fuisse: tamen perspicuum tibi esse debet SS. Canonum sanctiones, Conciliorum etiam generalium Decreta, Apostolicas Constitutiones, et SS. Congregationum responsiones ad Vicariorum Ap. postulata, contrarias omnino esse praefatae tuae agendi rationi; neque bonitas finis illicita media ad eumdem consequendum legitimare potest, non enim sunt facienda mala ut veniant bona. Ceterum, divina Christi Religio propagari non debet fictionibus et simulationibus, quemadmodum haeretici sua venerata dogmata propagare conantur. Dominus enim Salvator noster conversurus humanum genus, Apostolos et discipulos suos mittens, dixit illis *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae. Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti. Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Estote ergo prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae* **Haec sunt divina monita, ad quae fideliter exequenda Evangelii praecones conatus omnes adhibere debent. Praetextus mercaturae, quamquam tibi videtur aptissimus ad fidem propagandam, nunquam tamen in conversionem animarum adhibenda est, ut indecens et valde indecora viris apostolicis exemplo Christi et Apostolorum, qui nunquam his fictionibus usi sunt, quibus Deo simul et mammonae obsequi viderentur. Non enim desunt exempla in quibus infideles, ut primum vident eos, qui summi Dei se dicunt ministros et legatos, negotiis temporalibus addictos, eosdem spernunt, putantes illos uti religionis praetextu ut ex egestatis angustiis emergane Hoc pacto, venerationem illam atque amorem, quibus ad animas Deo lucrifaciendas prae ceteris indigent, ubique amittent et mercatorum potius pecuniarum, quam animarum curatorum, ignobile nomen sibi acquirent.**

Ne igitur non solum SS. Canonum sanctionibus, sed etiam Apostolicis Constitutionibus (urbani Vili, *Ex debito Pastoralis Officii* **22 Febr. 1633; Clementis IX** *Sollicitudo Pastoralis Officii,* **17 Iunii 1669; Renedicti XIV,** *Apostolicae servitutis,* **23 Febr. 1751 ; Clementis XIII,**

in sua Encyclica *Cum primum* 16 Septembr. 1759 ; et Pii VI, in responsione ad Archiepiscopum Theodosiopolitanum 18 Martii 1782), contradicere videaris, necesse est ut ab exercitio mercaturae, sive per te sive per alios, directe, aut quovis titulo vel colore, in posterum abstinearis, ne gravissimis poenis in SS. Canonibus et praesertim in praecitatis Constitutionibus latis, irretitus maneas.

Hisce praehabitis, ne mireris si aliquando intelligas S. C. plerumque dispensasse cum nonnullis ab huiusmodi negotiationis prohibitione. Omnes enim a praefata S. C. de Prop. Fide concessiones alicui "Vic. Ap., vel presbyteris sinensibus ecclesiastico patrimonio carentibus factae, nonnisi quosdam casus particulares, et quidem urgentissimos, respiciunt. Nunquam vero huiusmodi concessiones factae fuere ut missionarii exercitio mercaturae uti possent tanquam medio ad fidem Catholicam propagandam, prout A. T. obtinere peroptat.

Seclusa ergo quacumque negotiatione, species medicinales duntaxat, ad infirmorum usum gratuito, vel saltem absque ullo lucro a missionariis in hac arte peritis exhibendas permittere vales. In reliquo satage ut, prudentiori et meliori modo quo potes, evangelizentur pauperes qui circa missionariorum hospitia domicilium sibi elegerunt, eorumque pueri qui praefatorum missionariorum scholis intersunt ; cura ut cum humanis litteris religionis quoque catholicae rudimentis imbuantur. Hisce praeiactis fundamentis, religionis aedificium, Deo adiuvante, ad suprema consurget ; nam *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.*

S. Congreg. S. Officii, 20 Iunii I86G, Vic. Ap. Gallas.
De instructione castae hominum vulgo *Mangiò.*

Sunt in oppido Kafa quidam abiectissimae sortis seu *castae* homines vulgo *Mangiò* in Abyssinia *Woilo* nuncupati. Hi censentur non tantum ipsi esse immundi, verum etiam immunditiem communicare personis quibuscum agunt, et rebus, quae forte contrectant. Nondum coeptum est eosdem de Christiana Religione instruere, quia si missionarius cum iis conversaretur, evaderet et ipse immundus, ipsumque nemo amplius alloqueretur; praeterquamquod si vel semel aliquis *Mangiò* Ecclesiam intraret, haec illico pro immunda haberetur. Quapropter postulatur:

1. An memoratae difficultates praebeant sufficiens motivum, ne missionarius hanc *castam* instruere quaerat.

2. An eo casu quo aliquis huius *castae* homo instructionem sponte sua petat a missionario, is possit tali se ministerio denegare.

3. Quaedam huius *castae* familia est sub dominio Missionis, eidemque inservit. Peccaretne missionarius si ob praedictas difficultates omitteret illam familiam instruere?

R. Catholica Ecclesia in mysteriorum Dei dispensatione non modo nihil unquam discrevit inter divites et pauperes, inter nobiles et abiectus, verum etiam quadam veluti peculiari charitate ac materna sollicitudine pauperes et abiectus semper complexa est, qui sicut luculenta experientia testatur, facilius ?d fidem accedere solent prae mundi nobilibus et divitibus. Imitatur enim Ecclesia Iesum Christum D. N. apud quem nulla est personarum acceptio, quique se ad evangelizandum pauperibus missum esse dicebat, et cum publicanis et peccatoribus manducabat, licet iniquissimum inde scandalum sumerent pharisaei. Quod igitur spectat ad tria postulata 1. 2. et 3. nullatenus ambigendum est quin missionarii pro suo munere debeant hominum quoque *Mangiò* nuncupatorum instructioni et conversioni solertissime quantum poterunt adlaborare, multoque magis si ipsi *Mangiò* divina gratia permoti instrui petant, vel iustam subeuntes missionariorum servitutem eorundem domestici effecti fuerint. Neque tantum propter adductas rationes illicitum est ab instruendis *Mangiò* prorsus abstinere, sed etiam ne missionarii auctoritate sua confirmare videantur superstitiosam consuetudinem a iudaicis traditionibus probabiliter profectam, refugiendi nimirum contractum hominum *Mangiò,* imo cum eos tangentibus nullam habendi communicationem; quam quidem consuetudinem christianae charitate perinde ac rectae rationi tantopere adversantem missionarii penitus extirpare omni diligentia studeant. Interea tamen, ut aeternae saluti *Mangiò* quam citissime provideatur, censuerunt Emi PP. unum e missionariis deputandum esse absque mora ad spiritualem eorum curam. Christiani vero qui illam consuetudinem servant admitti poterunt ad Sacramenta, dummodo id unice faciant ne a commercio aliorum civium segregentur, non autem sponte sua, atque ex erronea opinione quod homines *Mangiò* sint immundi, labemque et immunditiem vel solo Lactu affricent personis quibuscum agunt aut conversantur, rebus quas adhibent, et ipsis ecclesiis in quas ingrediuntur. Haec enim opinio nullatenus toleranda est in viro catholico, postquam Deus Reato Petro ostendit neminem communem aut immundum dicere hominem.

S. C. S. Officii, 16 Dec. 1874. Deleg. Apost. Mesopotamiae.
De facultatibus missionariorum latinorum in Oriente.

Les facultés pouvoirs, dispenses etc. contenues dans les Patentes des supérieurs des Missions latines en Orient donnent souvent lieu à l'ambiguïté par suite de la nature variée des personnes avec les quelles ils sont en rapport. Ces patentes sont évidemment faites pour les missions établies dans de diocèses gouvernées par des Evèques ou des Vicaires Apostoliques du rit latin, qui ont une iurisdiction directe et absolue sur tous les fidèles de leur dioecése; hors ici les missionnaires n'ont de Jurisdiction réelle que sur un nombre fort restreint de latins et quelques orientaux privés de pasteurs, mais ils se trouvent par le ministère de la confession en rapport avec les catholiques des différents rits qui les entourent, grec, arménien, syrien, chaldéen. Pourront-ils dans ce cas, et dant tout ce qui n'est que de for intérieur user des dispenses concédées au Supérieur de la Mission si celui leur en concède la faculté ?

R. Negative.

Facultates, dispensationes etc. cooptatae in litteris patentibus Superiorum Missionum latinarum in Oriente, saepe causam exhibent ambiguitatibus, ob diversam indolem personarum cum quibus relationem habent. Hae Litterae patentes evidenter factae sunt pro missionibus constitutis in Diaecesibus, quarum regimen est apud Episcopos aut Vicarios apostolicos latini ritus, qui directam et absolutam iurisdictionem habent super cunctos fideles suarum Dioecesium, nunc Missionarii veram iurisdictionem hic habent super parvo tantum numero latinorum, et orientalium pastoribus carentium, sed ministerii confessionis causa relationes habent cum rituum diversorum catholicis, qui prope sunt, quique sunt graeci, armeni, syriaci, chaldaei. Possunt ne isti, hoc in casu, et in omnibus quae tantum respiciunt forum internum, uti dispensationibus concessis superiori. Missionis, quatenus hic facultatem eisdem indulgeat ?

R. Negative.

S. Congr. S. Officii, 3 April. 1889, Vic. Apost. Victoriae-Nyanzen.
De infirmis visitandis in gravi periculo constitutis.

In regno Buganda, ne nova adversus christianos excitetur persecutio, fideles religionem publice profiteri nequeunt, et quasi incoguiti ftiter infideles vitam degunt. Hinc maxima pro missionariis infirmos vi-

sitandi difficultas ; nam ex missionarii praesentia exoriretur pro infirmo periculum, et pro iis apud quos degit, quin imo pro omnibus christianis, qui non tolerantur, eorum numero a rege cognito. Quaeritur ergo utrum, ad hoc periculum praecavendum, missionarii possint ac debeant infirmos non visitare, an, spreto quolibet periculo sive privatorum sive communitatis christianae, aegrotos in gravi moriendi periculo constitutos visitare possint, aut debeant ut illos Ecclesiae Sacramentis reficiant.

R. Ad mentem; mens autem est a missionariis fideles monendos ut, attenta difficultate habendi missionarii adsistentiam in mortis articulo, omni studio satagant peccata vitare, et in mortis periculo mutuam sibi adsistentiam praebeant; ac insuper missionarii bene instruant catechistas, qui in expositis casibus missionarii vices aliqua ratione fungantur.

S. Congr. S. Officii, 6 Martii 1777, Vic. Apost. Cocincinae.

Licet Missionariis commutare merces cum necessariis ad vitam.

In Gambodiae Provincia, ubi pecunia vel non est usui, vel nullo fere in pretio, solent ceteri merces vehere, ad iisdem vitae commodis necessaria commutanda. Quaeritur an idem liceat missionariis.... Ratio dubitandi est quod alibi vel non veneant, vel carissimo pretio.

R. Licere per viam permutationis, quoad res correspondentes aliis rebus ad vitae necessitatem comparandis dumtaxat.

S. Congr. S. Officii, 26 Aprilis 1809, Vic. Apost. Petr. Constantinop.

De facultatibus Praefectorum.

1. Se le facoltà dei Prefetti debbono restringersi soltanto ai loro sudditi religiosi.

2. Se possono esercitarsi dov'è il Vicario Apostolico.

1. An facultates Praefectorum coarctandae sint eorumdem tantum subditis religiosis.

2. An eaedem exerceri possint ubi adest Vicarius apostolicus.

R. Ad 1. Negative.

Ad 2. Affirmative, iuxta tamen tenorem Formularum et facultatum extraordinariarum.

LITTERAE Sanctissimi D. N. Leonis XIII ad Eminentissimos Cardinales

FLORIAN CARD. DESPREZ, Aren, de Toulouse.
CHARLES CARD. LAVIGERIE, Arch. d'Alger et de Carthage.
CHARLES PHILIPPE CARD. PLAGE, Arch. de Rennes.
JOSEPH CARD. FOULON Arch. de Lyon.
BENOIT MARIE CARD. LANGÉNIEUX, Arch. de Reims.
FRANÇOIS CARD. RICHARD, Arch. de Paris.

NOS TRÈS CHERS FILS

Notre consolation a été grande en recevant la lettre pariaquelle vous adhériez, d'un concert unanime avec tout l'Episcopat français, à Notre Encyclique, *Au milieu des sollicitudes,* et Nous rendiez grâces de l'avoir publiée, protestant avec les plus nobles accents, de *Yunion intime qui relie les Eoêques de France, et en particulier les Cardinaux de la Sainte Eglise, au Siège de Pierre.*

Cette Encyclique a fait déjà beaucoup de bien, et elle en fera, Nous l'espérons, davantage [encore, malgré les attaques auxquelles elle s'est vue en butte de la part d'hommes passionnés; attaques contre lesquelles, du reste, Nous aimons à le dire, elle à trouvé aussi de vaillants défenseurs.

Les attaques, Nous les avions prévues. Partout où l'agitation des partis politiques remue profondément les esprits, comme il arrive maintenant en France, il est difficile que tous rendent de suite à la vérité cette pleine justice qui est pourtant son droit. Mais fallait-il pour cela Nous taire ? Quoi ! la France souffre et Nous n'aurions pas ressenti jusqu'au fond de l'âme les douleurs de cette Fille aînée de l'Eglise? La France qui s'est acquis le titre de Nation *très chrétienne* et n'entend pour rien l'abdiquer se débat au milieu des angoisses, contre la violence de ceux qui voudraient la déchristianiser et la rabaisser en face de tous les peuples, et Nous aurions omis de faire appel aux catholiques, à tous lé français honnêtes, pour conserver, à leur patrie cette foi sainte qui en fit la grandeur dans l'histoire? A Dieu ne plaise.

Or, Nous le constations mieux de jour en jour, dans la poursuite de ce résultat, l'action des hommes de bien était nécessairement paralysée par la division de leurs forces. De là ce que Nous avons dit et redisons à tous: « Plus de partis entre vous: au contraire, union complète pour soutenir de concert ce qui prime tout avantage terrestre: la Religion, la cause de Jésus-Christ. En ce point comme en tout, *cherchez d'abord le royaume de Dieu et sa justice, et le reste vous sera donné par surcroit.*

Cette idée-mère, qui domine toute Notre Encyclique, n'a pas échappé aux ennemis de la religion catholique. Nous pourrions dire qu'ils ont été les plus clairvoyants à en saisir le sens, à en mesurer la portée pratique. Aussi, depuis la dite Encyclique? vraie messagère de paix pour tout homme de bonne volonté, qu'on en considère le fond ou la forme, ces hommes de parti ont redoublé d'acharnement impie. Divers faits déplorables récemment arrivés, qui ont attristé les catholiques et même, Nous le savons, nombre d'hommes peu suspects de partialité envers l'Eglise, sont là pour le prouver. On a vu clairement où veulent aboutir les organisateurs de ce *vaste complot* comme Nous l'appelions dans Notre Encyclique, formé pour *anéantir en France le Christianisme.*

Ces hommes donc, saisissant, pour en venir à leurs fins, les moindres prétextes et sachant au besoin les faire surgir, ont profité de certains incidents qu'en d'autres temps ils auraient jugés inoffensifs, pour donner champ libre à leurs récriminations; montrant par là leur parti pris, de sacrifier à leurs passions antireligieuses l'intérêt général de la Nation, dans ce qu'il a de plus digne de respect.

En face de ces tendances, en face des maux qui en découlent, au grand préjudice de l'Eglise de France, et qui vont s'aggravant de jour en jour. Notre silence Nous eût rendu coupable devant Dieu et devant les hommes. Il eût semblé que Nous contemplions d'un œil impassible les souffrances de nos fils, les catholiques'français. On eût insinué que Nous jugions dignes d'approbation, ou pour le moins de tolérance, les ruines religieuses, morales, civiles amoncelées par la tyrannie des sectes antichrétiennes. On Nous eût reproché de laisser dépourvus de direction et d'appui tous ces français courageux qui, dans les présentes tribulations, ont plus que jamais besoin d'être

fortifiés. Nous devions surtout des encouragements au clergé, -auquel on voudrait, contre la nature de sa vocation, imposer silence dans l'exercice même de son ministère, alors qu'il prêche selon l'Evangile de la fidélité aux devoirs chrétiens et sociaux. Du reste, n'est-ce pas toujours pour Nous une obligation pressante de parler, quoi qu'il en avvienne, dès q'il s'agit d'affirmer Notre droit divin d'enseigner, d'exhorter, d'avertir, en face de ceux qui sous prétexte de distinction entre la religion et la politique, prétendraient en circonscrire l'universalité ?

Voilà ce qui Nous a déterminé, de Notre entière initiative et en pleine connaissance de cause, à élever la voix; et Nous ne cesserons de l'élever, chaque fois que Nous le jugerons opportun, avec l'espoir que la vérité finira par se frayer un chemin jusque dans les coeurs qui lui résistent, peut-être avec un reste de bonne foi. Et comme le mal que Nous signalons, loin de se limiter aux catholiques, atteint tous les hommes de sens et de droiture, c'est à eux aussi que Nous avons adressé Notre Encyclique, pour que tous se hâtent d'arrêter la France sur la pente qui la mène aux abîmes. Or, ces efforts deviendraient radicalement stériles, s'il manquait aux forces conservatrices Funité et la concorde dans la poursuite du but final, c'est-à-dire la conservation de la religion, puisque là doit tendre tout homme honnête, tout ami sincère de la société: Notre Encyclique l'a amplement démontré.

Mais le but une fois précisé, le besoin d'union pour l'atteindre une fois admis, quels seront les moyens d'assurer cette <omon ?

Nous l'avons également expliqué et Nous tenons à le redire, pour que personne ne se méprenne sur notre enseignement: on de ces moyens est d'accepter sans arrière-pensée, avec cette loyauté parfaite qui convient au chrétien, le pouvoir civil dans la forme où, de fait, il existe. Ainsi fut accepté en France le premier Empire, au lendemain d'une effroyable et sanglante anarchie; ainsi furent acceptés les autres pouvoirs, soit monarchiques soit républicains, qui se succédèrent jusqu'à nos jours.

Et la raison de cette acceptation, c'est que le bien commun de la société l'emporte sur tout autre intérêt: car il est le principe créateur, il est l'élément conservateur de la société humaine d'où il suit que tout vrai citoyen doit le vouloir et le procurer

à tout prix. Or, de cette nécessité d'assurer le bien commun,, dérive comme de sa source propre et immédiate la nécessité d'un pouvoir civil qui, s'orientant vers le but suprême, y dirige sagement et constamment les volontés multiples des sujets, groupés en faisceau dans sa main. Lors donc que, dans une société, il existe un pouvoir constitué et mis à l'œuvre, l'intérêt commun se trouve lié à ce pouvoir, et l'on doit, pour cette raison, l'accepter tel qu'il est. C'est pour ces motifs et dans ce sens que Nous avons dit aux catholiques français: Acceptez la République, c'est à dire le pouvoir constitué et existant parmi vous; respectez-le; soyez-lui soumis comme représentant le pouvoir venu de Dieu.

Mais il s'est trouvé des hommes appartenant à divers partis politiques, et même sincèrement catholiques, qui ne se sont pas exactement rendu compte de Nos paroles. Elles étaient pourtant si simples et si claires qu'elles ne pouvaient donner lieu semblait-il, à de fausses interprétations.

Qu'on veuille bien y réfléchir, si le pouvoir politique est toujours de Dieu, il ne s'en suit pas que la désignation divine affecte toujours et immédiatement les modes de transmission de ce pouvoir, ni les formes contingentes qu'il revêt, ni les personnes qui en sont le sujet. La variété même de ces modes dans le diverses nations, montre à l'évidence le caractère humain de leur origine.

Il y a plus. Les institutions humaines les mieux fondées en droit et établies dans des vues aussi salutaires qu'on le voudra pour donner à la vie sociale une assiette plus stable et lui imprimer un plus puissant essor; ne conservent pas toujours leur vigueur conformément aux courtes prévisions de la sagesse de l'homme.

En politique plus qu'ailleurs, surviennent des changements inattendus. Des monarchies colossales, s'écroulent ou se démembrent, comme les antiques royautés d'Orient et l'Empire romain; les dynasties supplantent les dynasties, comme celles des Carlovingiens et des Capétiens en France: aux* formes politiques adoptées, d'autres formes se substituent, comme notre siècle en montre de nombreux exemples. Ces changements sont loin d'être toujours légitimes â l'origine il est même difficile qu'ils le soient. Pourtant le *criterium* suprême 'du bien commun et de la tranquillité publique, impose l'acceptation de ces-

nouveaux gouvernements établis en fait à la place des gouvernements antérieurs qui en fait; ne sont plus. Ainsi se trouvent suspendues les règles ordinaires de la transmission des pouvoirs, et il peut se faire même qu'avec le temps elles se trouvent abolies.

Quoi qu'il en soit de ces transformations extraordinaires dans la vie des peuples, dont il appartient à Dieu de calculer les lois, et à l'homme d'utiliser les conséquences, l'honneur et la conscience réclament, en tout état de choses, une subordination sincère aux gouvernements constitués; il la faut au nom de ce droit souverain, indiscutable, inaliénable, qui s'appelle, la raison du bien social. Qu'en serait-il, en effet, de l'honneur et de la conscience, s'il était permis au citoyen de sacrifier à ses visées personnelles et à ses attachements de parti, les bienfaits de la tranquillité publique?

Après avoir solidement établi dans Notre Encyclique cette vérité, Nous avons formulé la distinction entre le pouvoir politique et la législation; et Nous avons montré que l'acceptation de l'un n'impliquait nullement l'acceptation de l'autre, dans les points où le législateur, oublieux de sa mission, se mettrait en opposition avec la loi de Dieu et de l'Eglise. Et, que tous le remarquent bien; déployer son activité et user de son influence pour amener les gouvernements à changer en bien des lois iniques ou dépourvues de sagesse, c'est faire preuve d'un dévouement à la patrie aussi intelligent que courageux sans accuser l'ombre d'une hostilité aux pouvoirs chargés de régir la chose publique. Qui s'aviserait de dénoncer les chrétiens des premiers siècles comme adversaires de l'Empire romain, parce qu'ils ne se courbaient point devant ses prescriptions idolâtriques^ mais s'efforçaient d'en obtenir l'abolition?

Sur le terrain religieux ainsi compris, les divers partis politiques conservateurs peuvent et doivent se trouver d'accord. Mais les hommes qui subordonneraient tout au triomphe préalable de leur parti respectif, fût-ce sous le prétexte qu'il leur parait le plus apte à la défense religieuse, seraient dès lors convaincus de faire passer, en fait, par un funeste renversement des idées, la politique qui divise avant la religion qui unit. Et ce serait leur faute, si nos ennemis exploitant leurs divisions, comme ils ne l'ont que trop fait, parvenaient finalement ¿les écraser tous.

On a prétendu qu'en enseignant ces doctrines, Nous tenions envers la France une conduite autre que celle que Nous suivons à l'égard de l'Italie; de sorte que Nous Nous trouverions en contradiction avec Nous-même. Et cependant il n'en est rien. Notre but, en disant aux catholiques français d'accepter le gouvernement constitué, n'a été et n'est autre encore que la sauvegarde des intérêts religieux qui Nous sont confiés. Or ce sont précisément ces intérêts religieux qui nous imposent, en Italie,, le devoir de réclamer sans relâche la pleine liberté requise pour Notre sublime fonction de Chef visible de l'Eglise Catholique^ préposé au governement des âmes; liberté qui n'existe pas, îa où le Vicaire de Jésus-Christ n'est pas chez lui, vrai Souverain-indépendant de toute souveraineté humaine. Que conclure de là sinon que la question qui Nous concerne en Italie, elle aussi est éminemment religieuse, en tant que rattachée au principe-fondamental de la liberté de l'Église? Et c'est ainsi que, dans Notre conduite à l'égard des diverses nations. Nous ne cessons de faire converger tout au même but: la religion et par la religion le salut de la société, le bonheur des peuples.

Nous avons voulu, Nos très-chers Fils, vous confier toutes ces choses, pour soulager Notre coeur et conforter en même temps le vôtre. Les tribulations de l'Église ne peuvent manquer d'être très amères pour l'âme des Évêques et plus encore pour la Notre, puisque Nous sommes le Vicaire de Celui qui donna, pour la formation de cette Sainte Église tout son sang. Ces amertumes cependant, loin de Nous abattre, Nous stimulent à Nous armer d'un plus grand courage, pour faire face aux difficultés de l'heure présente. Il en résulte aussi, pour Nous, un redoublement de zèle en faveur de cette France catholique d'autant plus digne de Notre affection paternelle, qu'elle sollicite de Nous, avec une confiance plus filiale, encouragement,, protection et secours.

Ces sentiments sont aussi les vôtres, Nos très chers Fils vous venez de Nous en donner la preuve, et Nous avions déjà pu Nous en convaincre quand vous veniez près de Nous les uns après les autres, Nous rendre compte de votre ministère* et conférer des intérêts sacrés dont Nous avons la garde. Parmi les motifs de confiance qui Nous réjouissent, cette unanimité est certes l'un des plus puissants, et Nous en remercions Dieu du fond de l'âme. Nous comptons sur la continuation de

votre empressement à seconder Nos paternelles sollicitudes pour ce cher pays de France. Et dans cette assurance, comme gage de Notre affection, Nous vous donnons, Nos très chers Fils, à vous, à votre Clergé, et aux fidèles de vos Diocèses, avec toute l'effusion de Notre cœur, la Bénédiction Apostolique.

Donné à Rome, le 3 Mai de l'année 1892, de Notre Pontificat la quinzième.

LEO PP. XIII.

(Versio latina)

Magna animi nostri laetitia vestras Literas accepimus, in quibus vos Epistolam nostram encyclicam Infer *gravissimas* una cum omnibus Galliae episcopis complecti sponte profitemini, Nobisque quod eam in lucem ediderimus gratias agitis, verbis amplissimis arctissimam unionem contestantes, qua Galliae Episcopi, praesertim vero sanctae Ecclesiae Cardinales, cum hac Petri Sede constringuntur.

Ista encyclica Epistola quoddam iam bonum operata est, atque, speramus, amplius adhuc operabitur; quamvis a turbulentis quibusdam hominibus, dicteriis iniuste impetatur. Contra huiusmodi hostiles aggressus, quod quidem Nos libenter effamur, permultos illa, eosque potentes, adsertores nacta est.

Hostiles hosce aggressus, Nos equidem praevidimus. Ubicumque fervens partium studium civium animos vehementer commovet, si quidem hodie in Galliam pervadit, admodum difficile continget, ut omnes illico veritati, quae tamen id iure exigit, plene atque integre obsequantur. Sed numquid idcirco Nobis tacendum est? Eheu! Afflicta tur Gallia, Nosque illius, quam dilectissimam Ecclesiae filiam nuncupamus, dolores in imis visceribus haud persentiamus? Gallia quae sibi Nationis *Christianissimae* nomen acquisivit, nec idem quovis pretio abdicare unquam velit, contra eorum vim, qui ipsam christiana religione orbare, et palam caeteris populis deprimere percupiunt, angoribus undique perstricta luctatur; et Nos Catholicos, omnes

honestos Galliae cives compellere omiserimus, ut natali eorum solo hanc sanctam fidem, quae Galliam ipsam in historia adeo magnam effecit, sollerter servaremus? Id a Nobis Deus avertat.

Iam vero, quod Nos in dies magis ac melius cognoscebamus, proborum hominum actio, cum in huiusmodi effectu obtinendo adlaborarent, divisis eorum viribus, omni ferme vi atque efficacia, necessario destituebatur. Hinc quod saepius hortati sumus, et nunc denuo hortamur: *Non sint in vobis schismata* (1 Cor. 1. 10); seu, ut aiunt, politicae factiones: sed potius perfecta animorum coniunctio, ut una simul quod omne terrestre emolumentum summopere praecellit, Religionem videlicet et Iesu Christi causam, omnes unice protueantur. Qua in re, quemadmodum et in ceteris omnibus, meminerint Christi verba « Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis ». (Matth. VI. 33.)

Haec autem idea, quae in tota illa nostra encyclica Epistola tamquam praecipua dominatur, Catholicae Religionis hostes non latuit, non fugit. Nos affirmare possumus, eosdem in eius sensu intelligendo, atque in eius practica vi et efficacia cognoscenda perspicacissimos profecto fuisse. Atque ita post hanc encyclicam Epistolam, hominibus bona voluntate praeditis verum pacis nuntium, sive eius substantia penitus consideretur, sive eius forma, homines isti partium civilium fautores impium in Ecclesiam bellum con geminar unt. Quaedam satis luctuosa facta, quae recens evenerunt, quaeque catholicos istic, imo etiam, Nos id probe novimus, plerosque Cives de speciali erga Ecclesiam dilectione parum certe suspectus, tristitia affecerunt, id evidenter comprobant. Clare ac dilucide ab omnibus perspectum est, quo spectarent huius adeo vastae conspirationis auctores, uti eam in nostra encyclica Epistola appellamus, quae ad» christianam Religionem in Gallia omnino delendam instituta fuit.

Isti ergo homines praetexentes, ut ad sua consilia perficienda perveniant, quaslibet vel parvulas causas, et probe callentes, quando opus est, novas etiam effingere ac comminisci, quibusdam fortuitis eventibus, qui quidem aliis temporibus prorsus innoxii habiti fuissent, ut suis insimulationibus latum campum liberumque aditum praeberent, opportune usi sunt: facto ipso animi sui propositum patefacientes, propriae opinioni, atque irreligiosis cupiditatibus commune. Nationis bonum, et quidem

quatenus Religionem spectat, quod est maxime omnium bonum reverentia dignum, immolandi.

Prae hisce adeo pravis cupiditatibus, prae ceteris majis, quae in Ecclesiae Galliaeque iacturam inde scatent, quaeque in dies peiora ac graviora fiunt, silentium nostrum (aiunt) coram Deo et hominibus reos Nos reddidit. Visi sumus filiorum nostrorum, cuiusmodi nimirum sunt omnes Galliae Catholici, luctum atque angores siccis oculis contemplari. Sparsum praeterea in vulgus studiose fuit, religiosas, morales, civilesque ruinas istic ab impiarum Sectarum tyrannide congestas, approbatione, aut saltem tolerantia, dignas a Nobis existimari. Nobis insuper exprobratum fuit, omnes istos per quam strenuos Gallos, qui in hisce publicis calamitatibus, nimio plus quam alias, praesidio indigent, Nos consilio et ope destitutos reliquisse.

Nos demum Clero praesertim favere atque animos addere debuisse; cui contra proprii, quo fungitur, muneris naturami, silentium in ipso sacri Ministerii exercitio, dum iuxta Evangelium Christianis civilibusque officiis fidelitatem atque observantiam exhibendam e suggestu in Templis praedicat, indicere adversarii vellent.

Ceterum nonne semper Nobis est urgens loquendi obligatio, quidquid inde eveniat, quoniam divinum ius nostrum docendi, exhortando monendi, magna contentione adseritur, contra eos, qui falso distinctionis obtentu Religionem inter ac Regni seu Reipublicae ius, eiusdem divini nostri iuris universalitatem circumscribere velint?

En igitur quod Nos motu omnino proprio, ut aiunt, et plena cum causae cognitione ad vocem attollendam induxit; nec eam unquam attollere desistemus, quoties id Nobis opportunum videbitur, fore sperantes, ut veritas ipsa per se ad eorum animos, qui cum aliquo fortasse bonae fidei residuo ipsi resistunt, sibi viam patefaciat. Quoniam vero mala quae hic recensemus, non ad Catholicos solummodo spectant, sed et cordatos quosvis rectosque viros aeque percellunt, proinde ad istos etiam Epistolam nostram Encyclicam direximus, ut omnes Galliam in declivi, quod eam ad abyssum procul dubio tra ducit, sistere festinent. Atqui hi conatus omnino steriles évadent, si sociorum vires animorum coniunctio et concordia deficiant quando praecipuus scopus obtinendus agitur, qui quidem est Religionis: eo quippe omnes honesti probique homines, omnes sinceri huma-

nae societatis amici spectare profecto debent. Id nimirum in nostra encyclica Epistola amplissime demonstravimus.

Sed scopo semel praestituto, admissâque eiusdem assequendi necessitate, quaenam ad hanc animorum coniunctionem certo obtinendam adminicula erunt? Id Nos aeque in eadem Epistola satis explica vimus, atque iterum, ne quis forte circa nostras praeceptiones decipiatur, idipsum hic edicere Nobis placet. Ex his ergo adminiculis unum est, « sine ulla animi dubitatione, sincera ac plena fide, quae hominem christianum decet, civilem Potestatem, qualibet tandem forma reapse constituta existat, accipere ac sponte subire». Ita acceptum in Gallia fuit primum Imperium post horrendam cruentamque anarchiam: atque ita cetera Regimina sive Monarchica, sive Democratica, quae ad hunc usque diem istic subinde contigerunt.

Huius vero acceptionis ratio est ipsum commune humanae societatis bonum, quod omne aliud bonum praecellit: hoc enim est eiusdem societatis principium efficiens, atque elementum conservans; ex quo fit, ut quilibet verus civis illud velle et curare quoquo pretio debeat. Iam vero ex hac necessitate commune bonum comparandi firmandique, tamquam ex proprio proximoque fonte civilis alicuius Regiminis necessitas derivatur; quod supremo societatis seu Nationis scopo obtinendo sese accommodans, eo multiplices subditorum voluntates, quas manu sua quodammodo, velut mergites, constrictas tenet, sapienter ac constanter dirigat. Quando igitur in aliqua hominum Societate aliquod Regimen constitutum existit, et reapse agit et agnoscitur, commune eiusdem societatis bonum huic Regimini se quodammodo colligatum sentit, et istud qualecumque sit, hac ipsa de causa excipiendum ab omnibus est, ac subeundum. Ob hanc potissimum rationem, atque hoc nimirum sensu Galliae Catholicis ediximus: Rempublicam excipite, videlicet constitutum Regimen ac penes vos consistens: illud reveremini, eique tamquam potestatem, quae a Deo est, praeseferenti, subiecti sitis.

Sed quidam homines ad politicas factiones invicem contrarias pertinentes, atque eodem tempore sinceri catholici istic reperiuntur, qui utrum verba nostra recte intellexerint, nec ne, nondum a se rationem ipsi repetierunt. Eadem tamen adeo simplicia ac perspicua erant, ut falsae interpretationi locum dare haud posse viderentur.

At hic sedulo quisque velit expendere : etsi civilis Potestas semper a Deo est, nequaquam tamen inde consequitur, divinam designationem etiam huius Potestatis transmittendae modos, sive variabiles, quas illa praesefert, formas; sive demum personas, quae eadem illa potestate funguntur, semper ac proxime afficere. Ipsamet horum in diversis Nationibus modorum varietas, humanam eorumdem profecto originem fuisse evidenter demonstrat.

Addendum praeterea est, humanas quaslibet institutiones, etiam omnium maxime in iure fundatas, atque optima voluntate constabilitas, quam quispiam desiderare unquam possit, quo firmior vitae sociali status et validior eidem praebeatur impulsus, neutiquam semper, iuxta labiles humanae sapientiae praevisiones, vigorem suum conservare.

In re iureque publico saepius ac facilius, quam alibi, inopinae immutationes contingere solent. Monarchiae praegrandes ac firmissimae evertuntur, vel distrahuntur; quemadmodum vetusta Orientis Regna, et Romanum Imperium: Dynastiae alias Dynastias elidunt; quemadmodum Carolovingiorum Capetiorumque Dynastiis in Gallia contigit: prioribus Regiminum formis iamdiu adoptatis aliae subinde sufficiuntur; cuius rei saeculum ipsum nostrum pleraque exempla nobis suppetit. Huiusmodi immutationes haud sunt profecto semper in sua origine legitimae; nec item facile tales esse possunt. Supremum tamen boni communis et tranquillitatis publicae criterium nova Regimina facto ipso constituta loco priorum quae amplius non existunt, cives omnes accipere ac sponte subire iubet. Itaque civilis Potestatis in successores transmittendae leges ordinariae suspensae manent; atque itidem fieri potest, ut et hae novae formae, aliquo elapso tempore, penitus aboleantur.

Quidquid vero sit de istis veteris formae immutationibus in vita populorum idemtidem contingentibus, quarum leges librare ac moderari ad Deum unice spectat, et ad homines ex earum consectariis utilitatem capere, civile decus et conscientia exigunt, ut quaecumque sit rerum conditio, sinceram observantiam atque obedientiam Regimini iam constituto exhibeamus. Id quidem nomine huius supremi iuris, quod nec discuti, neque amitti potest, quodque ratio boni communis appellatur, praestare iubemur. Quid enim de civili decore atque conscientia fieret, si cuique civium propriae opinioni, qua vel uni, vel alteri poli-

ticae factioni servit favetque, publicae tranquillitatis bonum immolare liceret?

Nos posteaquam hanc veritatem in nostra encyclica Epistola validis argumentis comproba vimus, distinctionem inter civilem potestatem et legislationem ipsam dissertis verbis statuimus, ac demonstravimus, unius acceptionem acceptioni ulterius nequaquam implicari; si quando Legislator sui muneris oblitus, Dei atque Ecclesiae legibus adversetur. Et quod ab omnibus sedulo expendi velimus, qui propriam vim virtutemque explicet, suaque, qua valet, auctoritate utatur, ut Reipublicae Rectores iniquas, aut imprudentes leges in bonum vertant, is reapse veram devotionem, aeque sapientem ac strenuam, erga Patriam ostenderet, quin contra civilem potestatem, cui rei publicae administrandae provincia demandata est, hostilitatis speciem praeseferat.

Quis enim vero unquam priorum temporum Christianos tamquam Romani Imperii hostes insimulet, quod sese idololatris Imperatorum edictis nullo pacto accommodaret, sed ut eadem abolerentur enixe curaverint?

In re ac ratione religiosa ita intellecta, oppositae invicem civiles factiones una simul convenire et possunt et debent. At vero hi homines, qui istic inter vos omnia praevio suae factionis, cui nimirum serviunt, triumpho subiicere parati sunt, etiamsi fortasse causam praetexentes, quod illa sibi ad Religionis defensionem aptissima omnium videatur, iam tum nihilominus facto ipso ostenderent, apprime se persuasum habere, politicen quae dividit, Religioni quae animos copulat, funesta prorsus idearum inversione, praeferendam esse. Atque iisdem tribuendum culpae est, si adversarii nostri eorumdem divisionibus abutentes, prout heu ! nimio plus reipsa factum est, ad illos ipsos, quotquot sunt, conterendos perveniant.

Assertum utique est, Nos hasce praeceptiones tradentes^ alia prorsus erga Galliam incedere via, ac erga Italiam ; ita ut ipsi Nobis contradicere videamur. Atqui hoc falsum omnino est. Noster enim scopus cum Nos Catholicos Gallos hortamur, ut constitutum Regimen accipiant ac sponte subeant, nec fuit, nec alius in praesenti est, quam quae Religionis summopere intersunt, quaeque Nobis curanda tradita sunt, sarta tectaque servare. At vero hae adamussim Catholicae Religionis rationes Nos in Italia compellunt, ut ex officio plenam atque integram

libertatem quam sublime munus, quo uti visibile Ecclesiae Catholicae Caput, et Fidelium animabus regendis praepositi, Nos fungimur, omnino exigit, sine intermissione postulemus: libertatem, quae ibi prorsus abest, ubi Iesu Christi Vicarius nequaquam summa potestate, nulli alii humanae potestati obnoxia, reipsa praeest. Quid inde consequitur? nisi quaestionem, quae in Italia Nos attingit, ad Religionem maximopere spectare, et quidem Principio ex praecipuis, quod est Ecclesiae libertas, arctissime colligari. Atque hanc ob causam in nostra cum exteris Nationibus, inter se apprime diversis, agendi ratione, ut omnia ad eumdem scopum obtinendum vergant, assidue satagimus; qui alius non est, quam Religio, et per Religionem societatis humanae salus, et populorum felicitas.

Nobis placuit, charissimi Filii, nostri cordis solandi gratia, vestrumque eodem tempore confirmandi, Vobis speciatim haec omnia patefacere. Ecclesiae quidem aerumnae Episcoporum animis, at praecipue Nobis amarae nimis esse solent; Nos enim illius vices in terris gerimus, qui pro S. Ecclesia in mundo statuenda totum suum effudit sanguinem. Sed tamen huiusmodi animi angores nequaquam Nos deiiciunt; imo potius excitant. Nobisque addunt animos, ad Nos maiori virtute ac fortitudine instruendos armandosque, ut his, quibus angimur, difficultatibus, uti par est, obsistamus. Igitur exinde eo maior zeli atque amoris vis erga Galliam Catholicam in Nos accedit, quo magis ipsa paterno nostri cordis affectu digna est, quem eadem et eximia in nos filiali fiducia, singulari praesidio, atque collata ope a Nobis mirifice provocat.

Huiusmodi animi nostri sensus, filii charissimi, sunt etiam vestri: cuius rei nunc Nobis testimonium exhibuistis; sed idipsum iidem per Nos iam tum cum vos de Ministerii vestri opere rationem Nobis reddituri, ac de ecclesiasticis negotiis, quae Nobis tuenda concredita sunt, Nobiscum coli aturi ad Nos singillatim veniebatis, affatim ipsi cognoscere potuimus.

Inter plerasque fiduciae causas, quae Nos laetitia afficiunt,, isthaec animorum concordia ex praecipuis una profecto est, atque de ea ex animo Deo gratias agimus. — Nos fore confidimus, ut vos vestrum studium vestramque curam ad paternas nostras sollicitudines pro ista Nobis dilecta Regione, Gallia, obsecundandas conferre assidue pergatis.

Atque in hac firma spe Nos tamquam nostri erga vos amo-

ris pignus, Vobis, charissimi Alii, vestru ciero, et fidelibus vestrae Dioecesis Apostolicam Benedictionem toto intimi nostri cordis affectu impertimus.

Datae Romae, die tertia Mair anno Domini MDCGCXCII Pontificatus nostri XV.°

LEO PAPA XIII.

LITTERAE SSmi. D. N. Leonis XIII ad Ordinarios Americae septentrionalis quoad conventionem Archiep. s. Pauli super duas scholas catholicas.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.— Quae coniunctim a vobis perscriptae sunt litterae ex aede Archiepiscopali Neo-Eboracensi, quo coivistis consecrationi Brooklyniensis Episcopi adfuturi, duplici Nos voluptate affecerunt. Patebat enim ex iis animus vester cum de religiosa puerorum institutione sollicitus, tum effundendi cupidus dubitationes et •anxietates suas in gremium Nostrum, semper ad eas benigne excipiendas paratum. Ne quid itaque vestris haereret mentibus quod anxias illas et incertas efficeret, datis vicissim litteris vos adire decrevimus: hasce autem non modo nuncias esse volumus paternae erga vos caritatis Nostrae, sed etiam testes sollicitudinis, quam gerimus de fidelibus amplissimam incolentibus regionem foederatorum civitatum Americae Septentrionalis, quae propter incrementa, quibus se istic explicat catholica religio, et praesens Nobis gaudium affert, et rerum laetiorum in posterum expectationem. Plane haec sollicitudo Nos curae expertes esse non sivit inter controversias -et disputationes nuper istic ortas et animis incalescentibus aetas propter conventionem initam inter Ven. Fratrem Archiepiscopum S. Pauli et civiles Magistratus circa duas e pluribus scholis paroecialibus, quas ille considerat multo cum studio in credita sibi dioecesi. In huius miserae con certationis aestu mirum non est si falsa nonnunquam nunciarentur pro veris et quae suspiciose cogitata fuerant vulgi rumore percrebrescerent. Haec equidem graviter molesteque tulimus; nisi enim tempestive eo cura Nostra conversa fuisset, verendum erat ne intercideret vel magna ex parte deficeret perfecta animorum consensio studiorumque communium in unum

conspiratio, quam sedulo retineant oportet sacrorum Antistites et Nos fovere adnitimur quavis ratione et ope. Propterea memores officii Nostri quod postulat, ut in disceptatione causarum quarum notio et indicatio ad Nostrum pertinent ministerium, cuncta sedate expendamus et procul omni partium studio, animum ita comparatum causae cognoscendae applicuimus, quam praelaudatis Archiepiscopus Nobis definiendam attulit profitens se prompte et omnino parituram sententiae Nostrae, quaecumque demum ea foret, quae sane protestatio in ipsius laudem cedit et a Nobis non poterat vehementer non probari. Quum porro naviter dederimus operam ut plenissime Nobis factorum veritas fieret explorata, recteque aestimaretur rationum pondus quae utrinque afferebantur, constituto peculiari coetu Patrum Cardinalium ex iis delecto quibus sacrum Consilium constat christiano nomini propagando, qui sese huic studio addixit diligentia singulari, propositam quaestionem eo responso dirimendam censuimus quod dilectus filius Noster Cardinalis eidem sacro Consilio praefectus iussu Nostro patefieri curavit ecclesiarum Praesulibus quae in civitatibus foederatis sunt Americae Septentrionalis. Quo pressius autem illud urgeamus quod animos vestros angebat, vosque ad scribendum permovit, certiores vos fieri volumus, neminem in hoc iudicio suspicionem Nobis iniecisse timendum fore ne infesta aliqua vexatio catholicis impenderet si ea quae gesta fuerant ab Archiepiscopo S. Pauli circa scholas in oppido sitas *Faribault* et *Stillwatter* a Nobis essent improbata. Quum neque idem Ven. Frater nec alius quilibet huius periculi mentionem fecerit, liquet ex mendaci vulgi rumore famam esse obortam, quae vos in inanem prorsus et falsam opinionem adduxit. Nos enimvero ad huiusce causae cognitionem iudiciumque animum attulimus probe memorem studiosumque decretorum quae, praemonente hac Apostolica Sede, in Synodis Baltimorensibus super scholis paroecialibus conscita sunt. Haec quidem constanter servari volumus; quoniam vero hoc cunctis inest legibus generalibus ut, siquid singulare eveniat nec opinatum, factum tolerari queat, suadente aequitate, quod nonnihil a verbo legis recedat, facile comperimus casum hunc incidisse; proinde moderatione ac prudentia duce potiusquam legis rigore, rem de qua agebatur iudicandam esse rati sumus. Ceterum inter sacros vestrae regionis Antistites, quo huius Sanctae Sedis observantissimos novimus

et experti sumus quum afl Nos accederent, quispiam numquam, nemine prorsus excepto, visus est ambigere de doctrina ab ea tradita circa scholas in quibus catholicos pueros institui oportet. Una scilicet omnium sententia est negantium scholas probari posse *neutras* nempe religionis expertes, sed unanimiter *confessionales* asserunt (prout in regionibus evenit quas acatholicis permixti fideles incolunt), scholas nimirum in quibus pueri religionem rite docentur ab iis quos huic magisterio pares Episcopi agnoverint. Praestat itaque, Venerabiles Fratres, ut una cum ceteris Dioecesium Praesulibus regionis istius connitamini consiliis studiisque paribus ne pueri catholici eos celebrent litterarios ludos in quibus religiosa' eorum institutio praetermittitur apertumque imminet mores pervertendi discrimen. Quare vehementer optamus, prout vobis significatum est per sacrum Consilium christiano nomini propagando, ut in proximis Episcoporum conventibus sedulo deliberatis" de rationibus ineundis quae huic fini assequendo potissime conferant Cupimus praeterea vos enixe contendere ut qui summae rei praesunt in civitatibus singulis, probe agnoscentes nihil esse ad salutem rei publicae religione praestantius, sapientium legum latione prospiciant, ut docendi ministerium, quod publicis sumptibus adeoque collatis etiam catholicorum opibus exercetur, nihil habeat quod eorum conscientiae officiât aut religionem offendat. Nobis enim persuasum est cives quoque vestros qui a Nobis dissident, pro ea qua praestant ingenii vi et prudentia, facile abiecturos suspiciones opinionesque Ecclesiae catholicae infensas ultroque agnituros eius merita quae, ethnica barbarie per evangelii lumen depulsa, novam progenuit societatem, christianarum virtutum decore omnique cultu humanitatis insignem. Hisce autem perspectis passurum esse enim istic putamus, ut catholici parentes cogantur ea condere tuerique gymnasia et scholas, quibus uti nequeant ad filios suos instituendos. Interim eo reversi unde digressi sumus fore confidimus ut perlectis litteris hisce Nostris, uil triste aut tetricum in animis vestris resideat quod iis vel levem nubeculam offundat. Certum imo Nobis est arctius in dies vos clevinctum iri perfectae caritatis nexibus cum ceteris Venerabilibus Fratribus, quos vobiscum communis patriae nomen, pastoralis ministerii consortio et par in omnes benevolentia Nostra coniungit. Sit vobis cor unum et anima una, a "detisque concordia viribus pergite adla-

borare alacriter ad gloriam divini nominis et animarum salutem. Quo vero uberior ex laboribus vestris fructus promanet, propitiam vobis deprecamur Omnipotentis opem, eiusque in auspicium apostolicam benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, Clero et fidelibus vigilantiae vestrae commissis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIII Maii anno MDCCCXCII. Pontificatus Nostri decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

IPPOREGIEN.

EXEMPTIONIS

Die ***23*** *Ianuarii* ***1892.***

Per summaria precam.

COMPENDIUM FACTI. Capitulum cathedralis Ipporegiensis exposuit S. Congregationi, in huius saeculi exordio Canonicos possedisse praebendam propriam, distinctam suis nominibus cum propriis oneribus et reditibus. Hisce extenuatis a gallica revolutione tandem praebendae canonicales alienatae a gubernio Napoleonis fuerunt.

Redintegrato gubernio pedemontano, parvi reditus, qui naufragio superfuerant, cum aliqua auctione in massam com^ munem collecti fuerunt, relicta seorsim parte pro distributionibus chori. Et ita onera et reditus divisi et assignati unicuique canonico, ut quisquis, praeter turnum servitii, missas conventuales pro benefactoribus in propria hebdomada, litare debeat circa 60 missas. Animadvertendum est, haec onera missarum adhuc retinere praebendarum nomina, quibus annexa fuerunt. Ante annum 1885 his missis lectis

assignata fuerat eleemosyna duarum libellarum vel unius cum dimidio, quatenus dici deberent ad altare determinatum vel non. Nunc autem ex deliberatione capituli, cum approbatione Episcopi, illarum eleemosynarum summa adnexa fuit communi massae praebendarum; sed initio cuiusvis anni et mensis assignatur unicuique canonico numerus aequalis harum Missarum, cum onere faciendi satis.

His praemissis, significabat Capitulum, canonicum archipresbyterum Iosephum Destefanis, qui expleto laudabili quadragenario servitio a **S.** C. C. iubilationis indulto recenter donatus fuit, se ab onere celebrandi huiusmodi missas, antiquis praebendis inhaerentes, exemptum putare, ac idcirco quoad hoc controversiae punctum sapiens EE. VV. oraculum expostulabat.

Disceptatio Synoptiea.

QUAE ADVERSANTUR CANONICO IUBILATO. Sententia quidem Capituli est, praefata onera etiam canonicis iubilatis incumbere, idque sive ex iure, sive ex peculiari Cathedralis Ipporegiensis consuetudine comprobari autumat. Revera ex iis quae superius relata fuerunt, missae de quibus controvertitur videntur esse specialia onera singulis praebendis a piis fundatoribus adnexa , quas per massae communis constitutionem, naturam suam haud immutasse dicendum est ; eo vel magis quod pro eorum , satisfactione, paucis abhinc annis canonico celebranti, seorsim a beneficii fructibus, eleemosyna rependebatur. Iamvero ad haec specialia opera iubilationis indultum extendi non posse tenuit pluries S. C. C. ac praesertim in *Constantien. Iubilationis, diei 5 Maii1737,* in *Montisfalisci Iubilationis IO Septembris 1853,* in qua postrema **S.** C. noluit iubiiatum eximere a quibusdam missis ex peculiari legato in rurali aedicula celebrandis, nec non in *Civitatis Castellanae 15 Iulii 1820,* et in *Pistorien. Iubilationis 7 Augusti 1773,* ubi etiam allegatur *Praenestina Distributionum, Ii Martii et 1 Aprilis 1662.* Quod si aliter statutum aliquando fuerit, discrimen a regula ge-

nerali non aliunde repetendum quam ex variis casuum circumstantiis et ex peculiaribus cuiusque ecclesiae statutis et consuetudinibus, ceu probe monet folium S. C. in *Reatina Missae Conventualis 26 Ianuarii 1850 § Re quidem vera.*

Porro in decernendis iuribus et exemptionibus canonici iubilati, uti praecipua ratio haberi solet consuetudo, cui adhaerendum esse etiam si ecclesiae statutis opponatur, docuit apertis verbis S. O. in *Tudertina* relata in *lib. 1. Decret, pag. 86,* et pluribus resolutionibus deinde firmavit. Quae autem observantia in Ipporegiensi capitulo quoad haec vigeat, enuntiatur a canonicis his verbis: usque adhuc canonici iubilati nostrae recordationis, his oneribus satisfecerunt sicut ceteri canonici.

Praeterea perpendi posset quod licet iubilationis indultum sit, quodam respectu, favorabile, attamen sub alio respectu est etiam odiosum, ut eruitur ex *Piacentina Iubilationis 28 Iulii 1787 § Etsi,* et ex *Constantien. 4 Maii 1732.* Quod in themate praesertim tenendum videretur, nedum ex generica ratione quia ecclesiae servitium imminuitur, verum etiam quia plurium missarum celebratione, quarum eleemosynam iubilatus perciperet, ceteri canonici onerarentur. Unde forsan aequum esset rem odiosam restringendo, benigne Capituli Ipporegiensis preces excipere.

QUAE PAVENT CANONICO IUBILATO. Nihilominus prae oculis pariter habendum est, iubilatum militi comparari, qui « confectis stipendiis, arma deponit et relicto officio quod gerebat, ad propria veteranus rura dimittitur, ut et ipse exercitae laboribus vitae quietem consequatur et alios spe futurae quietis subeundis faciat operibus promptiores. » Scarfantonius ad *Ceccop. lib. 3 Animadv. ad tit. 6. n. 9.* Proinde S. C. C. indulta iubilationis uti causas favorabiles respicere consuevisse; ita ut proprius ad rem inferri potuerit in Xw*cana Exemptionis 16 Aprilis 1852 § Ceterum:* « hanc fuisse S, Congregationis disciplinam, ut nimirum canonicos iubilatos exemptos putaverit a celebratione missarum vel conventualium vel capitularium, sive per se, sive per alium. » Cui

consonat *Spoletana Iubilationis, diei IS Augusti et 24 Novembris 1770, Balneoregien. 19 Augusti 1713* et *Praenestina 5 Septembris 1835,* in quibus canonici iubilati ah oneribus, quomodocumque capitulo inhaerentibus, exemptionem obtinuerunt. Imo in citata Praenestina, proposito dubio: « *An canonici iubilati Terrae Cavarum teneantur tot alias missas lectas, ad massam communem non pertinentes, applicare, iuxta morem Praenestinae cathedralis in casu;* » responsum prodiit : < *Negative.* >

Relate yero ad onerum naturam, quibus iuxta Capitulum praegravandus esset canonicus Destefanis, nec non ad superius assertam consuetudinem, praestat ipsius canonici deductiones audire , ait enim : onera specialia non habentur in hoc capitulo ; cuius praebendas gubernium gallicum suppressit; quae in redintegratione gubernii pedemontani, novam acceperunt dotem conversam in communem massam. Disparuerunt hinc praetensa onera specialia una cum dote et reditibus quibus onera innitebantur. In obsequium tantummodo antiquorum fundatorum, capitulum assumpsit onus missas litandi nonnullas, in eorumdem suffragium, obligationem imponendo massae communi. Ad hoc implendum onus, acto tempore, capitulum diribuerat missas inter praebendatos singulos, constituendo pro qualibet missa eleemosynam unius libellae cum dimidio, et duarum libellarum pro litandis apud constitutum altare. Tali ratione horum onerum implementum, utile erat. celebrantibus et ab eiusmodi commodo numquam abalienati fuerunt iubilati, et hoc ipsum commodum erat quoque in votis canonici curati et poenitentiarii, qui speciali fruuntur praebenda, a massa communi separata. Capitulum anno 1885 expedire censuit ut assumeretur harum missarum celebratio, ceu gratuitum onus, relinquendo in massa communi, eleemosynas respectivas, quae percipiebantur ceu redditus massae ad quem ius non habent canonici, qui de massa non participant. Consuetudo invocata respicit tantum annum 1886, et limitatur ad octo missas, quae reperiuntur notatae in regestro. A quo unico facto vinculari nequeunt successores.

Quibus admissis, contraria argumenta, sive ex iure, sive ex consuetudine desumpta, penitus corruerunt.

Hisce praenotatis, quaesitum fuit quomodo esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re disceptata sub die 23 Ianuarii 1892, censuit respondere: *Canonicum iuhilatum in casu teneri ad celebrationem Missarum.*

MELBVITANA

MISSAE PRO POPULO

Die 9 Aprilis 1892.

Sess, 24 cap. 12 de reform.

COMPENDIUM FACTI. Leopoldus Farrugia parochus ecclesiae oppidi Hompesch vulgo Casal Zabbar in Dioecesi Melevitana, S. C. exposuit « in sua paroecia, nullum de clero, praeter ipsum parochum, qui ratione beneficii ecclesiae suae inservire tenetur, stricte addictum esse. Tamen diebus dominicis et festis de praecepto duas ibi missas, prouti in Collegiatis ecclesiis mos est, celebrari solere, quarum prima summo mane lecta et absque ulla pompa, in qua fit explicatio s. Evangelii et cum applicatione pro populo: altera vero, die iam facto quae, cantata hora tertia, postea decantatur solemnis cum ministris, interventu cleri etc., et haec missa parochialis appellatur uti conventualis in Collegiatis.

« Praeterea in dicta paroecia in nonnullis festivitatibus solemnioribus, pro celebratione dictae missae parochialis solemnis nonnulla adesse legata, quae vel ideo instituta verosimilius fuere, ne celebrationes harum solemnitatum ex defectu cleri intermitterentur. Etre quidem vera in diebus 2. et 3. festi vitatum tam Paschatis, quam Pentecostes, quan<quam hae sint ex solemnioribus, tamen ante fundationem factam, nulla missa cantata solemnis celebrabatur, et praeterea Ordinarii in sacris Visitationibus pluries mandarunt ut

clerus ad functiones interveniat, sed sub poena tantum privationis emolumentorum, quae vulgo *communia* dicuntur, pro hebdomada immediate sequenti. »

His vero aliisque praemissis, commemorabat quod licet « missa pro populo onus sit reale et personale, tamen Benedictus XIV in Const. *Cum semper,* nonnullos casus exceptionales statuit, in quibus sufficit, ut missa pro populo ab alio celebretur, quorum casuum unus est ille quando parochus est etiam canonicus. » Hinc petebat:

« I. An casus exceptionalis pro canonicis parochis, applicari etiam possit pro parocho simplici, ita ut legitime fundatione accepta, possit parochus ut dignior celebrare, missam can tatam solemnem in similibus festivitatibus, et substituere sibi alium pro missa pro populo.

« II. Et quatenus negative, an possit celebrare missam cantatam solemnem cum applicatione pro populo, et substituere alium pro intentione legati.

« III. Et quatenus ' negative ad utrumque, humillime postulat pro gratia speciali in maioribus festivitatibus et in missis quae habent benedictionem aliquam adnexam, ut sic decor functionum servetur. »

Episcopus, ceu de more, rogatus, retulit praxim esse ab immemorabili hac in Dioecesi celebrandi in ecclesiis paroecialibus, cunctis diebus dominicis et festis anni, missam conventualem cum cantu, praeter illam, quam sub aurora legere solet parochus et in ea sacrum explanare evangelium; attamen ex causis inferius exponendis opinatus est haud rationem inde erui, ob quam parochus possit hisce festis diebus vel in celebratione missae pro populo sibi alium substituere, vel applicationem commutare. Verum petitioni tertio loco expressae votum suum favorabile adiecit.

Disceptatio Synoptica

QUAE FACIUNT PAVORE PAROCHI. Quoad primum dubium,, certum est, quod etsi parochi per seipsos missam pro populo sibi commisso celebrare teneantur, nihilominus haec iuris

dispositio urgere desinit, si iusta causa concurrat. Revera in Mechlinien. *25 Septembris 1847,* cum a S. C. quaesitum fuisset sub num. 3.: « *An parochi ipsi S. Missae sacrificium pro populo offerre debeant si legitima causa non impediantur, an vero per alium ex. gr. sacellanum aut presbyterum advenam, huic officio satisfacere possint;* » rescriptum fuit : « *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, exceptio casu verae necessitatis et concurrente causa canonica.* » Quod pariter definitum fuerat in Viterbien. *3 Martii 1708 ad 2. dub.* in Comen. *2 Maii 1720.* in Sylvae Ducis *diei 11 Martii 1843,* ac recenter in Policastren. *14 Decembris 1872 ad 3. dub.* Tota igitur quaestio ad id coarctari posse videretur, num causa ab archipresbytero Farrugia allata inter canonicas sit accensenda. Porro ut ipse innuit, in celebri Constitutione *Cum semper oblatas § 17,* Benedictus XIV iussit ut qui, praeter munus canonici vel beneficiarii, in eadem vel in alia ecclesia curam parochialem exercent, debeant missam conventualem pro ecclesiae benefactoribus in genere applicare, atque alterum substituere qui ea ipsa die pro populo missam celebret et applicet. Haec vero et in themate, cum pariter agatur de missa conventuali vim exerere forsan dicendum esset, nec omnino absonum videretur legis principium invocare quod « ubi eadem est ratio, eadem debeat esse iuris dispositio. » Insuper animadvertendum est, quod licet missarum solemnium celebratio inter iura parochialia minime connumeretur, tamen ex De Luca *De parochis disc. 30,* nec non ex pluribus S. C. C. resolutionibus erui, eam ad parochum spectare quatenus ille sit rector ecclesiae. Mantuana *Iurium parochialium 3 Iulii 1676,* Nullius seu Nonantulana *17 Februarii 1685,* Bononien. *17 Novembris 1691,* Regien. *5 Augusti 1719* etc. Unde argui posset, quod sicut parochi alium in applicatione missae pro populo substituere valent, ut onera sui canonicatus vel beneficii adimpleant, ita prohiberi nequeunt ab eadem subrogatione, quoties munera rectori ecclesiae competentia exercere velint.

His accedit quod obligatio missae pro populo verbis Tridentini *Sess. 23 cap. 1 Be Reform,* praecipue innititur, ubi divino praecepto mandatum esse apparet « omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, Sacramentorum administratione ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cetera munia pastoralia incumbere. » Iamvero cum hae officii parochialis partes una simul ibi describantur ac quasi eiusdem 'naturae et ordinis enuntientur, consequeretur earum singulas eodem prorsus modo quoad executionem urgere. Aequiparatorum enim eadem est ratio et disciplina, vulgatis iuribus ; De Luca *Be emphit. disc. 50 n. 7 in fin.* Rota *Iuris honorifici super petit. 24 Martii 1702 § Q%iapropter cor. Molines.* Ast infitiandum haud videretur, munia de quibus Tridentinum íoquitur, quamvis parochi personam indubie onerent, exequi ab eo posse modo per seipsum, modo per substitutum, ut quotidiana praxis ostendit. Quare omnino respuênda non esset, saltem in themate, sententia Cavalerii, qui *Tom 3 op. lit. cap. 8 ad decr. 15 n. 3,* tenet « necessarium non esse tam scrupulose in hac re parochos progredi, sed levi etiam de causa non infrequenter supplere posse. »

Quod si his minime obstantibus, EE. PP. decernere placeat ut parochus loci Casal Zabbar in celebratione missae pro populo alterius ministerio non utatur, illi forsan deneganda non esset facultas applicationem commutandi, de qua in secundo dubio agitur. Sane exploratum est, iuxta ea quae tradit S. Alphonsus *tract. 13 Be sacram. Euch. lib. 6 num. 321,* permutationem missarum licitam esse, dummodo omne damnabile lucrum removeatur; hancque sententiam esse S. C C. idem S. Doctor refert. Nec obiiciendum esset petitae commutationi voluntatem piorum fundatorum obstare. Nam si, ut parochus retulit, legata huiusmodi ideo instituta verisimilius « fuere, ne celebrationes harum solemnitatum ex defectu cleri intermitterentur » : dummodo ce-

lebratio non deficiat, pia dispositio semper finem volitum assequeretur. Praeterea observari etiam posset, missam cum cantu haud uberiorem prae lecta animabus defunctorum fructum afferre; ideoque nec iustitiae laesionem forsan inde esse timendam. Quin imo, cum sacrae functionis decor ob parochi ministerium augeretur et frequentior etiam populus ita ad missam solemnem conveniret, tenendum esset, huiusmodi permutatione testatorum voluntatem plenius finem obtinere.

Ceterum si rigor iuris haec omnia posthabenda suaderet, expostulat archipresbyter, ut sibi venia celebrandi missam solemnem in maioribus anni festivitatibus et quoties aliqua benedictio missae adnexa sit, ex peculiari indulto tribuatur. Haud ille indigitat num id peragere cupiat substituendo alium pro missa pro populo vel applicationem permutando; ast si excipiantur preces, rationem omnem EE. VV. decernent. Quoad gratiae vero opportunitatem scribit Episcopus : verum in maioribus solemnitatibus censeo concedi posse oratori facultatem dicendi Missam solemnem conventualem, praesertim si huic missae adnexa sit aliqua benedictio. Etenim ex quo spectat a4 parochum, tamquam Ecclesiae rectorem, canere in huiusmodi solemnitatibus vesperas et matutinum, convenire videtur, ut idem quoque dicat missam conventualem. Ita pariter etsi benedictiones candelarum cinerum et palmarum stricte non pertineant ad iura parochialia, S. C. Rituum 12 Ian. 1704, hoc in casu spectant ad parochum tamquam rectorem Ecclesiae in qua tales functiones fieri solent.

QUAE FACIUNT ADVERSUS PAROCHUM. Contra tamen plura animadvertenda veniunt. Atque in primis extra omnem dubitationis aleam positum est, obligationem, qua parochi devinciuntur sacrum pro populo litandi, esse personalem. « Omnes dies dominicos et festivos per hebdomadam— tenetur parochus celebrare per seipsum, nisi ex iusta causa impeditus reperiatur, » ait Pitonius *Disc. Eccl. 142\ n. 15.* Cui plures S. C. C. decisiones adstipulantur, et praesertim

Fesulana *diei 16 Iunii 1770 et 26 Ianuarii 1771,* de qua inferius, Castri Albi *diei IS Iulii 1789,* Tiburtina *Applicationis Missae pro populo diei 21 Novembris 1801* et recenter Claromonten. proposita inter supplices libellos ' *diei 9 Aprilis 1881.* Ex quibus praeterea eruitur non qualemcumque causam sufficere ut parochus sacri applicationem alteri committere valeat, sed requiri causas canonicas, ac tantum excipi casus verae necessitatis. Neque contra haec argumentum sumi posset ex *cap. 1 de Reform. Sess. 23* Concilii Tridentini, in quo pastoralia munia simul enumerantur, eo quia onus sacrificium pro populo offerendi ex officio mediatoris inter Deum et gregem sibi commissum, de quo Apostolus *cap. V. ad Haebr.,* ut doctores unanimes tradunt, promanat. Hoc autem interest inter applicationem missae pro populo et cetera munia parochialia, ut in his, scilicet praedicatione et Sacramentorum administratione satis sit ut populus effectum consequatur, sive illa munera per parochum, sive per alios exerceantur; in oblatione vero sacrificii, nedum spectetur effectus, sed implendum quoque est mediatoris munus, quod per alios adimpleri non potest. Sánchez *in select. de Sacr. disp. 47.* Pasqualigo *De Sacr. Missae tom, 2 quaest, 855* etc.

Iamvero his positis, causa ab archipresbytero Farrugia allata neque canonica dici posse, neque veram ostendere necessitatem videretur. Audiatur sane Melevitanus Episcopus: indubium esse, parochum legitime impeditum, aliis committere posse Missam pro populo; S.' Congr. Rituum 22 Iulii 1848. Missam vero conventualem, quae recitatur in parochialibus ecclesiis huius Dioecesis, cunctis Dominicis et diebus festis anni haud videri causam legitimam, qua parochus qui talem dicere vellet Missam, valeat aliis committere Missam pro populo. Nam neque episcopalia decreta praxim hanc confirmantia, neque legati institutio, de quo agitur in recursu parochi, iubent parochum celebrare Missam conventualem praedictis diebus. Sunt etenim obligationes,- quibus fieri satis potest per alium, et praecipue per Vice-parochum, ceu peragi solet in ceteris Dioecesis paroeciis. Ceteroquin

parochus tenetur per sacros canones celebrare missam pro* populo per seipsum.

Praeterea S. Congr. Concilii-In Fesulana *18 Iun. 1770 et 26 Ian. 1771,* dubis : I. *An Parochi Dominicis aliisque festis diebus, praesente cadavere, possint celebrare Missam pro defuncto et ad alium diem transferre Missam pro populo applicandam in casu: Et quatenus negative:* II. *An saltem applicationi Missae pro populo supplere possint per alium sacerdotem in casu,* respondit: ad I. et II. *Negative.* Ast si celebratio missae in funeribus paroeciani, *praesente cadavere,* non est Parocho causa sufficiens, ut ab alio subrogetur in missa *pro populo ;* tanto minus erit causa sufficiens ad hoc celebratio missae conventualis in Dominicis et festis per annum. Neque ad > hòc facit exemplum Parochi canonici, qui die festivo, celebrando missam conventualem, alteri committere valet Missam *pro populo.* Huius differentiae rationem in hoc positam esse quod Missa conventualis pro canonico sit obligatio princeps proveniens a praebenda; dum qualitas parochi in eo sit quid accessorium praebendae. Hinc pro eo Missa conventualis est causa legitima qua per alium subrogetur in Missa *pro populo.* Quod asseri nequit quoad Parochum, cui veluti obligatio princeps a suo officio imponitur missa celebranda *pro populo.*

His praeterea addi posset, missam solemnem quae in paroeciis Dioecesis melevitanae diebus festis celebrari solet,, quamvis sub nomine conventualis ibi veniat, haud tamen revera talem esse. Scitum namque est, ex Constitutione Benedicti XIV *Cam semper oblatas,* id substantialiter proprium esse missae conventualis, ut pro benefactoribus in genere, non vero specialiter applicetur; quod haud locum habet in paroecia Casal Zabbar, ubi missae illae pro peculiaris legati implemento plerumque celebrantur. His accedit quod missa conventualis cum sit onus capitularium ecclesiarum tantum, adesse nequit in ecclesiis quae collegialitatis titulo carent, ut tenuit S. C. in Montisfalisci *12 Februarii 1718,* in Praenestina *17 Aprilis 1779,* in Nullius Sublacen. *7 Iulii 1781* etc..

Quod vero attinet applicationum permutationem, licet quandoque non sit improbanda, non tamen idcirco .pro lubitu neri posse videretur, praesertim si voluntati piorum testatorum sit derogandum. Id enim in utroque iure solemne est ut supremae voluntates ad unguem impleantur, cum publice expediat inania non fieri mortuorum iudicia, ut ait Rota, •*decis. 153, n. 5 cor. Riminaldo.* Neque facili negotio admittendum est discrimen nullum interesse inter missam quae legitur et missam cum cantu celebratam ; nam, ut scribit Fagnanus *Cap. Cum creatura. Be celebr. Miss. n. 9.* « plus suffragii capit anima defuncti ex missa solemni in choro eum interventu plurium sacerdotum, quam ex missa privata. » Unde iure Praesul concludere videtur : causam non video, qua fundatori, qui missam cum cantu praecepit, litanda sit missa lecta, ut parochus commodum habeat proprio stricto oneri facere satis, dum illa celebrari potest ab alio presbytero.

Haec omnia vero quae hactenus relata sunt, dum insufficientiam rationum, ab archipresbytero adductarum demonstrant, profecto et gratiae ad quam tandem confugit obstare viderentur. Celimonten. proposita in Congregatione diei '9 Aprilis 1891. In ea Dioecesi cum missa pro populo singulis diebus festis cum cantu celebrari soleret, mos invaluerat ut parochus pluribus distentus curis frequenter huiusmodi munus alteri sacerdoti demandaret. Verum roganti Episcopo : 1. Utrum praedicta urgens consuetudo sit habenda tamquam causa canonica sufficiens, ut parochus alii committat missam pro populo loco ipsius celebrandam; 2. Posito quod non sit causa sufficiens, ut pro gratia nihilominus concedatur facultas: S. C. rescripsit: Ad 1. *Negative.* Ad 2. *Non expedire.*

Hisce adductis, proposita fueruut diluenda

Dubia

I. *An parochus loci Casal Z abb ar in festivitatibus, in quibus missa solemnis celebranda est pro peculiaris legati*

implemento, possit alteri sacerdoti missam pro popido committere in casu.

Et quatenus negative

II. *An iisdem diebus possit celebrare missam sotemnem cum applicatione pro populo, et aliam substituere pro intentione legati.*

Et quatenus negative

III. *An, et quomodo eius preces excipiendae sunt in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. O. re cognita sub die 9 Apr. 1892, censuit respondere : *Ad I et II negative. Ad III affirmative, iuxta votum Episcopi.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Missam *pro populo,* utpote onus reale et personale, applicandam esse ab ipso parocho, deficiente causa canonica, aut casu verae necessitatis.

II. Nam dum cetera munia parochialia aliis committuntur, populus consequitur effectum; in oblatione vero sacrificii, nedum spectatur effectus, sed implendum est mediatoris munus, quod per alios adimpleri non potest.

III. Canonicum curatum posse aliis committere onus applicandi missam *pro populo* quoties, ex turno chorali, debeat dicere Missam conventualem, utpote onus princeps suae praebendae, cui paroecia est quid accessorium.

IV. Indolem propriam missae conventualis eam esse, ut applicetur pro benefactoribus in genere, non vero specialiter pro peculiaris legati implemento.

V. Missas celebrandas in themate haud praeseferre indolem missarum conventualium, sed plerumque sunt implementum peculiaris legati; ex gratia tamen parochum obtinuisse facultatem has dicendi missas conventuales in maioribus solemnitatibus et praesertim si eisdem missis adnexa sit aliqua benedictio.

CANTONIS TICINI "seu LUG ANE N.

MISSAE CONVENTUALIS

Die 9 Aprilis 1892.

Per Summaria Precum.

COMPENDIUM FACTI. Administrator apostolicus Ticinensis in relatione suae Ecclesiae S. C. transmissa, haec habet in *Cap. De postulatis.*

« Quaeritur 1. An possit servari consuetudo, quae in -cathedrali ecclesia S. Laurentii Lugani invaluit, ut missa conventualis solis diebus festis de praecepto etiam suppressis, canatur; et reliquis diebus legatur dum horae parvae recitantur in choro. Quatenus consuetudo non sufficiat, rogo ut speciale indultum ad hoc concedatur. Canonici enim sunt pauci. Insuper plures ex ipsis alia munera pro bono ecclesiae obire debent, ex. gr. professoris in seminario dioecesano, et officialis in curia episcopali, et gravis detrimenti negotiorum expeditioni esset, si ipsi ob missam uti e iure communi praescribitur canendam, serius ad sua officia se ducerent ».

« Quaeritur 2. An possit servari consuetudo supradicti capituli, qua loco missae, officio diei respondentis, diebus sabbatis canitur missa votiva de B. V.; idemque fiat quoties canenda sit aliqua ex causa missa pro defunctis; praemissa tunc celebratione missae conventualis officio diei respondentis ab alio canonico, qui eam celebrat quacumque hora absque capituli interventu ».

« Quaeritur 3. An tolerandum sit, quod toto tempore hyemali quo dicti canonici horas recitant in sacristia inferiori, missa conventualis celebretur in ecclesia qualibet hora, quin canonici eam audiant ».

« Quaeritur 4. An possit servari consuetudo, qua, quum ex rubricis missalis secunda aut tertia missa canenda esset, ipsa legatur qualibet hora, non adsistente capitulo. Etiam, quoad hoc quatenus consuetudo non sufficiat, rationibus ut

supra allatis ad quaesitum *num. 1.* apostolicum indultum postulo ».

Disceptatio Synoptica.

Pauca animadversa fuerunt quoad singula; in primis missam conventualem cum cantu celebrandam esse, imo non tantum primam, sed et reliquas esse cantandas si ex rubrica plures missae conventuales eadem die occurrant; et horas canonicas debito tempore, numquam vero tempore missarum conventualium esse persolvendas. Satis namque vulgata est Urbevetana *Praeeminentiarum super dubiis, diei 5 Augusti 1737,* ubi ad II dubium : *An quoties ex praescripto rubricae celebrandae et cantandae sunt in ecclesia cathedrali plures missae, liceat aliquam ex illis planam celebrare in casu: S.* C. respondit: *Negative.* Praxis vero legendi missam dum cantantur vel recitantur horae canonicae aperte refragatur rubricis, ut declaravit centies SS. RR. C. uti in Oseen. *2 Martii 1620,* et clarius die 27 Septembris 1817, cum proposito dubio: *Utrum tolera?^possit consuetudo, ignoti initii, legendi missam dum in choro dicitur hora prima :* reposuit : *Negative et serventur rubricae.* Num autem hic apte invocari possit consuetudo quoad usum legendi missam conventualem perpendant EE. PP. Certe exempla non desunt in quibus S. C. ob exiguum canonicorum numerum vel aliis de causis indulsit missas conventuales sine cantu celebrari, veluti factum est in Hortana *5 Iulii 1631* et in Firmana *19 Aprilis 1845:* ast officii recitationem harum missarum tempore faciendam constanter denegavit.

Ad secundum et tertium quod attinet, animadvertendum est missam conventualem esse praecipuam divinorum officiorum partem, atque idcirco non modo capitulo inesse applicationis onus, sed etiam personalis adsistentiae, sicut ceteroquin verbum ipsum *conventualis* indigitat. Gonzalez *part. 7 De cleric. non resident.* Benedictus XIV *De Syn.*

dioec. cap. 13 c. 9. Qua quidem in re rigorose perpetuo se gessit S. C. C. quae potius non ab omnibus, sed per turnum permisit praestari chori servitium, illudque ad dies tantum festos reduxit, quam ut ne integrum absolveretur officium quibus diebus explendum esset, ceu patet a pluribus exemplis relatis in Grossetana *Servitii chori 22 Novemb. 1856.*

Vix autem recolere necesse est missam conventualem ex rubricae praescripto officio quod in choro persolvitur respondere debere, ut saepe SS. RR. C. edixit, quam etiam haud semel rescripsisse novimus, ut in Oseen. *26 Martii 1592 ad dub. 7,* in Perusina *9 Augusti 1766,* in Gadicen. *22 Ianuarii 1768* et in Imolen. *7 Iulii 1759* apud Oardellini, illam non pro lubitu, sed post tertiam, vel hora a rubricis missalis statuta celebrandam esse, atque id consuetudine etiam immemorabili non obstante. Praeterea hic locum sibi vindicare posset aliud responsum eiusdem S. C. in Barchinonen. *diei 24 Martii 1860 ad 1.* quo improbata fuit consuetudo, vi cuius missa conventualis tunc tantum a capitulo cantabatur, quum nulla occurrebant persolvenda anniversaria, secus vero a capellanis inductitiis in quadam cappella sub ara maiori sita legi solebat.

Nihilominus praetereundum non est S. O. C. in Rothomagen. *16 Decembris 1854,* canonicis illius ecclesiae metropolitanae, qui diebus festis missae solemni parochiali, ad quam populus frequens conveniebat, adstare consueverant, attentis peculiaribus circumstantiis, gratiam translationis missae conventualis ad aliam, infra hebdomadam, diem Archiepiscopi arbitrio definiendam, ad tempus concessisse.

His quae hucusque relata sunt iam et quaestio a Ticinensi Administratore apostolico proposita sub numero 4, saltem ex parte praeoccupata est. Addi tamen posset, iuxta ea quae habet Benedictus XIV Constitutione *Cum semper oblatas n. 22,* applicationem secundae et tertiae missae obligare si adsit consuetudo : si vero desit, laudari non praecipi. Quoad hasce missas vero, docet Lucidi *Vol. II, 3 relat, cap. art. n. 135:* « Quod si aliquando eadem S. C. indui-

gentiam aliquam hac super re adhibuit, hanc eo redegit, ut sineret secundam ac tertiam missam absque cantu celebrari. »

Rationes denique a Praesule ad gratiam obtinendam allatae, inspecta praesertim conditione in qua recenter erecta dioecesis illa versatur, profecto magni ponderis videntur. Ast num iuris rigorem flectere valeant, prudentiae ac sapientiae EE. PP. decernere remissum fuit.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita sub die 9 Aprilis 1892 respondere censuit : *Ad I. pro gratia, perdurantibus circumstantiis; dummodo tempore Missae conventualis non recitentur horae canonicae. Ad II. negative. Ad III. tolerari non posse. Ad IV. Attentis peculiaribus circumstantiis, iisque perdurantibus, pro gratia, iuxta petita.*

TRIDENTINA

ONERIS

Die 9 Aprilis 1892.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Retulit nuperrime Episcopus Tridentinus, sacerdotem Fridericum Marinelli, olim parochum et decanum oppidi **Male,** supremo quo decessit elogio diei 10 Novembris 1694 atque codicillaribus tabulis diei 5 Augusti 1698, decrevisse ut in sua paroeciali ecclesia ad altare S. Antonii beneficium erigeretur, eidemque in dotem attribuisse « ragnesi240, qui,aequant llórenos austriacos 216, seu italicas libellas 470 ». Voluit autem testator, ut beneficiarius a parochis locorum **Male** et Livo inter sacerdotes quarumdam familiarum eligendus, sexies qualibet in hebdomada, iuxta fundatoris mentem, S. Sacrificium litaret, et insuper onus susciperet excipiendi sacramentales confessiones sodalium erigendae confraternitatis Sancti Antonii.

Per idem testamentum, prosequitur Praesul, instituit stipendium pro iuvene qui studiorum curriculo incumberet, hac adiecta conditione, ut quidquid huic obiecto superesset ex reditibus bonorum suorum, cederet pro celebratione Missarum favore eiusdem fundatoris, eiusque consanguineorum decessorum. Quoniam vero per plures annos hae missae haud applicatae fuerunt, non obstantibus protestationibus ex parte parochorum e Male et Livo; nihilque ab administratione obtineri potuit ; ideo Ordinariatus, viginti ab hinc annis proposuit, ut ex fundis pro stipendio studiorum traderentur benefìcio florem 4530; per quam praestationem, semel factam fundus liberaretur ab onere missarum, quas testator eidem imposuerat. Sacra C C. die 21 Iunii 1888 potestatem fecit Episcopo excipiendi hanc vim pecuniae: quae reapse a fundo pro stipendio tradita fuit. Qua de re nunc beneficium habet dotem 8000 iiorenorum. Quum ex dictis, beneficio incumbat onus sex missarum in hebdomada in Ecclesia e Male; sic istius parochus expetit ut una ex sex missis litaretur in dicta Ecclesia omnibus diebus festis hora octava in commodum fidelium. Huic tamen oneri se subiicere renuit presbyter qui ius habet ad hoc beneficium. Ex quo tamen beneficium duplicaverit reditus ex dicta transactione, et bonum spirituale fidelium id exposcat, Episcopus expetit facultatem tale onus imponendi praedicto beneficio.

Disceptatio Synoptica

Novi oneris impositioni in primis obstare forsan posset notissima rubrica *tituli 12, lib. 3* Decretalium: « ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur : > quae, attenta oppositione eligendi beneficiarii, vim suam magis in themate videretur exerere. Agitur enim de presbytero, qui ius habet ad investitionem huius beneficii et cui proinde privilegia a iure canonico patronis tributa favere possent. Verum equidem est beneficii reditus haud mediocre incrementum recenter suscepisse; sed recolere praestat ex fundatoris voluntate, id quod, persoluta pensione, superest in mis-

-saram augmentum impendi debere. Unde etiam eruitur, eam fuisse mentem defuncti parochi Marinelli, ut potius quam populi commoditati, animae suae, consanguineorumque suorum suffragio provideretur. Quae adeo perspicue apparent, ut ipse Episcopus anno 1888 petens a S. Congregatione, ut compos fieret et ad accipiendam oblatam -a gubernio pecuniam eamque addendam doti beneficiali, haec scribebat : beneficìatum onerari posse quodam Missarum numero; quae litarentur *ad mentem fundatoris* ». Et quamvis S. C. rem omnem arbitrio et conscientiae Episcopi cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis remiserit, tamen praesumendum est ideo affirmative rescripsisse quia petitio voluntati testatoris apprime consona videbatur. Quare modo novis precibus duo obstarent, ne volitum scilicet minuatur suffragium contra dispositionem *Textus in can. ultima voluntas 13, quaest. 2,* et praeter intentionem S. C. C. extendatur ab una re ad aliam, eius gratia; Corradus in *Praxi disp. apost. lib. 1, cap. 5, n. 4.*

Nihilominus animadvertendum etiam est, novum non esse quod pia testatorum voluntas commutetur, ubi pro rerum adiunctis maior adsit utilitas, vel iustae causae urgeant, ut millies S. C. C. ad tramites S. Tridentinae Synodi *Sess. 22, cap. 6, De reform,* resolvit. Inter huiusmodi vero causas profecto recensenda est publica necessitas, ut docent Pitonius *De controv. patron, allegat. 50, tom. 1,* et Pignatelli *Consult. 148, n. 4, tom. 4,* etc. Praeterea S. C. C. saepe pro idonea commutandae voluntatis causa accepit populi utilitatem ceu videre est in Perusina *12 Maii 1764,* in Piacentina *Commutationis et translationis oneris, 21 Iunii 1794,* etc. Porro in themate, cum Episcopus optime informatus de spiritualibus suae plebis indigentiis censendus sit, in dubium revocari non posset commutationem voluntatis a fidelium bono exigi.

Neque oppositio eligendi beneficiarii in pretio habenda videretur, cum ea omnino irrationabilis appareat. Si enim commodum ex aucta dotatione beneficii persentit, aequum est ut et aliquod incommodum perferat. Imo si perpendatur,

reditus beneficii, post solutam summam florenorum 4530,. duplicatos evasisse, nimis benigna Ordinarii petitio videre^ tur, ac praeter petitum onus et aliud forsan imponendum esset. Eo vel magis quod nonnulli, veluti Oeccoperius *Lucubr. Can. I. 3, n. 146 et seq.* doceant non licere capellanis sacra mysteria temporibus et horis sibi benevisis per-^ agere, sed teneri easdem celebrare ad ecclesiae commoditatem iuxta mandatum eius, cui ius disponendi missas in ee-> clesia competat.

Quibus adductis quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra O. Concilii re cognita sub die 9 Aprilis 1892 censuit respondere: *Episcopo cum f acuítate imponendi beneficiato, praeter obligationem celebrandi missam hora 8 diebus festis, iniungendi etiam celebrationem congrui numeri Missarum quolibet anno, iuxta mentem fundatoris.*

RESCRIPTUM quoad professionem Fidei a singulis parochis, occasione promotionis emittendam.

Beatissime Pater

Episcopus Argentinensis humiliter exponit, in hac Dioecesi ad hunc usque diem parochos de inamovibili beneficio provisos, professionem fidei non coram Episcopo, vel, eo impedito^ coram Vicario generali emisisse, sed coram presbytero ab Episcopo delegato; parochos vero amovibiles, seu succursalistas,, huiusmodi professionem fidei nullimode emisisse.

Cum autem ex variis resolutionibus S. C. C. non tantum provisi de praebenda canonicali aut titulo, ut aiunt, inamovibili, verum etiam parochi quoque amovibiles teneantur emittere fidei professionem, a Concilio Trid. praescriptam, coram ipso Episcopo vel eius Vicario generali, cumque ob Dioecesis amplitudinem humiliter postulat tum sanationes quoad praeteritum, tum Apostolicum Indultum, vi cuius ad huiusmodi professionem fidei recipiendam tum Decanos habitualiter , tum etiam in casibus particularibus, si suadeat utilitas, alios sacerdotes sibi benevisos deputare possit et valeat.

Die 9 Martii 1892. S. C. Emorum S. R. E. Cardinalium Conc. Tridentini interpetrum, vigore facultatum sibi a SS. Dno Nostro tributarum, praevia sanatione quoad praeteritum, ac condonatione fructuum perceptorum, benigne indulsit Episcopo Oratori, ut per decennium tantum in posterum delegare queat Vicarios foraneos seu decanos vel alios in aliqua dignitate constitutos ad excipiendum fidei professionem parochorum, qui absque gravi incommodo Episcopum, vel eo impedito, eius Vicarium ^generalem adire nequeunt.

A. CARD. EPISC. SAB., *Praef.*
L. SALVATI *Secretarius.*

EX S. C. EPISC. ET REGULARIUM

GERUNDEN.

CIRCA FACULTATEM ELEEMOSYNAS COLLIGENDI

COMPENDIUM FACTI. Vertente mense septembri 1890 Episcopus gerundensis S. C. Episc, et Regul., supplici porrecta libello, exponebat, quod Commissarius Provincialis fratrum minorum observantium sancti Francisci, residens in conventu ipsius ordinis in civitate Vicensi erecto, contendebat, se subditos suos ad quaerendas eleemosynas mittere posse in omnes Dioeceses, intra limites suae provinciae positas, nempe Oatalauniae et Minoricae, ubi nullus conventus sui ordinis existit. Idque peragere posse putabat, quin ipse •consensum Ordinariorum obtinere deberet, et quin quaestores licentiam suorum superiorum iisdem Ordinariis ostendere tenerentur.

Huiusmodi Commissarii Provincialis agendi ratio, quippe quae nonnullis resolutionibus S. C. Episc, et Regul. nec non S. C. Concilii contraria videtur, haud arridere poterat "Episcopo gerunden. Hinc, ad praecavendas quaestiones, hu-

millime petiit, ut S. C. declaret Minoribus Observantibus haud licere eleemosynas in Dioecesi gerundensi -colligere,, ex eo quod praedicti Religiosi in eadem Dioecesi nullum conventum in praesentiarum possident.

Disceptatio Synoptica

IURA EPISCOPI. Episcopus gerunden., ut evincat, Minoribus Observantibus nullum ius competere quaestuandi in sua Dioecesi tria principia adducit, desumpta ex doctrina tradita ab auctoribus iuris communis ac praesertim ex iteratis declarationibus tum S. C. Episc, et Regul., tum S. C. Concilii. Et huiusmodi principia sunt:

1. « Non tenentur Regulares, qui ex institutione aut facultate Sedis Apostolicae eleemosynas quaeritare aut mendicare possunt, petere ab Ordinariis licentiam eleemosynas, per Dioecesim quaerendi, cum in erectione monasteriorum haec licentia eis tacite ab Ordinariis impertita censeatur ». S. C Episc, et Regul. Episcopo casalensi die 6 octobris 1597.

2. « Congregatio censuit ex Concilio non prohiberi Regulares, quominus eleemosynas quaerant, non tamen alios. eorum nomine et auctoritate quoquomodo posse quaeritare: illos tamen extra locum, ubi sita sunt monasteria, eleemosynas per eamdem Dioecesim corrugantes, teneri ad ostendendam Ordinario licentiam suorum superiorum ».

3. « Sacra etc. censuit fratres ordinum mendicantium- nequaquam posse ab Episcopis prohiberi, quominus per seipsos in Dioecesibus, ubi habent conventus, eleemosynas quaerant, sed tantum si extra loca, ubi monasteria existunt, quaeritare voluerint, teneri suorum superiorum licentiam Ordinario ostendere; at si extra Dioecesim, teneri etiam illius consensum obtinere ». S. C. Concilii.

Hisce in iure positis, Episcopus contendit, extra omnem dubitationis aleam positum esse, quod Regulares mendicantes indigent consensu' Ordinarii, si quaestuare voluerint in qualibet Dioecesi, in qua non existit conventus sui ordinis,.

sive Dioecesis intra, sive extra provinciam ipsius ordinis posita sit. Quandoquidem, iuxta Episcopi sententiam, tum solum Ordinarii consensus non requiritur, cum scilicet conventus in illa Dioecesi existunt, in qua Religiosi quaestuare volunt.

Ex quo Episcopus infert in nullo pretio habendum esse argumentum in suis observationibus a p. Procuratore adductum, quod nempe Ordinarii consensus ad quaestuandum non requiritur, si conventus intra limites provinciae ordinis reperiatur.

Quo vero ad usum quaestuandi a p. Procuratore invocatum et antiquum ab ipso appellatum, Episcopus observat, asseri vel negari haud posse, utrum in Hispania in vigore fuerit nec ne; ex eo quod, a suppressione conventuum Regularium usque nunc, longissimum tempus elapsum fuit. Nihilominus perpendit huiusmodi usum seu consuetudinem a p. Procuratore extra rem in themate invocari, cum explorati facti sit, quod, ante suppressionem, in omnibus, vel fere in omnibus Dioecesibus Catalauniae conventus Minorum Observantium s. Francisci existebant.

Verum quod attinet ad praxim in praesentiarum in Dioecesi gerundensi vigentem Episcopus asserit, quod ipse, usque a prima die, qua suae sedis possessionem nactus est, seu a mense iunio 1878, semper ac constanter exegit, ut licentiam ad quaestuandum a iure requisitam peterent ii Religiosi omnes, qui in sua Dioecesi conventus sui ordinis non haberent. Quam quidem licentiam pro suis Religiosis ab antecessore hodierni Provincialis Catalauniae nec non a superiore conventus civitatis vicensis aliquando petitam fuisse.

Ex declaratione vero S. C. Episc, et Regul. a p. Procuratore ad praetensa sua iura protuenda adducta, hoc unum erui-posse, quod Religiosi quaestuantes in Dioecesi, in qua habent conventus licentiam suorum superiorum Ordinario ostendere tenentur, quoties eleemosynas colligunt in loco suae Dioecesis, in quo proprius conventus non existit. At minime ex hac declaratione deduci, quod Ordinarii consensus

haud requiritur, si eleemosyna colligatur in Dioecesi, in qua conventus non existunt.

Hisce omnibus Episcopus addit, quod in sua Dioecesi, praeter quaestuas fixas, quae in omnibus ecclesiis parochialibus fiunt, favore operis *Obolo di s. Pietro,* pro necessitatibus Locorum Sanctorum et pro sublevandis, qui in Africa dira servitute opprimuntur, extant duo conventus Religiosorum Capuccinorum, decem Religiosarum, nec non Collegium a charitate nuncupatum. Qui quidem Religiosi ac Religiosae horum duodecim conventuum ac praefatum Collegium, sive per se, sive per alios, frequentissime Dioecesim perlustrant, eleemosynas petendo.

Ne itaque detrimentum afferatur memoratis quaestuis, ac ne tot Religiosi ac Religiosae eleemosynis pro sua sustentatione priventur, Episcopus aequum et iustum esse autumat, quod Minores Observantes impediantur, quominus eleemosynas in sua Dioecesi colligant, nisi aliqua specialis ratio contrarium suadeat.

IURA MINORUM OBSERVANTIUM. E contra p. Procurator Generalis sustinet cuilibet ordinis Provinciali ius inesse delegandi proprios religiosos, ut in singulis Dioecesibus intra confinia suae provinciae existentibus eleemosynas quaeritant, ipsosque Religiosos absque Ordinariorum licentia, imo, iisdem Ordinariis contradicentibus, libere quaestuare posse.

Verum, antequam rationes adducat, quae huiusmodi ius evincant, perpendit in compertis esse 1. designationem limitum cuiuslibet provinciae vel conventus ad ordinis Superiores pertinere, et ab ipsis peractam iugiter fuisse absque ulla Ordinariorum interventione, consensu, reclamatione aut querela; 2. Provinciam, de qua agitur, quemadmodum ante suppressionem a Gubernio decretam, totam Catalauniam regionem et ideo Dioecesim gerundensem intra suos limites comprehendisse, ita post restaurationem, servasse et in praesentiarum sarta tecta tueri eandem divisionem, nec non iura omnia et privilegia, quae ad ipsam provinciam spectabant, antequam conventus suppressionis legi subicerentur.

Quibus praemissis, p. Procurator indubium esse ait ordinis Praelatos^ seu Provinciales, per totam suam quisque provinciam, locales vero per totum sui conventus assignatum districtum, ius habere mittendi Religiosos pro eleemosynis colligendis, quin hi peculiari Ordinariorum licentia vel -consensu indigeant. Sed ip^os teneri superiorum regularium licentiam Ordinariis ostendere tantummodo in iis locis, in quibus conventus proprii ordinis non existunt : idque in vim antiquae consuetudinis hodierna praxi confirmatae.

Quoad consuetudinem antiquam, asserit de ea dubitari non posse, ex eo quod interrogati seniores ordinis Religiosi, sive sacerdotes, sive laici, unanimiter responderunt, se numquam vidisse vel audivisse, nec a praelatis ordinis, nec a subditis necessarium fuisse petere a Rmo Ordinario licentiam ad •quaestuam intra terminos propriae provinciae aut conventus faciendam.

Idipsum autem praxi hodierna comprobari, p. Procurator arguit ex facto, quod licet variis in Dioecesibus intra terminos provinciis assignatos -nullus hoc tempore instauratus sit conventus: nihilominus Episcopi recognoverunt iura et privilegia superiorum regularium, et dicti ordinis Praelati usque modo, numquam crediderunt postulandam esse licentiam ab ipsis Ordinariis pro eleemosynis colligendis, nisi in casu, quo proprios Religiosos extra limites provinciae vel conventus ad quaestuandum mitterent.

Et huiusmodi praxim vel consuetudinem in magno pretio habendam esse nullo pacto ambigi nequit; quandoquidem ipsa, uti p. Procurator observat, praecipuum fundamentum ac robur habet in Constitutione Clementis XI, quae incipit - *Exponi nobis* - diei 8 iulii ^ 1617, qua confirmata fuerunt privilegia ordini s. Francisci a Sixto Papa IV, in §. VIII *Bullae Aureae* concessa, nec non decreta a Congregatione Negotiis et Consultationibus Episc, et Regul. praeposita pluries emanata et ad alios Regulares extensa.

Sane in dicta .Constitutione ad rem praescribitur: < Quod fratres ordinum mendicantium ab Ordinariis locorum seu ab

aliis regularibus prohiberi minime possint, quin per seipsos, in locis, ubi habent conventus, eleemosynas quaerant, sed tantum, si extra loca, ubi conventus reperiuntur, quaeritare voluerint, suorum superiorum licentiam ostendere tenentur, confirmantur auctoritateque Apostolica approbantur, illisque inviolabilia Apostolicae firmitatis robur adiicitur: salva tamen auctoritate eiusdem Congregationis ».

Quin regerere valeret huiusmodi iuribus ac privilegiis in vim Apostolicarum Constitutionum mendicantium ordinibus, indultis, Minores Observantes suppressionis lege expoliatur fuisse. Siquidem p. Procurator animadvertit, quod: « *Nemo ius amittit ex eo quod ipsi vis inferatur.* Cui concinit aliud iuris adagium: *Quae contra ius fiunt, debent utique pro infectis haberi.*

Porro, cum indubii facti sit, quod provincia Catalauniae multos conventus in Dioecesi gerundensi ante suppressionem habuit, ex citatis iuris regulis sponte sua fluit, huiusmodi conventus omnia iura et privilegia servasse, quibus ante dictam legis suppressionem potiebantur. Ac proinde Provinciali Catalauniae etiam nunc ius esse mittendi suos Religiosos- in Dioecesim gerundensem stipem erogaturos, quin Religiosi licentiam et consensum Ordinarii Dioecesis petere et impetrare teneantur. Idque, eo vel magis, si cum p. Procuratore perpendatur, quod in praedicta Dioecesi gerundensi ante suppressionis legem nonnulli conventus ad Minores Observantes pertinentes reperiebantur :

Ex mox expositis cum p. Procurator deduci autumet,. Minores Observantes urbis vicensis ceu dioecesanos gerundenses habendos esse, sponte sequitur resolutiones S. C. Concilii sub num. 2 et 3 ab Episcopo relatas huic casui aptari non posse, ac proinde inutiliter et extra rem ad sua iura tuenda ab ipso invocari.

Neque huiusmodi rerum statum mutari posse urget ex supposito facto, quod nonnulli Provinciales post suppressionem ab Episcopo gerundensi consensum quaestuandi petierint. Hoc siquidem factum fuisse denegat, vel ad summum

p. Provinciales id peregisse subdit, non quia aliqua obligatione sese obstrictos putabant, sed potius sponte sua ac obsequii causa erga altissimam Antistitis dignitatem.

Verum Episcopi hypothesi parumper admissa, ipsius tamen causa nihil proficeret, quia quorumdam superiorum factum tantam vim habere haud potest, ut ordinem iuribus et privilegiis, a Summis Pontificibus ipsi indultis, expoliare valeat.

Et eo vel minus ordinem iure quaestuandi in Dioecesi gerundensi expoliare valeret alterum factum, quod scilicet in praedicta Dioecesi, fixis temporibus fiant plures quaestuationes, quodque existant duodecim communitates, quae omnes eleemosynis pariter vivunt. Hoc enim factum in Hispania haud novum esse, et in aliis Dioecesibus idipsum contingere asserit, quin tamen illarum Ordinariis in mentem unquam venerit impediendi, quominus Religiosi in ipsorum Dioecesibus eleemosynas colligant, vel ipsis Religiosis onus imponendi, ut Curiae consensu se muniant ad hoc, ut quaestuare valeant.

Ex quibus omnibus cum luce meridiana pateat Minores Observantes provinciae Catalauniae, vi suorum iurium et privilegiorum minime teneri ab Episcopo gerundensi licentiam quaestuandi petere, p. Procurator concludit, decretum inhibitionis quaestuandi ab ipso Episcopo editum, nullum et quovis firmitatis robore destitutum renunciandum esse.

Hisce, pro utraque parte, ad trutinam revocatis, propositum fuit enodandum sequens

Dubium

An Minoribus Observantibus s. Francisci conventus vicernis **s** *in Hispania, ras competat, absque Episcopi consensu? in Dioecesi gerundensi quaestuandi in casu?*

RESOLUTIO. S. Congregatio Episc, et Regul., re mature perpensa, sub die 11 martii 1892 respondere censuit: *Negative.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Regulares, qui ex institutione aut facultate Sedis Apostolicae eleemosynas quaeritare aut

mendicare possunt, non teneri ab Ordinariis licentiam petere eleemosynas per Dioecesim quaerendi, cum in erectione monasteriorum haec licentia eis tacite ab Ordinariis impertita censeatur.

II. Ipsos tamen extra locum, ubi sita sunt monasteria, -eleemosynas per eamdem Dioecesim corrogantes, teneri ad ostendendam Ordinario licentiam suorum superiorum.

III. Fratres ordinum mendicantium nequaquam posse ab Episcopis prohiberi, quominus per seipsos in Dioecesibus, ubi habent conventus, eleemosynas quaerant. At si extra Dioecesim quaeritare voluerint, teneri Ordinarii consensum obtinere.

IV. In casu autem decisum fuit Minores Observantes conventus vicensis non posse, absque Ordinarii licentia, in Dioecesi gerundensi eleemosynas quaerere, quia in dicta Dioecesi conventus amplius non habent.

EX S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

LITTERAE Emi. Praefecti ad Ordinarios Statuum foederatorum Americae septent. quoad electionem Episcoporum.

I lime et Rme Domine

Benignissimo divinae providentiae consilio referri profecto debet quod in nobilissima Statuum Foederatorum Republica, quam omni humanitate et cultu adeo florere conspicimus, ita catholicum nomen constiterit et vigeat, ut iam plurimum in se civium et extraneorum animos intentos fecerit et maiora videatur Ecclesiae Dei in futura tempora portendere incrementa. Quapropter cum primum Summi Pontificis benevolentia praeesse me voluit huic S. Consilio Christianae Fidei Propagandae eo spectavi, ut potissimam curam ac sollicitudinem in istam iuvenescentem Ecclesiae sobolem converterem, quo, plurimum quod dat spei felices rerum eventus sustentarent.

Id autem eo alacriori -animo mihi praestandum suscipio, quod novi quam vehementi studio in idem ferantur illustres- istius ditionis Antistites, et quam solerti opera iidem adlaborent catholicae in suis regionibus fidei et tuendae et amplificandae. Haec autem sollicitudo, quam communem cum istis Episcopis- habeo, expostulat ut vigilem eorum mentem revocem ad quemdam isthic invalescentem in Episcoporum electione morem, cui opportunis remediis mature est occurrendum.

Quaenam sit gravissima hac de re Apostolicae Sedis mens litteris declaratum est datis die 4 superioris mensis Iulii a Card. Rampolla, Summi Pontificis nomine, ad Eminentissimum Archiepiscopum Baltimorensem. Cum enim tunc temporis inanes rumores spargi in vulgus cepissent de Catholicae Hierarchiae in Statibus Foederatis ratione ita immutanda, ut immigrantibus isthuc Catholicis ex variis Europae nationibus populares Episcopi praefici deberent, sapientissimus Pontifex huic inani opinioni quae plurimorum animos commoverat abolendae, significatum voluit vigentem isthic in deligendis Episcopis disciplinam integram inviolatamque fore servandam. Id autem tanti momenti ducitur ut irrepentes quaedam in contrarium consuetudines,, nulla debeant tolerantia foveri.

Profecto non ignorat Amplitudo Tua, occasione vacantium Sedium episcopalium, varios isthic excitari solitos apud clerum populumque catholicum motus, quos graviores crebrioresque- sensim fieri experientia docet. Et sane quae nunc in tali causa evenire solent, ea nec levia sunt, nec obscura, nec eiusmodi quae ab hac S. Congñe silentio prorsus praeteriri possint. In proponendis enim ad episcopale munus candidatis clerum ac populum, praeter statuta iura, commoveri passim conspicimus ; per publicas ephemerides contentiones vulgantur et exardescunt, publice ac privatim ea de re comitia habentur, ubi proprios quaeque factio candidatos extollit, alienos criminando deprimit.

Quod vero huiusmodi contentiones alere maxime solet, studium est in unaquaque factione vehemens Episcopum habendi e suorum popularium numero, quasi privatis commodis non utilitati Ecclesiae per idonei Pastoris electionem esset prospiciendum. Porro cum hanc unam utilitatem in praeficiendis populo Christiano Episcopis Apostolica Sedes ubique per orbem spectet, tum id maxime in Statibus Foederatis Americae, ubi variae ex.

Europa gentes, novam isthic patriam sibi constituentes, in unum populum coalescunt, unamque proinde nationem efformant.

Quapropter cum eligendorum Episcoporum in Statibus Foederatis normae accurate sapienterque definitae tradantur in Conciliis Nationalibus, ac praesertim in Concilio Plenario Baltimorensi III, sedulo est incumbendum ut omnia hac in re submoveatur contraria molimina. Etenim ea decreta temporum locorumque necessitatibus apprime consentanea, suffragio cunctorum istius ditionis Episcoporum lata, Apostolicae Sedis auctoritate firmata, ea profecto sunt quae non possent, in privatorum hominum gratiam, sine gravi disciplinae iactura praeteriri.

Haec tecum communicare officii mei duxi, ut enascenti malo occurratur, ne diutius adolescat. Scilicet velim, ut clerus ac populus in unaquaque Dioecesi in primis moneatur de dolendo exitu, quem huiusmodi contentiones habent, non ideo solum quod debitam animorum concordiam disrumpunt, et ecclesiasticae disciplinae firmitatem laxant, sed etiam quod ipsis acatholicis in offensionem et scandalum cedunt. Tum etiam S. Congregationis nomine palam significent Episcopi frustra prorsus ea agitari, quae praeter Conciliorum praescripta peraguntur, cum Apostolica Sedes nihil habeat antiquius, quam firmitatem tueri ecclesiasticae legis, quae vindex est ordinis et munimen pacis.

Interim Deum precor, ut Te diutissime sospitet.

Datum Romae ex Aed. S. **Cong.** Propagandae Fidei die 15 Maii 1892.

Amplitudinis Tuae

Addictissimus Servus

MIECISLAUS CARD. LEDÓCHOWSKI, PRAEFECTUS

f IGNATIUS ARCHIEP. TAMIATHEN., *Secretarius*

EX 3. CONGREGATIONE RITUUM

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI CAPUCCINORUM. Dubia concinnata occasione qua editum fuit manuale liturgicum Capuccinorum.

Occasione edendi opus, cui titulus *Manuale liturgicum ad usum Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum,* nonnullae quaestiones obortae sunt inter eiusdem Ordinis rubricistas quoad peculiares ritus seu rubricas in eodem opere comtentas.|Ad eiusmodi porro quaestiones penitus dirimendas, Rmus Pater Fr. Bruno a Vintia Procurator et Commissarius generalis Ordinis ipsius, sui muneris esse duxit insequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi declaranda proponere, videlicet:

Dubium I. Utrum verbo aut scripto sustineri possit sententia' eximens Fratres Capuccinos ab obligatione observandi illa Decreta S. Rituum Congregationis, quae Constitutionibus Ordinis in aliquo adversantur, et hoc quia dictae Constitutiones approbatae fuerint ab Apostolica Sede?

Dubium II. Et quatenus negative: Utrum opinionis falsitas necessario notari debeat in textu auctorum, talem sententiam forsitan propugnantium ?

Dubium III. Utrum Capuccini licite possint incensationes Altari perficere in Missis Conventualibus, vel aliis, quae sine Ministris paratis et sine cantu celebrantur?

Dubium IV. Utrum, dato quod aliquando Missa cantetur cum Diacono et Subdiacono, isti possint esse simpliciter parati cum alba, cingulo, stola et manipulo *respective,* absque dalmatica et tunica, item *respective ?*

Dubium V. Utrum tolerari possit usus Missam cantandi modo quasi psalmodico, seu semi-tonato?

Dubium VI. Utrum tolerari possit consuetudo, aliquibus in locis vigens, quod scilicet in Missa Conventuali acolythus, seu minister, cotta non sit indutus?

Dubium VII. Utrum Missae Conventuales sine cantu considerari possint veluti solemnes, sive quoad ^collectas, sive quoad preces in fine Missae ex mandato SSiñi Dñi Nostri Leonis PP. XIII recitandas, sive quoad numerum cereorum in Altari accensorum ?

Dubium VIII. Utrum diebus Dominicis Sacerdos Missam Conventualem celebraturus, possit ad Altare accedere absque casula, seu pianeta, ad aspersionem faciendam, assumpta postea planeta in cornu epistolae?

Dubium IX. Auctor Manualis, de quo agitur, asserit, quod quando apud Capuccinos ad impertiendam benedictionem cum SSmo Sacramento « loco albae » adhibeatur *superpelliceum,* semper tamen indui debet et amictus (uti in quacumque alia functione, in qua a Nostratibus pluviale adhibeatur), nedum ad tegendum et detegendum caput, sed praesertim ne superior extremitas caputii summitatem pluvialis excedat, quod esset prorsus indecens. Quid dicendum de Auctoris sententia?

Dubium X. An in consueta Missa et processione Feriae V Maioris Hebdomadae, celebranti assistere possit Diaconus tantum alba et stola indutus, absque Subdiacono ipseque non tota durante Missa?

Dubium XI. Utrum cereus paschalis accendi possit in nostris Ecclesiis tempore Missae Conventualis, dierum non festivorurn ?

Dubium XII. Utrum tolerari possit quod Sacerdos *cotta et stola* vel *alba, cingulo et stola tantum indutus,* peragat expositionem et repositionem SSmi Sacramenti: aut populo cum Ostensorio benedicat: vel SSmum Sacramentum in processionibus SSmi Corporis Christi portet: an potius teneatur ad usum pluvialis in omnibus caeremoniis, in quibus ceteri Sacerdotes, haud Capuccini, pluviale portare debent?

Dubium XIII. Utrum Ciboria seu Tabernacula, ubi SS. Sacramentum asservatur, possint exterius esse ex nudo ligno, rudi colore depicto, vel potius debeant deaurari, aut pretiosius depingi, quam ceterae Altaris partes?

Dubium XIV. Utrum tolerari possint thecae Sacr. Reliquiarum ad modum ostensorioli ex simplici et nudo ligno confectae?

Dubium XV. Utrum licite fieri possint privatim aliquae minores benedictiones Ritualis Romani cum sola stola absque superpelliceo ?

Dubium XVI. Utrum Capuccini teneantur ad observantiam Decretorum, praesertim 18 Decembris 1877 et 28 Iulii 1881, circa materiam paramentorum?

Et quatenus affirmative: Utrum licite uti possint paramentis ex gossypio, lino aut lana, *bona fide* confectis, post istius materiae prohibitionem?

Dubium XVII. An Capuccini possint ad libitum et in una eademque Ecclesia sacras functiones peragere, nunc iuxta praescriptiones ordinarias Missalis Romani etc., nunc utendo Memoriale Rituum a Benedicto XIII pro parvis Ecclesiis edito?

Haec vero Dubia, super quibus alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris suum protulit votum, typis editum, quum Emus et Rmus Dnus Cardinalis Raphael Monaco La Valletta exposuerit in ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis infrascripta die ad Vaticanum habitis, Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, sic rescribere rati sunt:

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative, data opportunitate.

Ad III. Negative; ex gratia tamen permitti in Missis aliqua maiori solemnitate celebrari solitis.

Ad IV. Observentur Missalis Rubricae.

Ad V. Retineri posse.

Ad VI. Negative.

Ad VII. Affirmative.

Ad VIII.Affirmative, si adsit pluviale; et completa aspersione, vertat se ad cornu Epistolae, ibique sumat manipulum et casulam pro Missa celebranda.

Ad IX. Esse sustinendam.

Ad X. Negative; et deficiente Clero, sacram functionem peragi posse iuxta Memoriale Rituum, iussu Benedicti Papae XIII editum.

Ad XI. Negative, nisi aliter ferat consuetudo.

Ad XII. Si agatur de expositione et repositione SS. Sacramenti, sufficit ut Sacerdos cotta et stola sit indutus; nunquam cum alba, cingulo et stola tantum. In Processionibus et benedictione cum SS. Sacramento in Ostensorio impertienda, omnino requiritur ut celebrans pluviale et velum numerale induat, sicuti cautum est Decretis 17 Maii 1857, et 22 Iunii 1874.

Ad XIII. PP. Capuccini retinere possunt tabernaculum ligneum, affabre elaboratum ex concessione S. C. Episcoporum et Regularium 13 Iulii 1659.

Ad XIV. Affirmative.

Ad XV. Servetur Rituale.

Ad XVI. Affirmative: facta vero venia utendi huiusmodi paramentis, iam existentibus, donec consumantur.

Ad XVII. Si Ecclesiae sufficiens Clerus suppetat, peragant functiones iuxta Missale Romanum; si tres aut quatuor clericos tantum habeant, utantur Memoriali Rituum Benedicti XIII.

Atque ita rescripsit, declaravit, et servari mandavit die .7 Decembris 1888.

A. Card. BIANCHI, S. R. C. PRAEF.

LAURENTIUS SALVATI, S. *H. C. Secret.*

LUCIONEN. Dubia quoad validitatem consecrationis Oratorii, et quoad festum titulare eiusdem Oratorii.

Anno Domini 1835 Oratorium principale Maioris Seminarii Lucionensis, ab hoc aedificio minime seiunctum et sub titulo S. Caroli Borromaei constructum, cultui Divino benedictione dedicatum fuit, cum unico altari portatili posito in cavitate quadrata, quae in medio tabulae ligneae existit; ipsa tabula posita est super basim lapideam, marmore ornatam, cum qua minime coniungitur. Ad divinum Missae Sacrificium illud unicum altare quotidie usque ad hodiernum diem inserviit. A die benedictionis Oratorii singulis anni Dominicis testisque diebus officia liturgica solemniter in eo cantari ab alumnorum coetu consueverunt.

Anno autem Domini 1837 aedes supradicti Oratorii consecrata fuit absque ulla altaris, tum portatilis, tum fixi, consecratione.

A die huius consecrationis usque ad Liturgiae romanae in Dioecesim Lucionensem introductionem, festum anniversarii omnium Ecclesiarum consecratarum, quae extant in territorio reipublicae Galucanae, celebratum fuit in Oratorio Seminarii, eo modo quo Anniversarium Ecclesiae consecratae celebratur ex Sacrorum Rituum Congregatione 28 Februarii 1681 in Girgentina scilicet cum candela supra singulas e duodecim cratibus accensa.

Ab anno autem quo romana Liturgia vim in Dioecesi accepit usque nunc, modus ille celebrandi cessavit, ex eo quod consecratio Oratorii invalida visa fuerit propter defectum consecrationis alicuius altaris, ut supra exposuimus.

Attamen a die benedictionis Oratorii usque ad annum 1884 Officium titularis celebratum fuit sub ritu duplici primae classis cum Octava a rectore Seminarii, professoribus et alumnis in maioribus Ordinibus constitutis, dum a supradicto anno cessavit huiusmodi celebratio cum Octava, ex eo quod illius legitimitas "in dubium venerit. Dubium ortum fuit non solum ex eo quod extraneis, id est omnibus fidelibus non patet indiscriminatim Oratorii ianua, ac proinde iuxta nonnullos, illud recensendum est inter Oratoria, de quorum titulari nemini licet Officium recitare sub ritu duplici primae classis cum octava; sed etiam ex eo quod consecratio Oratorii visa fuerit invalida ex supra dictis.

Hisce expositis, Rmus Episcopus Lucionen, ab eadem 8. Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime postulavit nimirum:

Dubium L Utrum valida fuerit consecratio memorati Oratorii ?

Dubium II. Utrum festum titulare eiusdem Oratorii sub ritu duplici primae classis cum Octava recolendum sit?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem Secretarii exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris ita propositis dubiis rescribere rata est:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Negative nisi adsit Apostolicum privilegium.* Atque ita rescripsit die 28 Iunii 1890.

QUEBECEN., MAR10N0P0LITANA ET OTTAVIANEN.
Dubia quoad calendaria particularia.

Emus et Rmus Dnus Alexander Tascherau, Archiepiscopus Quebecen, una cum Rmis Antistitibus Marianopolitano, et Ottaviensi ab Apostolica Sede humillime postulant: 1.° Ut iuxta Calendarium pro tribus suis ecclesiasticis Provinciis nuper approbatum, ac iuxta recentiores Rubricas, liceat sibi reformare Calendaria particularia Ecclesiarum et publicorum Oratoriorum intra fines suarum Archidioecesium respective existentium. 2.° Ut festis propriis Ecclesiarum atque Oratoriorum publicorum, non excepto festo titulari, eaedem dies assignari valeant quibus inscriptae sunt in respectivo Calendario Dioecesano, servato iure ad integram Octavae celebrationem.

Sacra porro Rituum Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii exquisitoque voto alterius ex apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis postulatis rescribendum censuit, videlicet: Ad I. *Affirmative:* ad II. *Non expedire.* Atque ita rescripsit die 2 Maii 1892.

% CAI. Card. ALOISI-MASELLA, *Praefectus.*

VINCENTIUS NUSSI *Secretarius.*

URGELLEN. Dubia quoad subdiaconum in Missa pontificali.

De mandato Rmi Episcopi Urgellensis, hodiernus Magister-Caeremoniarum in Cathedrali eadem Ecclesia Urgellensi, insequenti^ Dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna resolutione humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. An Subdiaconus in Missa Pontificali ascendere debeat ad dexteram Diaconi in cornu Epistolae, tum ad recitandum simul cum Pontifice *Agnus Dei,* tum ad aquam infundendam dum Pontifex se purificat post Communionem (prout, vult Martinucci), vel ad praebendas Diacono ampullas, uti alii dicunt cum Baldeschi?

Et quatenus Negative:

Dubium II. An saltem ad praedicta, nec non ad *Sanctus-* ascendere teneatur, ubi talis viget consuetudo?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, re mature perpensa, ita propositis jDubiis censuit' rescribendum, nimirum:

Ad I. *Negative in omnibus, et servetur Caeremoniale Episcoporum* Lib' II, cap. 8, n. 75 et 76, *et Rubrica Missalis Romani,* Ritus celebrandi Missam, tit. X, n. 8.

Ad II. *Negative, et servetur Caeremoniale Episcoporum* Lib. II, cap. 8, n. 67.

Atque ita rescripsit die 2 Maii 1892.

* CAL Card. ALOISI-MASELLA, S. R. C. PRAEF.

VINCENTIUS NUSSI, S. R. C. *Secretarius.*

MAURIANEN. Dubium quoad altaris consecrationem.

Rmus Dnus Michael Rosset Episcopus Maurianen. sequens Dubium Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna declaratione humiliter subiecit, nimirum: iuxta Pontificale Romanum, ubi de consecratione altaris tum fixi, tum portatilis agitur, quinque cruces in parte superiori lapidis oleo sacro inungendae sunt. Si crux in medio lapidis absit, ac proinde in altaris consecratione emittatur unctio istius crucis, quaeritur utrum invalida sit consecratio? Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito dubio rescribendum censuit, videlicet: *Valida est consecratio; sed unctio in medio tabulae numquam omitti debet, quamvis eruas ibidem sculpta non sit.* Atque ita declaravit et rescripsit die 2 Maii 1892.

% CAL Card. ALOISI-MASELLA, S. R. C. PRAEF.

VINCENTIUS NUSSI *Secretarius.*

APPENDIX IV.

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST. ; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNTV AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT 'EPHEMERIDEM MODERATOREM.

———*x3§£?*>*———

S. Congr. Concilii, 9 Febr. 1669, Vic. Ap. Tunquini.
De amputatone alicuius partis corporis.

1. Utrum missionarius ad conservandam vitam alicuius patientis posset aliquam corporis partem incidere.

2. Cum ad praeservandum brachium teneretur digitum amputare^ an incurrerit irregularitatem.

R. Ad 1. Posse devenire ad incisionem in casu necessitatis.

Ad 2. Non incurrisse.

S. Congr. Concilii, 8 Augusti 1671. — Di bia quoad administrationem pecuniarum.

Dubia ex S. C. de Prop. Fide transmissa fuere infrascriptis verbis concepta :

« Li Missionari Cappuccini in Piemonte per poter con maggior quiete delle proprie coscienze esercitare il ministero impostogli, umilmente supplicano l'Eminenze Vostre del loro oracolo circa i dubbii seguenti :

» **1.** Se, supposto che le Missioni de' Cappuccini ritrovandosi in Valli infette di eresia, o in luoghi molto poveri e miserabili, sia necessario ai missionari mantenérsi per mezzo di pecunie, quali spendonsi per mano di persone rustiche, incapaci, e per l'estrema povertà poco fidate, sia lecito al missionario intervenire talora con lo spenditore nella com-

Missionarii Cappuccini -Pedemontis, ut munere sibi imposito fungi bona valeant tranquillitate conscientiae , dubiorum insequentium solutionem expetunt:

1. Quatenus Cappuccinorum missiones in Vallibus sint haeresi infectis, aut in locis pauperibus, in* quibus oporteat missionarios vivere propria pecunia, quae impenditur per personas rusticas, ineptas , parumque fidas ob egestatem, qua premuntur , an liceat interdum missionarium interesse emptiont rerum familiae utilium, propriam

pra delle cose necessarie all' economia della Casa, dire il suo parere, ed ordinare ciò che deve spendere, ed eseguire.

» **2.** Se, mancando **1'** elemosine necessarie al missionario, sia lecilo al medesimo indifferentemente ricorrere fuori del distretto della sua Missione procacciandosi altri aiuti tanto di grano, che di vino, ed altre robe necessarie per mantenimento e sostegno tanto di esso missionario, o compagno, che di poveri cattolici e cattolicizzati, per mezzo di Messe, o altra via di mendicità.

» 3. Se delle suddette elemosine indifferenti, procurate *ex industria,* sia lecito al missionario, senz'altra dichiarazione del dante, servirsene in far pagare medicine, chirurgi, operari, pedoni , vestir poveri, massime cattolicizzati, e soccorrerli ne' loro estremi bisogni, impiegandole anche in simili opere pie, essendo questa una predica efficacissima in faccia degli eretici, restandone sommamente edificati.

» 4. Occorrendo che i benefattori rimetlano crediti sopra la comunità, o persone particolari, esistenti in grano, per li bisogni della Missione in genere, sia lecito al missionario ricevere tal grano nella propria specie, o in altra, eziandio di pecunia, o di altre robbe, che riescono di minor scomodo ai debitori e vicendevolmente esistenti tali crediti rimessi in pecunia, se sia lecito al missionario.

dicere sententiam , et iubere ea quae impendenda aut exequenda sunt.

2. Si missionarius eleemosynis careat necessariis, liceat eidem indiscriminatim exire de propriae missionis districtu, ad sibi aliud auxilium procurandum ex tritico, vino aliisque rebus vitae necessariis, ut alere valeat se, socium, et pauperes catholicos per eleemosynas missarum aut aliam mendicitatis viam.

3. An ex dictis eleemosynis, sibi ex industria paratis, liceat missionario, absque dantis ulteriori declaratione, eisdem uti ad rependendas medicinas, chirurgus, operarios, pedites, ad vestiendos pauperes, praesertim catholicos, eor rum extremis necessitatibus auxilium ferendum; si dictae eleemosynae applicentur eiusmodi piis operibus, efficax gratumque exhibetur exemplum haereticis.

4. Quatenus occurrat benefactoribus dimittere credita super Communitatem aut personas privatas, existentia in triticum pro necessitatibus Missionis in genere, an liceat missionario accipere triticum in sua propria specie, aut in alia, etiam pecuniae, aliarumve rerum, quae sunt minus incommoda debitoribus ; et vicissim si talia credita remissa existant in pecunia, an liceat missionario eadem accipere in

riscuoterli in quella specie oppure in robbe, conforme riuscirà più comodo alla Missione ed alii debitori.

» 5. Se delle medesime elemosine, stante la penuria de' luoghi, sia lecito al missionario far comprare talora robbe commestibili per far la carità a forestieri tanto Regolari, che secolari, e mandar anco di quando in quando a 'Monasteri, o Conventi circonvicini, da' quali ricevono non ordinari aiuti e benefici, qualche cosarella conforme alla condizione del paese, come anco ad altre persone eziandio secolari, che s'impiegano caritativamente nei vantaggi ed interessi della Missione, e poveri cattolici.

» 6. Se sia lecito al missionario far comprar libri, imagini, corone, e simili cose di divozione a nome della Sacra Congregazione per distribuire a quelli che frequentano la Dottrina Cristiana delle scuole.

» 7. **Occorrendo, che quegli, che a nome della S. Congregazione spende il danaro, non possa per qualche causa legittima tener tal danaro sicuro in casa propria, se** *ad tempus* **possa tenerlo, ed assicurarlo in qualche Cassa, o Ranchino della Missione, purché il medesimo ritenga appresso di se la chiave, e se sia lecito al missionario di rivedere i conti delle spese fatte dall'istesso, e, quando non si trovasse tal persona fidata, sì per tenere che per spendere le limosine, sia lecito al missionario**

illa specie aut in rebus, ceu magis commodum fiat Missioni et debitoribus.

5. An ex eisdem eleemosynis, ob locorum paupertatem, liceat missionario emere aliquando comestibilia ad faciendam charitatem advenis, cum regularibus, tum saecularibus, et mittere identidem ad Monasteria et Conventus proximos, a quibus accipiunt haud ordinaria auxilia et beneficia, aliquam parvam rem, iuxta regionis conditionem, nec non ad alias personas etiam saeculares, quae utilitate missionis ope*ram gratis praestant, et ad pauperes catholicos.

6. An liceat missionario emere libros, imagines, coronas precatorias et similia devotionis obiecta, nomine Sacrae Congregationis ut tribuantur adeuntibus frequenter doctrinam christianam scholarum.

7. **Quatenus accidat, ut ille qui, nomine s. Congregationis, pecuniam impendit, nequeat legitima de causa hanc pecuniam tutam habere in domo sua, an ad tempus quaeat eam habere et tutam reddere in aliqua Missionis capsa, dummodo ipse idem apud se clavem retineat; et an liceat Missionario examinare rationes expensarum quae ab eodem fiunt; et quando talis persona fide digna non reperiatur, tum ad custodiendas, tum ad impendendas eleemosynas, liceat missionario pecuniam retinere**

tenerli sotto chiave come sopra; e, dovendosi pagare qualche creditore, se sia lecito di assistere a- tal pagamento per se stesso, senza però •contrattare il danaro, ma involto in carta, o in straccio, o qualunque altra cosa-, possa presentarlo al medesimo, a'cciò si, pigli da sè la dovuta soddisfazione. >

sub clave uti supra; et si dimitti debeat aliquis creditor, liceat missionario adesse pecuniae solutioni, quin tamen attingat pecuniam, quam exhibeat eidem scruta aut charta involutam, ut debitam apocham per seipsum accipiat,

Ex eadem S. G. una cum his dubiis transmissa fuit doctrina, et responsiones Procuratoris Generalis Cappuccinorum tenoris sequentis;

« Ut morem geram Emis Dnis. meis, votumque meum circa dubia exposita sincere exponam, suppono Religiosos, qui Regularium claustris ad diversas Orbis partes propagandae fidei ac religionis causa mittuntur, non esse omnino a propriae Regulae observantia exemptos, quin potius eiusmodi observantiae semper obstrictos manere, haud secus ac ii, qui ex iisdem Regularibus ad munus parochiale, aut etiam episcopale assumuntur, ut est de mente omnium. Suppono nihilominus eiusmodi missionarios, quantum ad paupertatis votum spectat, eo ipso censeri dispensatores bonorum, quorum dispensatio ad munus missionariorum exequendum necessaria, aut simpliciter, aut secundum quid existit, prout etiam assumpti ad munus parochiale, sive episcopale dispensatores bonorum ecclesiasticorum sive ad Episcopatum attinentium secundum omnium intelligentiam existunt: quibus suppositis, possem utique uno verbo omnibus dubiis satisfacere dicendo, missionarios qui de novo ad ea loca, in quibus Missiones iamdiu viguerunt, divertunt, optime facturos si se conforment modo vivendi antiquorum missionariorum, a quibus facile omnem vivendi rationem intelligere possunt ; sic enim et ipsi tuti in conscientia erunt quoad se, et quoad alios, omnis amputabitur perturbationis occasio quae non raro inter missionarios inde oriri solet, quia audentes de novo reformationem introducere praetendunt. Quod si missionarii ipsi in Missione ab antiquo tempore iam commorati sunt, optimum pariter erit si a priori, et antiqua vivendi ratione minime recedant; hoc, inquam, unico responso posset, ac fortasse expediens foret huic missionario satisfacere, ut nimirum tam ipse, quam alii eam in omnibus vivendi rationem teneant, quam ahi ante ipsos, aut ipsimet a principio Missionis per aliquot annos sequentes tenuerunt. Veniendo tamen etiam ad dubia particularia :

» Ad 1. respondeo licere missionario in casu, de quo in dubio

proposito, intervenire cum ipsa persona, quae debet necessaria ad victum et gubernationem domesticam expendere, secumque simpliciter proponere, sive exponere iudicium, quia ii non sunt actus dominii proprii, sed simplicis dispensationis, quam non esse prohibitam missionariis ex praesuppositis liquet.

» Ad 2. respondeo pariter licitum esse missionario sibi aliunde providere necessaria non solum pro se et socio, sed etiam pro catholicis, quorum saluti etiam corporali, in quantum conferre potest saluti spirituali, sive fidei, ac religionis propagatami consulere optimum est; ita tamen ut, ad cavendam omnem perturbationem, non se extendant extra districtum suae Missionis absque licentia alterius missionarii, aut etiam superiorum Religionis eius districtus, in quo talia procurare intendit.

» Ad *Z.* Similiter respondeo licitum esse talibus uti eleemosynis absque dantis alia declaratione, quia dantes, eo ipso, quo non determinant, in quibus eleemosynae ab ipsis datae impendi debeant, dari censentur cum plena libertate, ut scilicet impendantur in iis, in quibus missionarii expendi debere iudicaverint.

» Ad 4. Similiter respondeo licitum esse dummodo missionarii nullum dominii actum circa praecedentia exerceant.

» Ad 5. item affirmative respondeo, quia haec omnia censentur facere tamquam dispensatores eleemosynarum, et incommodum sive utilitatem Missionis.

» Ad 6. eodem modo, nam eo ipso quod talia emuntur nomine Congregationis, nullum exercetur dominium, sed simplex actus dispensationis, et iuxta intentionem Sacrae Congregationis.

» Ad 7. repondeo missionarios, quantum fieri potest, omnino abstinere debere a recipiendis pecuniis per se ipsos, aut etiam ab iisdem intra proprias domos sive hospitia retinendis, vel conservandis, sive etiam ab excipiendis pecuniis, sive quomodolibet contraclandis per se ipsos; si tamen vere casus venerit, prout supponitur in dubio, existimo non esse illicitum missionario facere, ut pecunia intus propriam domum reservetur; ita tamen ut interventu alicuius personae reponatur, ac inde quoties opus fuerit ad necessaria procuranda extrahatur in casu in quo nullo modo invenire possent personam, cui talia committantur, quod vix unquam accidere posse existimo ; quia tamen res est facti potius, quam iuris, ideo prudenti missionarii arbitrio sive iudicio totum quod in hoc ultimo dubio proponitur relinquendum censeo, quem socii saltem super his consilium, aut etiam consensum requirere optimum erit; ac ulterius suo tempore Praefectum Missionum consulere posset, cuius consilium, si possit haberi, longe tutius, et consultius foret. »

Ut possit igitur Sacrae Congregationi de Propaganda Fide huius Sacrae Congregationis sententia referri, dignabuntur Emi PP. ad dubia superius proposita respondere.

Die 8 Augusti 1671. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Trident. Interpretum in omnibus iuxta responsiones praedictas respondendum censuit, prout respondit.

S. Congr. S. Officii, 20 Novembris 1668.

De irregularitate dispensanda in filios haereticornm.

An alumni Collegiorum Pontificiorum qui vel ab haeresi sunt conversi vel sunt haereticorum filii et ideo irregulares (quod apparet) noa sublata, ad Ordines etiam sacros promoti fuerunt et promoventur, num rite et canonice promoti fuerint et promoveantur. An vero indiguerint et indigeant dispensatione ab irregularitate iam dicta.

R. Alumnos praedictos indiguisse et in posterum indigere dispensatione quoad praedictam irregularitatem. Petentibus vero relaxandam dispensationem.

S. Congr. S. Officii, 18 Martii 1782, Vic. Ap. Constanti ñopo i it.

De negotiatione agenda in societate.....

Utrum sacerdotes ad titulum missionis ordinati, possint conferre pecunias in societatem negotiationis, et ita accipere partem lucri ex negotiatione procedentem vel determinatam, vel eventualem? Ratio dubitandi est quia, cum beneficio vel patrimonio careant, non sunt sufficienter provisi pro sua sustentatione, vel pro casibus infirmitatis, pestis, incendii, senectutis, in quibus eleemosynis Missarum non multum vel nihil sibi providere possunt.

R. *SSmus iussit per* Instructionem *responderi.*

INSTRUCTIO — Tota quaestio in eo versatur: an sacerdotibus ad titulum missionis ordinatis, qui patrimonio ac beneficio carent, atque Missarum eleemosynis parum aut nihil comparare sibi possunt, permitti queat ut licita atque honesta aliqua negotiatione suae consulant sustentationi. Distinguere autem oportet, utrum sacerdotes isti ex nunc inopia premantur, cui ni consulatur, cum sui characteris dedecore victum sibi mendicare cogantur; an potius, providentes futuris casibus infirmitatis, senectutis, atque etiam pestis, incendiorum, ac terraemotus, quibus urbs ista frequenter obnoxia est, lucrum aliquod sibi ex ne-

gustatione comparare velint, ut opportuna hac cautione futuram egestatem devitent. Quoad sacerdotes praesenti inopia laborantes in promptu •*est* **Decretum S. C. de Propag. Fide , die 23 Novembris anni 1665 ; quoad alios vero, futuris sed tamen probabilibus, suis necessitatibus providere cupientes, praestat etiam Epistola Encyclica sa. mem. Clementis XII. diei 17 Septembris anni 1759 , quae incipit:** *Cum primum,* **in qua, et praesertim in §§.** *Si autem Ecclesiasticorum quispiam* **etc.** *Deinde pro eo* **etc.** *Caeterum facultates,* **etc., quidquid ad rem opportunum est, sanctissime decernitur** (1). **Ex his autem Apostolicae Sedis sanctionibus, si regulas atque instituta, atque etiam indulgentiam in iis expressam, Vicarius Apostolicus Constantinopolitanus, exacte ac diligenter sequatur, facile ipsi erit omne dubium dissolvere, et pauperum sacerdotum indigentiis, vel statim consulere, vel in posterum occurrere. Nam si urgeat praesens inopia, ex laudato Decreto anni 1665, poterit tolerare negotiationem aliquam a sacerdotibus fieri, iis tamen sub conditionibus quae in eodem Decreto adiiciuntur; si vero futuris necessitatibus dumtaxat est providendum, ea facultate utatur quam Clemens PP. XIII. Episcopis extra Italiam concessit, et dispensationem sacerdotibus indulgeat, ut sua industria possint subsidia quaerere ad vitandam egestatem, iuxta tamen eas conditiones et regulas <pias idem Pontifex in ea Epistola praescripsit, et ita, etc.**

(1) En in commodum lectorum quod ad rem facit.

Si autem Ecclesiasticorum quispiam, ad se excusandum, quod Saecularibus negotiis se immisceat, necessitatem proferat indigentiae, non quidem suae (quandoquidem unicuique Clerico canonicus Ordinationis Titulus , vel saltem congruum sufficiens patrimonium esse debet, quo se sustentet, iisque forsan deficientibus , debet ipse honestioribus artibus, suaeque professioni conformibus, propriis necessitatibus consulere) sed aut Parentum, aut Sororum, aliarumque Personarum, quibus ex naturalis officii debito opem ferre teneatur ; primum volumus atque decernimus, huiusmodi •excusationem a Superiore Ecclesiastico nequaquam admitti, eidemque Clerico minime suffragari posse quominus ad Canonicae legis praescriptum pro modo culpae puniatur, nisi doceat se antea praefatas necessitates Apostolicae Sedi, si intra Italiam et insulas adiacentes existat, si vero in remotioribus Regionibus versetur, saltem Ordinario loci exposuisse, earumque intuitu, opportunam dispensationem, et facultatem praedictas Personas industria sua iuvandi, vel ab eadem Apostolica Sede, vel respective ab Ordinario impetrasse.

Ceterum facultates ipsas , etiam ut supra dictum est obtentas , semper quoad tempus revocationi obnoxias censeri decernimus, ita ut pro irritis et revocatis ipso iure habeantur, quoties allegatae Coniunctorum indigentiae cessaverint, vel alia legitima se offerat ratio iisdem opportune prospiciendi. Super quorum omnium tum executione , tum observantia , Ordinariorum localium vigilantiam, atque conscientiam onerari volumus, et re ipsa oneratam fore denunciamus.

S. Congr. S. Officii, Ii Augusti 1649. — De missa celebranda a vagis.

Emi PP. mandarunt intimari Superioribus Religionum, quod mandent suis subditis monasteriorum et conventuum superioribus ne admittant ad celebrandum in eorum ecclesiis, eorum vel alterius Religionis ceteros, vagos, seu peregrinos, nisi examinatis diligenter litteris obedientiae seu assignationis eorum Superiorum, et testimonialibus promotionis ad sacerdotium; quo vero ad sacerdotes saeculares, nisk visis litteris testimonialibus subscriptis a Vicario generali, seu foraneo Episcopi loci.

Ex Instr. S. C. de Propaganda Fide, 16 Octobris 1883, ad Vic. Ap. Syn. De pueris in seminario educandis.

1. Iuxta Decreti Tridentini (Sess. 24. c. 18 de Reform.) ordinationem certus puerorum numerus in Seminario alendus ac religiose educandus praescribitur. Quo vero certiores fiant VV. AA. de bona puerorum inclinatione quos ad hunc numerum eligunt, servent in primis ordinationes Synodi Sutchuensis (c.-VIII. n. i.) (1). Imo optimum foret consilium ut cum quis admitti peteret, vel fortasse missionarii idoneum putarent, ipsi eum in servitio altaris per unum aut duos annos saltem exerceant, vel etiam, si fieri posset, apud se retineant, illius propensionem, mores, docilitatem probaturi: cum vero eum idoneum arbitrentur, Vicario Apostolico praesentent ut in Seminarium,, vel scholam praeparatoriam, si adsit, introducatur. Quod quidem iudicio ipsius Vicarii Apostolici decernendum erit. Sint vero pueri duodecim annorum, vel ad minimum decem, et generatim loquendo non ultra quatuordecim, qui caeteris qualitatibus a Concilio requisitis instructi sint. Biennio autem veluti in probatione in ipso Seminario maneant; deinde, si idoneis invenientur, in alumnorum numerum recenseatur. Quippe maximi interest, attenta Sinensium natura, adolescentulus ipsos, quamprimum fieri potest, sub cura missionariorum ipsiusque ecclesiae versari, de eorum indole diligenter inquiri, neque eos admitti nisi vere spes affulgeat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo et sancte inservituros.

(1) Syn. Sutch. c. VIII. n. 1 : « Quicumque adulescens postulaverit in Semina- » rium admitti, missionarius nec statim annuat nec renuat, sed admoneat illum ut, « abdicatis propriis affectiouibus , divinam voluntatem precibus enixis et assiduis, » prudentique consilio inquirat, et aguwscere satagat ; interim vero ipse missionarius » serio exquirat, perpendat et probet, quantum tìeii poterit an habet dotes supradi- » ctas (i. e) morum innocentiam, vel probitatem, indolis mansuetudinem et docilita- » tem, ingenii aptitudinem et intentionis rectitudinem. »

2. Optimum quoque consilium S. Congregatio existimat, quod a nonnullis Vic. Ap. susceptum est, ut singularis schola instituatur in qua pueri huiusmodi ab aliis separati ad Seminarium praeparentur : vel -satius, ut iam in pluribus missionibus factum est, collegium puerorum praeparatorium (petit séminaire) a Seminario proprie dicto divisum constituatur.

3. Quoniam vero complures adhuc Vicariatus in Sinis vix figuram quamdam ac veluti initium Seminariorum exhibent, nec media ad ea constituenda necessaria adhuc in promptu habentur, nec brevi reperiri poterunt; ne huius institutionis utilitate priventur, imo ut statim illius fructibus perfrui possint, Emi PP. earum missionum praesulibus commendarunt ut consiliis simul initis Seminaria quae appellant *centralia* **sive provincialia, unum aut plures in singulis regionibus, iuxta opportunitatem, instituere satagant, in quibus facilius et magistrorum et moderatorum copia, et, pecunia collata, caetera media necessaria comparari poterunt. Quod quidem Tridentini PP. iam in decreto memorato aperte innuunt iis verbis :** *si vero in aliqua provincia ecclesiae tanta paupertate laborent ul collegium in aliquibus erigi non possit. Synodus provincialis, vel metropolitana cum duobus antiquioribus suffraganeis, in ecclesia metropolitana vel alia provinciae ecclesia commodari, unum aut plura collegia, prout opportunum iudicabit, ex fructibus duarum aut plurium ecclesiarum, in quibus singulis collegium commode institui non potest, erigenda curabit ubi pueri illarum ecclesiarum educentur.*

4. Districte vero praecipit S. Consilium ut in maius Seminarium (Grand Séminaire), ubi erectum sit, nullimode admittantur laici; qui vero vocatione ecclesiastica carere dignoscantur, statim ab eo excludantur, ita ut de tali collegio verissime dici possit *illud Dei ministrorum perpetuum seminarium esse.* **Nec minori severitate servanda est Tridentini praescriptio, ut nimirum discolos** *et incorrigibiles ac malorum morum seminatores acriter* **(Vicarii AA.)** *puniant, eos etiam, si opus fuerit, expeliendo, omniaque impedimenta auferentes quaecumque ad conservandum et augendum tam pium et sanctum Institutum pertinere videbuntur diligenter curent.*

5. Quod quidem ut efficaciter assequantur necesse omnino est, ut commodiori Seminariorum curae et regimini opportune ita provideant ut quos sacerdotes iis praefiniant ab omnimoda aliorum ministeriorum administratione dispensent atque eximant; ne dum diversis sollicitudinibus distinentur, huic tanti momenti negotio non diligentissimam dent •operam. Quod si accideret, teneram iuvenum naturam ad praecellen-

tem sacerdotii vocationem non ita fingere possent, uti, ipso praeeunte Concilio,'Ecclesiae intentionem firmissimam esse, cuique legenti patet. •Quin etiam curent Episcopi ut moderatori Seminarii spiritualis director alumnorum assignetur, cuius ministerio quot ad pietatem ac sanctorum doctrinam hauriendam stimuli alumnis addantur vix credibile est.

6. Laudat S. C. consilium PP. in nonnullis Synodis expressum quoad instaurationem studiorum : de qua re Decretum Concilii Tridentini adeo sollicitum fuit. Verum cum accuratissime consideraverit, quae ad ipsam de statu studiorum in Seminariis sinensibus his postremis temporibus relata sunt, non solum sui muneris esse existimavit tenorem memorati Decreti Vicariis AA. in memoriam revocare, verum etiam nonnulla specialiter indicare quae ad rectam instaurationem studiorum in Sinis censet pertinere. Itaque in primis monendus esse autumat optimum fore consilium si in singulis regionibus, quarum praesules in Synodum convenerunt, ab ipsis communi consensu doctiores quidam et experientia spectati deligantur viri, qui simul congregati de ratione studiorum in Seminariis inducenda pertractent, ac relatione sententiarum in quas descenderint elucubrata, eam Episcopis in proximis conventibus synodalibus discutiendam tradant. Necesse autem erit ut peculiariter de libris in scholis Seminariorum adhibendis sermonem faciant, discutiantque an in classibus linguae latinae auctores aureae aetatis indiscriminatim alumnis tradere expediat, tum etiam an et quomodo classici auctores sinenses adolescentibus addiscendi tradi debeant. Praesertim vero ad examen revocabunt quaestionem de auctoribus in pilosophia rationali ac theologia adhibendis. Qua in re laeto animo pervidit S. Congregatio plures ex Patribus sollicitos se ostendisse ut philosophia ad methodum S. Thomae in hisce scholis introduceretur. Hoc itaque propositum laudat, ac optimum autumat si praedicti viri de ratione eam rem ad praxim deducendi tractaverat, eos auctores indicando qui idonei ad id, inspectis locorum et iuvenum circumstantiis, reperti fuerint. Id sane, ut notum est, gratissimum SSmo Domino Nostro erit, qui tantam de philosophia D. Thomae restituenda sollicitudinem ostendit, uti ex eius uteris encyclicis patet. Item animadvertendum erit qua ratione in philosophicis $t praesertim theologicis doctrinis tradendis errores et praeiudicia nationis prae oculis haberi ac refutan debeant. Neque inopportunum esset si aliquod opus expresse contra haec ipsa praeiudicia concinnatum exhibeatur, ut scilicet iuvenes ad sacerdotium designati veri certatores adversus gentis suae errata efformentur. Denique in id maxime contendendu.nl est ut in doctrina de Ecclesia tradenda alumni de vi ac ratione primatus Romani Ponti-

ficis ac de eius praerogativis ac dotibus diligentissime iuxta Concilii Vaticani decreta edoceantur, ac Romanae Ecclesiae amore ac reverentia intima imbui valeant.

8. Quod vero pertinet ad reditus ad Seminaria constituenda iuvenesque alendos, cum ea quae Tridentinorum PP. Decretum statuit in locis missionum locum habere nequeant, id tantum S. Congregatio enixe commendat omnibus VV. AA. ut in eleemosynis ad opera missionum applicandis primam potioremque partem post necessariam sustentationem Seminario attribuant, Tridentinae Synodi sollicitudinem imitantes, quae adeo gravibus verbis in horum collegiorum reditibus statuendis auctoritate sua providere non dubitavit.

9. Cum autem alumni ad eam aetatem pervenerint, quae ad Ordines sacros suscipiendos necessaria est, non statim nec nimia facilitate iis manus imponant: at prae oculis habeant ea quae Synodus Sutchuensis (c. VIII.) eloquilur, nimirum ut nemo ad sacerdotii dignitatem assumatur qui *per longum tempus* **non fuerit probatus; et iterum: nemo ad Ordines sacros assumatur nisi quem** *post longam in Seminario probationem,* **caelestis sapientia, probi mores,** *diuturna* **iustitiae et castitatis observantia, competentisque scientiae acquisitio commendet (ibid.). Et, si necesse sit, sacram Ordinationem ultra communem annorum terminum, n. annos 24 absolutos, retardare pro sua prudentia non dubitent.**

S. Congr. de Propag. Fide — C. G. 13 Iunii 1625. — De haeresi absolvenda.

An Regulares vigore suorum privilegiorum etiam per viam communicationis eis competentium possint absolvere ab haeresi, prout quidam Religiosi de facto in vim dictorum privilegiorum absolvunt.

R. Regulares nullo modo posse in vim suorum privilegiorum etiam per viam communicationis eis competentium ab haeresi absolvere, et proinde qui huiusmodi facultatem sibi usurpant, eaque utuntur de facto, male facere.

S. Congr. de Propaganda Fide — C. G. 28 Iulii 1626.
De missa celebranda a sacerdotibus peregrinis.

Relata fuit declaratio S. Gongnis. Concilii Tridentini ad dubia proposita ab Episcopo Zacynthi, quae ad calcem praecedentis Congnis. fuit registrata (1). **Patres tamen, SSmo** D. N. **approbante, dixerunt declarationem praedictam intelligendam esse quoad Regulares peregrinos, qui in ea insula ecclesias suorum Ordinum habent. Ceterum quoad Regulares non habentes ecclesias suarum Religionum concedendam esse (prout concessa fuit) Episcopo praedicto facultatem eos prohibendi ne sine sua licentia sacrum ibi celebrent.**

Decr. S. Congr. de Propag. Fide — C. G. 20 Sept. 1638.
Missionarii quoad usum pecuniae.

Referente Emo D. **Card. Spada instantiam missionariorum ex Religionibus Sancti Francisci et Capuccinorum, ut declararetur quod eo ipso quod sunt facti missionarii, intelligatur eis concessus pecuniae usus tam in itinere, quam in locis missionum quando non possint habere copiam fidelis syndici; et simul rescriptum f. r. Honorii** III **ad Franciscanos in regno Marochii missionarios; S. C. censuit, si SSmo placuerit, dispensandum esse in casu defectus fidelis syndici cum Praefectis Missionum circa pecuniae usum iuxta petita, additis memorati rescripti conditionibus, videlicet quando urget necessitas ac invitat utilitas, doloque ac fraude cessante, eorum sinceritatem utilitas non se-**

(1; In Actis Congregationis Generalis (de Propag. Fide) die 14 Iulii 1626 haec habentur: "S. C. censuit instantiam Episcopi Zacynthi remittendam esse Illmis Pa- » tribus Sac. Conc. Trid. Interpretibus ut ab eis infrascriptum dubium discutiatur » et diffiniatur, videlicet: *An Ordinarii locorum vigore Concilii Trid. de obser- » vandis et evitandis in celebratione Missae, possint, tamquam Sedis Apostolicae » delegati, sub poenis et censuris prohibere ne regulares peregrini in ecclesiis suo- » rum Ordinum in ipsorum Ordinariorum dioecesibus constitutis Missas celebrent » sine eorum licentia;* **et si fortasse huiusmodi dubium negative diffiniatur, S. C. » censebat ob rationes ab Episcopo praedicto allegatas posse eosdem Illmos Patres, » cum SSmi beneplacito, eidem Episcopo facultatem faciendi praedictam facultatem » concedere. » Responsum autem S. C. Concilii ita refertur in iisdem Actis : « Ad dubia proposita ab Episcopo Zacynthi S. Congr. Concilii respondit ut infra :** *Die 27 » Iulii 1626. S. Congregatio Illmorum Cardinalium Concilii Trid. Interpretum » respondit : Ad 1. Ordinarios locorum ex dispositione S. Concil. Trid. prohibere » non posse ne Regulares peregrini in ecclesiis suorum Ordinum Missas celebrent » absque eorum licentia.— Ad 2. Non esse concedendam Episcopo Zacynthi facul- » tatem faciendi huiusmodi prohibitionem, nisi concurrat frequentia casuum cum » negligentia non corrigibili Superiorum Regularium,* »

ducit; eisdemque Praefectis concedendam esse facultatem eodem modo et cum iisdem conditionibus dispensandi cum sociis Missionum eis bene visis. Non obstantibus etc. —Eodem die SSmus D. N. decretum S. Congregationis probavit.

Ex Litt. S. Congr. de Propaganda Fide, 8 Aprilis 1862, ad Vic. Ap. Lahassae. Missionarii mercatores.

Emi PP. (S. C. S. Officii) animo rependentes necessitatem in qua missionarii versantur se gerendi ut mercatores ad hoc ut ingredi et morari possint in regno Thibeti, opportunum censuerunt transmittere ad te exemplar decretorum quae alias, in casibus similibus, ab eadem S. C. edita sunt ; quibus uti possis, et iuxta datam tibi a Domino prudentiam, eadem in casibus occurrentibus applicare valeas; salvo recursu, quem semper habere potes ad S. Sedem, ubi contingat te de casu aliquo dubitare, nec invenire modum decreta eadem applicandi. Ceterum scias oportet instructionem iussu EE. PP. ad te transmissam, quae anxietatum tibi causa fuit, respicere exercitium mercaturae proprie dictae, scilicet lucrativae, quae ecclesiasticis personis prohibita est.

Litt. encycl. S. Congreg, de Propaganda Fide, 29 Martii 1873. De clericis qui mercaturam exercent in Indiis orientalibus.

Cum Supremae S. Inquisitionis Congregationi dubium fuerit expositum an post Constitutionem *Apostolicae Sedis* **editam a SSmo D. N. Pio div. prov. PP. IX. quarto idus Octobris** 1869 **adhuc vigeant censurae** *latae sententiae* **contra ecclesiasticos et missionarios mercaturae in indiis Orientalibus operam dantes in Constitutionibus Urbani VIII.** *Ex débito* **die** 22 **Februarii** 1633, **et Clem. IX** *Sollicitudo* **die** 17 **Iunii** 1669 **editis comminatae, EE. PP. Inquisitores generales in Congregatione habita Fer. IV.** 4 **Decembris** 1872 **cum considérassent reservationem aut exceptionem factam ad paragraphum** *Quae vero censurae* **praedictae Constitutionis posse quaestionibus ansam praebere, censuerunt supplicandum eidem SSmo Domino Nostro, ut declarare dignaretur Constitutiones Summorum Pontificum Urbani VIII et Clementis IX sur perius memoratas, adhuc vigere, et declarationem notificandam esse ab hac S. C. per Literas circulares, prout tenore praesentium fit, missionariis quibuslibet in Indiis Orientalibus et Americae existentibus. Porro Sanctitas Sua eidem sententiae in omnibus annuendum censuit.**

S. Congr. S. Officii, 17 Ianuarii 1883.
Missionarii Sinenses quoad mercaturam et censuras inflictas.

Utrum declaratio SSmi diei 4 Decembris 1873 complectatur etiam missionarios sinenses? (1).

R. Affirmative; et ad mentem: Mens est: 1. Ut illis verbis *simpliciter reservatae Pontifici* **substituantur alia verba Clementis IX. nempe:** *— A qua excommunicatione latae sententiae ipso facto incurrenda nemo absolvi potest, praeterquam in mortis articulo constitutus, nisi lucris huiusmodi prius restitutis* **(Clemens IX. in Constitut.** *Sollicitudo pastoralis* **17 Iunii 1669 §. 4.). 2. Ut eadem prohibitio ac poena ad mentem eiusdem Clementis IX. non solum afficiat missionarios europaeus, sed etiam quoscumque ecclesiasticos viros, qui sub nomine missionariorum, aut quovis alio titulo, pro tempore missi fuerint, aut in illis partibus quomodolibet morabuntur.**

S. Congr S. Officii, 29 Ianuarii 1851. — De pecunia convertenda in merces.....

Implorat (Vic. Ap. Kouytcheeu) facultatem procurandi ut pecunia, a Seminario Parisiensi pro viatico et necessitatibus missonariorum missa, in portubus convertatur in merces, quae intra regionem vendantur, ut sic sine detrimento recipiatur integra pecunia missa. Sic res procedit. Vicarius Apostolicus pecuniam ad se missam deponit apud quemdam mercatorem in provincia sua commorantem, et partem illius pecuniae de tempore in tempus sumit et expendit prout necessitates postulant; et sic in fine anni, plus minusve pecuniae superest in manibus mercatoris, qui ea utitur pecunia ut suum exerceat commercium, et lucrum ex ea percipit, miraturque quod Vic. Ap. nullam lucri advenientis partem recipiat. Petit Vicarius Apostolicus ut sibi liceat cum illo mercatore societatem inire, ut lucri vel damni sit particeps, pro rata pecuniae apud praefatum mercatorem a Vic. Ap. depositae.

R. Quoad ineundam societatem, negative; et Vic. Ap. Kouytcheou consulat Benedictum XIV. in sua Constitutione *Apostolicae servitutis* **-et** *de Synod. Dioeces,* **lib. 10, c. 3, et detur Decretum diei 13 Augusti 1834 nempe:** *Posse missionarios etc. subsidiorum sibi debitorum securitati et missionis ipsius bono consulere, accipiendo per modum permutàtionis merces pecuniis sibi debitis emptas easdemque ad se delatas vendere, et suum facere pretium ex venditione earumdem retrahendum.*

(1) Declaratio haec prostat hac appendice, pag. 706.

S. C. S. Officii. 23 Nov. 1874.

Dubia quoad loca quibus monialium confessiones excipiuntur.

1. An loca in quibus excipi solent confessiones monialium habenda sint ut loca destinata ad audiendas confessiones, vel ut vera confessionalia.

2. An idem dicendum sit de locis construens ad formam eorum in quibus excipi solent confessiones monialium claustralem, in quibus, excipiuntur confessiones mulierum degentium in locis quae vulgo dicuntur *conservatorìi, ritiri.*

3. Quatenus habenda sint ut vera confessionalia, utrum talia censenda sint solum quoad moniales et alias degentes in praedictis locis,, an eliam quoad alias mulieres extraneas.

R. Ad tria dubia prout exponuntur: Affirmative.

S C. S. Officii. 22 Decembris 1880. — De egressu monialium.

Constitutionis *Apostolicae Sedis* (Pii PP. IX) Moniales e clausura exeuntes extra casus et formam a S. Pio PP. Y. in Constitut. *Decori* praescriptam, excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae subiiciuntur. Sed in hac Dioecesi, ut etiam in pluribus aliisy omnino ab immemorabili conceditur iisdem egressus ex causis gravibus, ab Episcopo recognitis et probatis, iuxta Concilium Trid. et nulla ratione habita Constitutionis Pianae. Quaeritur ergo utrum particularis ea et immemorabilis consuetudo per dictam novam Constitutionem abrogata censeri debeat, an aut continuari possit.

R. Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam : nempe quoad egressum monialium a clausura servandam esse Constitutionem S. Pii V. *Decori,* contraria consuetudine non obstante. **(1)**

(1) la Const. de qua agitur (24 Ian. 1570) Pontifex vetat omnino moniales « etiam infirmitatis seu aliorum monasteriorum, etiam eis subiectorum, aut domorum parentum aliorumve consanguineorum visitandorum, aliave occasione ct praetextu, nisi ex causa magni incendii vel infirmitatis leprae aut epidemiae , quae tamen infirmitas praeter alios Ordinum superiores quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum seu alium loci Ordinarium, etiam si praedicta monasteria ab Episcoporum et Ordinariorum iurisdictione exempta esse reperiantur, cognita et expresse in scriptis approbata sit, a monasteriis praefatis exire, sed nec in praedictis casibus, extra illa, nisi ad necessarium tempus stare licere; aliter autem quam ut praefertur egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes , nec non comitantes , ac illarum, receptatrices personas , sive laicas aut saeculares vel ecclesiasticas, consanguineas vel non, excommunicationis maioris latae sententiae vinculo, statim eo ipso, absque aliqua declaratione subiacere, a quo praeterquam a Rom. Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi nequeant, *

Ex Decr. S. C. super statu Regul. 25 Ianuarii 1848
De uteris testimonialibus exhibendis ad religiosum habitum recipiendum.

I. In quocumque Ordine, Congregatione, Societate, Instituto, Monasterio, Domo, sive in iis emittantur vota solemnia, sive simplicia, et licet agatur de Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, Institutis, Monasteriis, ac Domibus, quae ex peculiari privilegio etiam in corpore iuris clauso, vel alio quovis titulo in decretis generalibus non comprehenduntur, nisi de ipsis specialis, individua et expressa mentio fiat, nemo ad habitum admittatur absque testimonialibus Uteris tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci in quo Postulans post expletum decimum quintum annum aetatis suae ultra annum moratus fuerit (1).

II. Ordinarii in praefatis litteris testimonialibus postquam diligenter exquisiverint etiam per secretas informationes de Postulantis qualitatibus, referre debeant de eius natalibus, aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia ; an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate, aut alio canonico impedimento irretitus, aere alieno gravatus, vel reddendae alicuius administrationis rationi obnoxius. Et sciant Ordinarii eorum conscientiam super veritate expositorum oneratam remanere, nec ipsis unquam Uberum esse huiusmodi testimoniales literas denegare; in eisdem tamen super praemissis singulis articulis ea tantum testari debere quae ipsi ex conscientia affirmare posse in Domino iudicaverint.

S. C. Ep. et Reg. 22 Aprilis 1872.
Quaestiones quoad confirmationem confessariorum monialium.

Episcopus N. Eminentiae Vestrae humiliter exponit quod nuper fusius relatis S. Congregationi EE. et RR. S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae difficultatibus, quibus obnoxia sit in propria dioecesi dispolitio iuris canonici, vi cuius quolibet triennio mutandus sit mulierum Religiosarum Confessarius, ab eadem S. Congregatione Indultum sub die 6 februarii proxime elapsi obtinuerit, prout sequitur : « Vigore specialium facul-
» tatum a SSmo D. N. concessarum, S> C. Episc, et Reg., attentis ex-
» positis ab Episcopo N., eidem benigne facultatem tribuit, ad septen-

(1) Eadem S. C. die I Maii 1851 declaravit sufficere testimoniales datas a'b Ordinariis per litteras privatas.

» nium dura tu ram, Confessarios de quibus in precibus confirmandi; ita » tamen ut si agatur de secundo triennio, consensus duarum saltem ex » tribus partibus Sororum capilulariter ac per secreta suffragia praestan- » dus accedat; si vero de ulterioribus trienniis, omnium piae domus- » Sororum consensus ut supra praestandus accedat. Contrariis quibus- » cumque non obstantibus. — Romae 6 februarii 1872. » Porro idem Episcopus N. circa praedicti Indulti applicationem variis dubiis detinetur, quorum solutionem humiliter expostulat:

1. Quomodo intelligenda sit haec vox *capitulariter?* Num tantum de Sororibus quae ordinarie Capitulo intersunt, et in eo iure suffragii gaudent, habentes vocem sive passivam, sive activam, vel de omnibus, indiscriminatim Sororibus, etiam Novitiis, et de illis quae vocantur Conversae?

2. Adsunt in Dioecesi N. , sicut in ceteris Galliarum, variae domus Sororum quae extra clausuram operibus caritatis externis addicuntur, nempe pauperum et aegrotorum sublevamini, vel puellarum educationi; illae domus non sunt perfecte sui iuris, sed sub regimine Congregationis generalis detinentur. A domo praecipua (maison-mère), in qua resident Superiorissa generalis illiusque Consiliariae, emanat directio, cui subiiciuntur illae domus particulares. Quin et Sorores non in eadem domo stabiliter permanent, sed saepius de domo in aliam transeunt, prout exigunt Congregationis necessitates. In istis igitur domibus nullum unquam fit Capitulum proprie dictum ; si quaedam oboriuntur difficultates, si quae occurrunt mutanda, modificanda, instituenda, haec omnia semper referuntur Superiorissae generali eiusque- Consiliariis definienda et statuenda. Porro quod attinet ad particulares illas domos, quomodo intelligenda et applicanda vox illa *capilulariter* de qua in praefato Indulto?

3. In multis parochiis, praesertim ruralibus, adsunt duae vel tres et vix quatuor praedictarum Congregationum Sorores puellarum educationi inservientes. Porro illae Sorores, communiter sed extra clausuram degentes, non habent sacellum privatum, sed ecclesiam parochialem sicut ceteri frequentant, ibidem Missae et ceteris Officiis adsistentes, Sacramenta tum Poenitentiae tum Eucharistiae recipientes'; illae insuper Sorores saepius de parochia in aliam transeunt secundum Superiorissae generalis voluntatem. Porro, num in hisce circumstantiis- applicanda sit iuris dispositio circa triennalem Confessariorum mutationem', praesertim cum in hisce paroeciis unicus tantum adsit presbyter,, nempe parochus: et, si applicanda sit, quomodo etiam intelligenda sit vox illa *capitular iteri*

4. **Voces illae** *omnium piae domus Sororum consensus* **debentne intelligi** *de unanimitate absoluta* **Ye\ tantum** *morali?*

R. Ad 1. Intelligendas esse eas tantum Sorores quae ordinarie Capitulo intersunt.

Ad 2. **Intelligendum esse de iis Sororibus quae praefatas domos inhabitant, tum quum triennium Confessarii completur, et vocem habent in Capitulo.**

Ad 3. **Sorores de quibus agitur posse peragere extra piam propriam domum Sacramentalem Confessionem penes quemcumque Confessarium ab Ordinario approbatum.**

Ad 4. **Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.**

Ex Liti. S. C. Ep. et Reg. 20 Iulii 1875 — Dubia quoad confessarium Monalium.

M. Arcivescovo d'Oregon ebbe proposto i seguenti dubbii, notando, per la chiara intelligenza del primo, che il detto Arcivescovo avea citato un testo del Dottor S. Alfonso de'Liguori in cui dicendosi che i confessori delle monache, decorso il triennio, dichiaransi sospesi si aggiunge: *et hoc valet etiam pro confessariis Conservatoriorum :*

1. **Nos soeurs de Charité et autres consacrées à** 1'**education de la jeunesse sont elles comprises sous le nom de** *Conservatorum?*

2. **Si oui, l'Evêque peut-il autoriser le confesser** *ultra triennium ratione deficientiae confessariorum idoneorum f*

3. **La defense de la S. C. emporte-t-elle la nullité de** 1'**absolution du confesseur autorisé par l'Evêque à confesser** *ultra triennium?*

Archiepiscopus Oregonopolitan. dubia quae sequuntur proposuit, adducendo ad maiorem rei claritatem, textum excerptum a s. Doctore Alphonso de Liguori, in quo dum dicitur, confessores monialium, exacto triennio declarari suspensos, adiicitur — *et hoc valet etiam pro confessariis conservatoriorum :*

1. **Nostrae charitatis sorores aliaeque, educationi iuvenum addictae, comprehenduntur ne sub nomine** *Conservatorum?*

2. **Quatenus affirmative, Episcopus potest ne confessario auctoritatem conferre pro excipiendis earumdem confessionibus ultra triennium, ratione deficientiae confessariorum idoneorum?**

3. **Prohibitio S. Congregationis secum ne fert nullitatem absolutionis datae a confessario, per Episcopum approbato ad excipiendas confessiones ultra triennium?**

Questa S. G. de' Vescovi e Reg. per la risoluzione degli esposti quesiti, dopo udito l'oracolo di Sua Santità, avverte primieramente che, in genere la prescrizione sul cambiamento del confessore triennale, deve applicarsi non meno ai monasteri ed ai Conservatorii che ad ogni altra società di donne conviventi *more communitatis,* i quali abbiano i confessori ordinari, salvo che da particolari indulti ne fossero dispensati. Aggiunge similmente che lo stesso S. Consesso nell'anno 1846 ad una richiesta affine alla presente, che aveva promosso il Vescovo Tridentino, se cioè fossero da cambiarsi nei singoli trienni i confessori anche quando, come avviene alle Suore di Carità inservienti agli ospedali, queste spessissimo sono trasferite da un luogo e da una casa ad una altra, aveva già risposto in senso affermativo, concedendo però nello stesso tempo all'ordinario le facoltà di confermarli una o anche due volte, osservate sempre le consuete condizioni in tale caso prescritte.

Da ultimo ha espressamente dichiarato la Santità Sua che il lasciar continuare un confessore* nelle comunità di donne, come sopra, oltre un triennio senza dispensa della S. Sede, alla quale esclusivamente appartiene il concederla, non importa nullità delle assoluzioni sacramentali, ma unicamente un esercizio illecito di quel sacro

Sacra haec Cong. Ep. el Reg. ad explanationem dubiorum praedictorum, audito prius oraculo Sanctitatis Suae, praemittit, generaliter loquendo, praescriptiones de immutando triennali confessario applicandas esse tam monasteriis, et conservatores, quam cuilibet mulierum societati, quae vitam degant more communitatis, habentes confessarios ordinarios, excepto casu quo per peculiaria indulta dispensarentur. Adiicit etiam quod ipse Sacer Ordo anno 1846, dubio his affini, promoto ab Ordinario Tridentino, videlicet an in singulis trienniis immutandi essent confessarii, etiam cum, ceu evenit sororibus charitatis, quae hospitalibus inserviunt, quaeque saepe saepius transferuntur de loco et de domo ad aliam, responsum affirmativum dederat, indulgendo, eodem tempore, facultates Ordinario eosdem confirmandi semel aut bis, suetis observatis conditionibus ad hoc praescriptis.

Tandem explicite declaravit Sanctitas Sua, quod continuatio eiusdem confessoris in communitate mulierum, ut supra, ultra triennium, absque dispensatione S. Sedis, ad quam exclusive pertinet eandem concedere, secum non fert absolutionum sacramentalium nullitatem, sed tantum illicitum exercitium istius sacri ministerii.

ministero. A rimuovere poi l'incerteza che tuttora rimaneva nell'animo di M. Arcivescovo di S. Francesco gioverà fargli considerare che ove le Suore o Figlie della Carità di S. Vincenzo de'Paoli della sua diocesi abbiano l'abitudine o debbano confessarsi dal parroco, accedendovi nella sua chiesa parrocchiale o in altra pubblica chiesa, non è questo il caso, in cui è applicabile la inibizione data ai confessori di proseguire al di là del triennio, mentre la medesima è inflitta unicamente ai confessori ordinarii che si recano ad ascoltare le confessioni nei monasteri, conservatorii ed altri luoghi ove convivono donne in forma di comunità.

Ad removendam dubietatem, quae adhuc in animo Archiepiscopi s.Francisci permanebat, non erit abs re animadversio, quod si Sorores aut Filiae charitatis s.Vincentii de Paoli; e sua Dioecesi, consuetudinem habeant aut debeant confessionem peragere apud parochum in Ecclesia paroeciali aut in alia Ecclesia publica, casum non esse, cui applicari possit prohibitio confessariis facta prosequendi ultra triennium; eoquod ipsa infligitur unice confessariis ordinariis, qui ad excipiendas confessiones monasteria, conservatoria, aliaque petunt loca, quibus mulieres vitam degunt in forma communitatis.

S. C. Ep. et Reg. 16 Iulii 1884. — De auctoritate Episcopi in monialibus

1. An Episcopus, auctoritate propria, permittere valeat ut recipi possint in monasteriis clausurae subiectis mulieres quae ingredi cupiunt veluti pensionariae.

2. Pariter potestne Ordinarius auctoritate propria, ad tempus vel in perpetuum monialem aliquam de uno ad aliud monasterium transferre, etiam Ordinis eiusdem, iusta interveniente causa?

S. C. Indulg. 25 Ianuarii 1842
Dubia quoad indulgentias lucrandas a sodalibus.

Cum Episcopus Cameracensis, in erigendis Sodalitatibus cuiuscumque tituli, unicuique Sodalitati eadem statuta servanda tradiderit, quin mentio fiat in ipsis de aliquo pio opere a sodalibus exercendo, quaerit a S. C.s

1. Utrum Indulgentiae, talibus ab Apostolica Sede concessae, validae sint, et an sodales eas lucrari possint, adimpletis tantum conditionibus in Pontificiis concessionibus praescriptis?

2. Utrum praefata statuta servanda sint sub poena nullitatis Indulgentiarum, ita ut fideles Indulgentiis priventur ob eorum inobservantiam, sive integram, sive ex parte tantum?

3. Utrum receptio fidelium, seu adscriptio in Sodalitatem, facta a parocho respectivo illius ecclesiae, in qua Sodalitas reperitur erecta, sufficiens sit ad lucrandas adnexas Indulgentias, quamvis statuta mentionem non faciant quod Parochus debeat esse Sodalitatis Rector?

4. Utrum Episcopi, qui ab Apostolica Sede facultatibus sunt muniti, communicandi Indulgentias Sodalitatibus, quas in propriis Dioecesibus erexerunt, debeant, sub poena nullitatis, necessario uti formula a san. mem. Clemente YIU approbata, an satis erit eas erigere cum diplomate cuiuscumque formulae, Episcopali signo obsignato, in quo,, citato Apostolico Indulto, mentio quoque fiat, tum de necessitate adscribendi sodalium nomina in Sodalitatis album, tum de distantia se*/ vanda, prout Clemens YIII san. mem. in sua Constitutione praescribit?

R. Ad i. Affirmative.

Ad 2. Dummodo Sodalitates sint canonice erectae, et sodales adimpleant opera iniuncta a Summis Pontificibus pro lucrandis Indulgentiis suae respective Confraternitati adnexis, ipsique sodales legitime descripti fuerint in Confraternitatem, inobservantia partialis seu generalis statutorum non obest acquisitioni Indulgentiarum ex eo quod Statuta sunt potius ad regimen et ad rectam Sodalitatis administrationem data, minime vero tanquam iniuncta opera ad Indulgentias acquirendas.

Ad 3. Affirmative, quatenus parochus sit ab Episcopo erigente deputatus ad recipiendos sodales, etiamsi nulla de eo facta sit mentio in Statutis.

Ad 4. Quoad 1 partem : Negative. Quoad 2. partem : Ordinarii se conformare debent Litteris Apostolicis particularibus ab ipsis Ordinariis obtentis, et ubi in concessionibus enunciatur: *Servata Constitutione Clementis VIII,* hoc respicit conditiones in Constitutione enunciatas, quae sunt observandae, minime vero formulam, quae respicit Superiores Regulares in eorum Ordinis tantum Sodalitatibus erigendis.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

LEOPOLIEN. SEU PRBSMILIEN.

MATRIMONII

Die 21 Martii 1892.

Sess. 24 cap. 1. De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Comes Michael Plater Syberg octosupra triginta annos natus et Henrica Laczynska quadrilustris puella matrimoniali foedere, die *22* Iulii 1886, rite copulabatur in ecclesia paroeciali loci Kuthorz leopoliensis Archidioecesis, adstante P. Vincentio Szarlinski ordinis Capuccinorum eiusdem paroeciae administratore.

Eodem die quo nuptiae initae fuerant, sponsi pro recepto more, voluptuarium iter aggressi sunt. Mox plures Austriae et Galliae civitates simul peragraverunt, donec in patriam reversi, labente mense Septembri vel Octobri ineunte, Henrica aegrotans ad paternam domum divertit, ibique per aliquod tempus commorata est. Postea vero ad virum rediens una cum illo Leopolim venit, ubi coniuges breve domicilium habuerunt usque ad kalendas Ianuarias anni 1887, cum vitae consortium omnino abruperunt.

Die 25 Octobris 1888, Archiepiscopus Leopoliensis ritus, latini, ad preces comitis Plater a S. C. C. interrogatus, summarie notitiis receptis ac audita comitissa, referebat eam, « iterum atque iterum se paratam esse iuramento firmare assertum suum quod numquam copulam cum marito habuerit », hancque aenigmaticam coniugum agendi rationem resolvi « si attendatur ad factum quod fama de Henrica ferebat, quodque illa.... ingenue fassa est: scilicet se brevi anteinitum matrimonium cum comite Plater non ab eo, sed ab alio viro impraegnatam extitisse, atque iam circa finem mensis Ianuarii 1887 Leopoli prolem peperisse, quaeque vix in lucem edita vivere desiit. » Subdebat autem idem Praesul :

« Denique nec praetermittenda est hic loci illa fassio Henricae quod ultimis hisce diebus comes Plater enixe ab ea pererit ne renuat comparere, promisitque eidem si nullitas declararetur 125,000 flor, austr. val. quodque desuper documentum notarile iam est exaratum. »

Disceptatio synoptica

DEFENSIO VIRI. Viri patronus, exposita prius serie factorum, quae matrimonium antecessere, concomitarunt et fuerunt consecuta, late ostendere sategit machinationes et circuitus quibus circumventus fuit comes Plater ad nuptias quam cito celebrandas cum Henrica Laczynska, quae iam antecedenter ab alio gravidata fuerat, ceu ipsamet in iurato examine testatur. Mater enim filiam coegit ad matrimonium minitans eidem venenum et sicam ut delictum operiretur. Ad quem finem consequendum enarrat quod Henricae mater mediatorem abhibuit fratrem capulatum Vincentium Szarlinski, cuius iteratis importunisque precibus comes interrumpere coactus fuit susceptam in balneis ad aquas Thalkiscen curationem, velut medicus Stamler testatus est. Et frustra eidem dilationem petenti praecipitanter fratrem Szarlinski respondisse, diem editam anulis pronubis impressami, et institisse ut vir adesset die 4 Iulii constituta pro matrimonio ineundo, ne damna obvenirent familiae Laczynski. Quibus praeterea accessisse ipsius Henricae matris impulsus, quae se mortaliter, aegrotam ungebat eum in finem, ut valeret videre propriam filiam, matrimonio copulatam ante suum obitum. Quibus infaustis auspiciis et machinationibus matrimonium celebratum, infelicem habuisse exitum exponit orator, ita ut in itinere nuptiali comitissa praegnantia conturbata, consortium viri devitaret, neque cum eo non modo in eodem lecto, sed nec in eodem cubiculo iaceret. Quin imo in diversoriis in quibus coniuncta erant cubicula, ut testes deposuerunt, comitissa noctu portam cubiculi obfirmaret, in quo cum famula dormiebat. Unde ex agendi ratione mulieris quamdam animi

aversionem et invineibilem *antipathiam* in comite derivasse enarrat, quae causa fuit inconsummationis matrimonii.

Ulterius iii facto rationum momenta attingit orator, quibus comes impulsus fuit ad alimenta uxori suppeditanda, ne scilicet, ut ipse ait, propter minas sibi illatas, fundos amitteret, qui in Russiaco imperio sequestro subiicerentur. Nec aliquid obstare, subdit, multoque minus iuratae confessionis-veritatem imminuere, si comes, ut se ab invincibili antipathia, et odioso contubernio liberaret, conspicuam pecuniae summam per actum notarii se soluturum promisit, misericordia motus erga comitissam quae, expers bonorum fortunae, victima fuit matris suae. Id autem comitem ex bonitate animi promisisse praemonet, non iam ut mulier aliquam falsitatem in iurato examine deponeret, sed ut veritatem unice ex conscientia confiteretur. Idcirco eam comes ad veritatem profitendam directe hortabatur, et tria capita seu rationes dissolvendi matrimonium eidem declaranda proponebat : 1. quod ipsa inierit matrimonium cum comite vi matris adacta, 2. quod aversioni mutuae causam dederit privatio relationum coniugalium; 3. <mod ipsa desiderat dissolvi ab hoc vinculo anormali. Porro Henrica, ut animadvertit patronus, non in omnibus comitis quaesitis obsecundavit, ideoque ferventer adprecata est Episcopum ne eius depositiones innotescerent adversae parti; quia in sui praeiudicium sincere loquens timebat promissam sustentationem non amplius consecuturam. Nam cooperiens propriae genitricis coactionem nonnisi de levi metu in suo constituto locuta est, quamvis nonnulli testes de materais minis usque ad cruentam mortem deposuerint. Quod si comitissa quoad nullitatem, ex capite vis et metus nihil conclusit, attamen praeter suam intentionem, observat patronus, sincere ac veridice inconsummationem matrimonii non modo in iurato examine, sed in omnibus suis responsionibus confessa est. Quam postremam notabilem confessionem tutiorem viam ad gratiam dispensationis efñagitandam aperire monet, quin odiosae super ipsa nullitate quaestiones incurrantur. Praeterea nonnulla habet orator quoad huius procès-

sus formam, de qua superius praecipua exposita fuerunt. Nihil vero eorum substantialiter praetermissum fuisse affirmat, quae in citata Constitutione Benedictina et Instructione S. C. C. praescribuntur. Omnes testes enim citati legitime fuere: impossibile autem erat curiae episcopali con-^ tumaces ac lati tantes audire. Contumaciam vero paucorum haud nullitatem processus secumferre adnotat, cum id et S. C. inter millenas tenuerit in Parisien. *Dispensationis matrimonii 28 Martii 1857.*

Post haec antequam quaestionem aggrediatur, nonnulla quoad criterium et statum quaestionis praemittenda ducit. Ac in primis adnotat quod cohaerenter ad preces Beatissimo Patri exhibitas, quamquam abstinendum sit a formali discussione super impedimento dirimenti ex metu reverentiali suborto, nihilominus satis superque emanare dubium super validitate ut inter causas dispensandi recenseatur. Positivum namque dubium relate ad essentiales matrimonii qualitates saltem gravissimam suppeditare dispensandi causam ne coniuges inviti periculis coelibatus exponantur, vel ad aerumnosum contubernium damnentur, eruitur ex Alexandro III *cap. 14 De sponsale* « plena debet securitate gaudere, cuius est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere quod odit et sequatur exitus qui de invitis solet nuptiis provenire. » Praeterea ex constanti Ecclesiae disciplina compertissimum esse memorat, quod in hisce dispensationis iudiciis *duo* extrema requiruntur, nempe inconsummati, et aliqua iusta causa, ex qua Summus Pontifex ad gratiosam concessionem moveatur, ceu docuit S. Congregatio usque ad nuperrimas Parisien, et Liburnen. *diei 23 Ianuarii decurrentis anni 1892.* Posita enim, subiungit, non consummatione, prudentius dispensatio relaxatur, quacumque ex causa illa proveniat sive ex *antipathia,* sive ex impotentia, sive etiam ex aliis mali daemonis artibus, veluti erudite commentatur Gonzalez ad *cap. V De frigidis, et male f datis.* Unde, adurget, quacumque ex causa inconsummatio derivet, imperfecta est coniugalis vinculi firmitas et indissolubilitas. Coniu-

ges enim non sunt una caro effecti, nisi perfecta copula intercesserit, ut sint duo in carne una; deficiente siquidem consummatione etiam deficit indissolubilis unio, quam disrumpere nefas. Unde Romani Pontifices divini eloquii interpretes constanter a matrimonio simpliciter rato dispensarunt in auxilium christiani populi. Nec mirum si huiusmodi petitiones nostro aevo multiplicari videantur, cum id ex aucto fidelium numero fotisque passionibus derivet, ideoque et in maximam S. Sedis gloriam cedat.

Postremo memorat, benigne S. Sedem in his probationis rigore deflectere, qui ceteroquin requiritur in iudiciis super absoluta nullitate matrimonii decernenda. Pignatelli *Consult. Canon. 140 n. 14.* Ursaya *Disc. eccl. 21 n. 136.* Cosci *De separatione tori coniug. lib. 3 cap. 2 n. 285.* Idcirco •quando impossibilitas erumpit exquirendi physicam probationem, tunc unice sufficientem retinet certitudinem moralem, quae iudicum sapientiae et religioni committitur absque interventu fallacium peritiarum. Ea enim moralis certitudo quaerenda est quam fert materies, scilicet moralis et non infallibilis probatio, ut monet Cosci *cit. cap. n. 17,* quia infallibilitas solum exposcitur in supernaturalibus, sed in naturalibus, et in foro externo iuridica, et legitima ea reputatur probatio quam iura praescribunt'. Cui consonant Pignatelli *tom. IV consult. 219* docens: « in iis quae sunt difficilis probationis iuramentum habetur pro legitima probatione, » nec non Rota *Dec. 6 n. 8, et Dec. 124 n. 12 cor. Mantica.* -Huiusmodi vero principia praemonet orator in casu esse applicanda, ubi S. Congregatio antecedenter de cunctis examen, et ad testes credulitatis nempe septimae manus discussionem iudiciumque cohibuit.

Hisce animadversis, partem probatoriam in duo capita evolvit. Licet vero quaestionem praeterire affirmet quoad matrimonii validitatem, attamen cum inde, ut iam innui, praecipuam dispensationis causam invocet, nonnulla quoad hoc in primis iterum recolit. Sane animadvertit, de metu reverentiali a matre incusso ut Henrica in trepida conditione

redacta nuptias cum comite Plater iniret, seu testis Fuchs-in primis deponit aliique. Quibus si adnectatur conturbatio, qua Henrica ferme in deliquium incidit dum actu nuptiae celebrarentur, consequi videretur, attento statu in quo puella versabatur, timorem subiective gravem propter reverentialem metum extitisse. Unde, monet orator, adhuc intactam manere quaestionem et dubium positivum super nullitate huiusce matrimonii, eo vel magis quia post Concilium Tridentinum, purgato etiam metu per cohabitationem, matrimonium non revalidatur, nisi iterum contrahatur adhibita rursus eiusdem Concilii forma, ceu inter plura tenuisse refert S. C. in Panormitana, *Nullitatis matrimonii 20 Sept. 1719.* Quare, subdit, rationabiliter comes Plater petebat ut Henrica pro veritate de hac coactione palam et aperte confiteretur.

Sed vero propius ad rem, prosequitur orator, extra omnem dubitationem ex actibus processualibus constantissime evincitur huiusce matrimonii inconsummatio. Iurata siquidem coram Deo utriusque coniugis confessio peracta in duabus curiis Leopoliensi et Presmiliensi respective omnes veritatis, ac sinceritatis characteres praesefert, inspecta praesertim personarum dignitate. Quae personae sacrilegam coram Deo et Ecclesia confessionem fecisse non sunt suspicandae, praesertim cum utrumque mentiri nescium omnes contestentur. Sane patronus observat comitem Plater non modo in petitione et in omnibus actibus, sed etiam formiter iuratum, deposuisse matrimonii inconsummationem ob invincibilem antipathiam.

Quod mulierem attinet, praeter ea quae fassa est in Curia leopoliensi, ut Archiepiscopus retulit, animadvertendum censet orator, illam coram iudice presmiliensi sub fidei sacramento et quin aliquid de Pontificia dispensatione cogitaret ingenue pariter fassam esse semel tantum cubasse in eodem lecto, quin matrimonii implementum adfuerit : quod alias affirmavit absque contradictione. Demum Henricae sinceritatem revinci affirmat et manifestissime probari ex eo quod officioso matrimonii vindici roganti num iuxta factam viro promissionem seu potius ex conscientia haec deposuisset, il-

lieo quaesito satisfecit respondens: se ex intimo conscientiae dictamine fecisse, contra tamen mariti voluntatem.

Utriusque coniugis iuratis depositionibus testes septimae manus plene adstipulari observat patronus, dum unanimes tum viro cum mulieri fidem adhibendam esse fatentur. Ad quod revincendum, iam in factispecie commemoravit depositionem testis Fuchs, negotiorum comitis gestoris plene cum his cohaerere quae ipse comes de circumstantiis huiusce matrimonii retulit, et comes Stanislaus Plater qui a teneris unguiculis nepotem suum agnovit, ita testimonium suum dicebat: « Testimoniis omnibus comitis Michaelis, mihi a pubertate noti, fidem praebeo. » Nec absimiliter comitissa Barbara Los. His vero adiungi possent depositiones Alexandrae Machiewicz eiusque viri, comitissae Bokowska aliorumque testium, quorum dicta in summario referuntur.

Ex hisce igitur omnibus, contendit patronus credendum omnino esse coniugibus religiosis ac praeclaro genere natis, qui iuramento matrimonii inconsummationem confitentes, pessimum sacrilegium perpetrassent si matrimonium rati confinia excessisset. Hinc sibi locum vindicare tuetur dispositionem Caelestini III *lib. Decret, tit. 15 De frigid, et male fie. cap. 6:* « At vero si quod nunquam se invicem cognoverint ambo fateantur cum septima manu propinquorum vel vicinarum si propinqui defuerint, factis SS. Evangeliis uterque iureiurando dicat quod nunquam per carnis copulam una caro effecti fuissent, et tunc videtur quod valeant ad secundas nuptias convolare. » Cui decreto et praxim S. Congregationis suffragari memorat in omnibus casibus, in quibus deficit physica corporum exploratio, ne hoc remedium dispensationis viduis et iam corruptis denegetur. Sánchez *de Matr. lib. VII sup. 108 n. 6.* Quoad vero confessionem mulieris, cui maxime intererat consummationem admittere, perpendenda vult quae docet Cosci *de separ. tori coniug. lib. 1 cap. 15,* videlicet mulierem omnem fidem mereri, si postquam voti compos evasit sua propria confessione consummationem excludat, ut in themate accidisse monet. Quae quidem confessio per

se solam quodcumque tollit dubium eiusdem consummationis, ut in durioribus terminis dormitionis utriusque coniugis memorat respondisse Rotam *Decis. 101 n. 5 et p. 2 divers.* Potiori vero ratione, adurget Orator, S. Congregatio dispensationem concedere assolet quando iuratae utriusque coniugis confessioni accedat suffragium septimae manus, ceu in Melevitana *Dispensationis 8 febr. 1789.* Perez *De Matrim.* Tropper *De imped. part. 2 sess. 2* etc. Probationem insuper inconsummationis valde in themate augeri contendit, si inspiciantur circumstantiae quae antecesserunt, concomitatae et subsecutae fuerunt matrimonium. Id enim scatere ait ex Henricae amore erga amasi um quae ei virginitatis florem eripuit; ex invincibili mutua coniugum aversione, qua vicissim se vitabant nec non ex facio quod Vir, abhorrens uxorem, consummare matrimonium nequibat. His accedere quod mulier in separato cubiculo et clausis ianuis noctu in suo lectulo dormiebat, et si quandoque instigante matre per mediam circiter horam cum comite concubuit, tamen nec copulam tentasse, veluti ipsa cum suo praeiudicio in iurato examine confessa est. Quae postrema clarius demonstrari adnotat patronus in extraiudiciali Henricae epistola ad Emum S. C. C. Praefectum.

Et re quidem vera, subdit orator, mulier utero gravis plerumque contubernium hominis fugit et molestos elicit actus. Ad rem Freschi *Medicina legale p. 1 c. 6. quaest. 2.*

Verumtamen ad elidendam praesumptionem iuris ex pacifica cohabitatione, quae suspicionem consummationis matrimonii inducere posset, meminit patronus hoc generale iuris principium in praxi exceptionibus esse obnoxium, idque revincere satagit auctoritate Cosci *lib. 1 de separ. tori cap. 16 n. 27j,* ubi refert Rotam eadem tenuisse in durioribus terminis dormitionis utriusque coniugis in eodem lecto. - ibi - « Quia haec praesumptio tollitur per probationem contrariam, resultantem ex confessione Iulii facta coram Smo D. N. ad cuius interrogationem fassus est matrimonium non consummasse. Licet enim praesumptio sit violenta, et iuris et de

iure, tamen admittit probationem in contrarium ex confessione in praeiudicium ipsius confitentis. » Unde a fortiori hic argumentum deduci adnotat, cum in casu concordet non modo iurata mulieris confessio, sed etiam viri, qui statim a principio in ipsa novitate coniugii reclamavit, et nonnisi fugaciter cum uxore cohabitavit. « Aliunde condormitio et cohabitatio, prouti observat Ursaya *tom. II part. I discept. 3 n. 45* non facit quod matrimonium amittat qualitatem et denominationem rati , quando cum effectu consummatum non fuit, Conrad, *in praxi Dispensat, lib. 8 cap. 7 n. 32.* » Porro praesumptionem consummationis matrimonii in themate excludi protuetur orator propter antipathiam et mutuam con•trarietatem. Siquidem ait Cosci *loc. cit. 3 cap. 2 n. 236:* « multo magis attendenda esse videtur confessio de non consummatione eorum coniugum qui propter antipathiam a carnali inter se copula abstinuisse iuraverint. » Nec aliunde, subdit, ad physicam impotentiam est recurrendum cum ad impediendam consummationem quamplurimae morales causae, praesertim odium, et antipatia confluere valeant ceu psichologi et archiatri docent. *Dizion. classico di Medicina* v. *antipatia.* Itidem Tortosa *Medie, f or en. part. I cap. 1 n. 4:* Quod confirmat Mahon *Medie, legale Vol. I cap. 10,* et demum Doctor Antonius Nicotich proto-physicus Imperii Austriaci enarrans in suis relationibus, se quaedam in natura .adinvenisse exempla, quae Oestrum venereum relate ad unam, non vero relate ad alias feminas impediunt.

Hisce moralibus causis adiungit orator physicum argumentum ex facto praegnantiae, ab ipsa muliere in sui praeiudicium admisso, deductum. Namque ex unanimi doctorum et obstetricum experimentis comprobatum affirmat, os uteri in praegnantibus impermeabiliter claudi. Ita Barzellotti *Venere forense lib. I. cap. 181.* Hinc ex hac aliisque rationibus deducit in casu veram ac formalem copulam deficere, quae in matrimoniali foedere requiritur, ut coniuges efficiantur una caro, cum una caro haud efficiantur « nisi vir intra vas feminae seminet, prouti docet Sánchez *De Matrimoni.*

disp. 11 n. 11 iuxta sententiam S. Thomae. Picler *Ius Can„ lib. IV tit. 19 n. 2* etc. Quae omnia una simul perpensa, eam moralem gignere certitudinem contendit, quam S. C. C. prae oculis habet, saltem pariformiter ad physicas peritias, quae plerumque augent difficultatem in consummatione investiganda. Reapse commemorat in Gandaven. *17 Bec. 1845* concessam fuisse dispensationem a matrimonio, simpliciter rato, etsi de non secuta corporum commixtione moralis tantummodo certitudo concurreret, quia neutrius coniugis corpus exploratum fuerat. Pariter in Parisien. *28 Martii 1851 et 20 Iunii 1858* marchio de Grolée inexpertus iuvenis vix e collegio egressus, praestito iuramento, matrimonium cum quadam Caillard contractum, consummatum fuisse negavit. Licet autem sex menses una simul cohabitassent et mulier carnalem copulam intercessisse iuraret, quantumvis matrimonii vindex de negativa coarctata obiectione vehementissime urgeret, Archiepiscopus contradiceret et lex civilis obstaret, morale triumphavit argumentum pro dispensatione. Neque absimiliter in Csanadien. diei *31 Ianuarii 1863,* in Lycien. *30 Iunii 1877,* in Viennen. *23 Martii 1878,* et nuperrime in Wladislavien. *15 Iunii 1889,* in quibusque corporum inspectione, attenta plerumque unius tantum partis iurata inconsummationis confessione septimae manus testimonio suffulta, dispensatio concessa fuit. Tandem eodem certitudinis moralis criterio terminatam fuisse adnotat notissimam causam Tergestinam die *11 Becembris 1876.* Ibi, ait, per octo menses simul sponsi cohabitaverant; uxor penes civile tribunal se utero fuisse gravem; nihilominus iurata mariti depositio praevaluit. Unde concludit patronus, facilius in casu dispensationem concedi posse ubi geminata confessio utriusque coniugis existit.

Brevius in altero orationis capite causas dispensationis enumerans, praemittit, inquisitionem hanc nullum exposcere determinatum probationis genus, cum res tota a Supremi Principis et S. C. benignitate dependeat. Ac primo grave dubium allegat super matrimonii validitate, quod hic iuxta

superius relata enasci contendit, sive quia contractus dolo malo meditatus irritandus foret, sive quia metus reverentialis consensus libertatem probabiliter ademerit. Hoc porro dubium iustam et rationabilem causam dispensationis suppeditare scitum est ex Cosci *cit. op. lib. 1 num. 241 et seq.* Tres enim confìngi possunt hypotheses. Aut 1 validitas matrimonii ita vacillat, ut de exitu favorabili desperari non possit, et in hoc casu ad obtruncandam super hac invaliditate litem, optimum ac prudentiale temperamentum dispensatio reputatur, quae est congruae administratio iustitiae. Aut 2 adductae rationes suspectum reddunt valorem, adeoque nullitati proximum et temerarium non esset illius controvertere validitatem, et exinde quoque iustam subesse causam illud dissolvendi docet Navarrus *Cons. 3 De spons. lib. 4.* Aut 3 tandem nulla cadit supra matrimonii validitatem dubietas, et nihilominus ipsamet artificia, circumventiones, et reductiones, si fuerint adhibitae, eius sunt indolis et naturae ut Summum Pontificem ad dispensandum cogere videantur. Decius *d. cons. 112 sub n. 5, vers. dec. tom. 17.* « Et ista causa videtur etiam utilitatem publicam respicere ut malitiis hominum obvietur____Et in simili casu iustam causam dissolvendi matrimonium considerat Petrus de Anchar.. quando iuvenis facilitate sua ob calliditatem mulieris inductus fuit ad matrimonium contrahendum quod non erat conveniens. » Quare cum metus imminuat concordiam, sic rationabilem causam Summo Pontifici dispensandi a vinculo quod per dolum et machinationes fuit initum.

Ulterius patronus uti canonicam causam recognoscit summam antipathiam, nec non odium quod inter consanguineos, nobilesque familias propter hoc matrimonium existit. Siquidem, ait, adeo indignatus fuit comes ut magnam patrimonii sui iacturam facere paratus fuerit potius quam cum invisa muliere cohabitare. Quae indignatio et impossibilitas conciliationis perspicue eruitur ex iis quae Episcopo scripsit. Quam aversionem et discordiam, accedente partium consensu, causam sufficientem praebere auferendi hoc vinculum quod fuit

causa discordiae docent Sánchez *De Matrim, dispensatione 10,* Caietanus *tom. 1 Opuse, irad. 28* etc. retinuitque S. Congregatio. Ita in Ianuen. *20 Martii 1719* se gessisse meminit orator relate ad matrimonium Annae Pallavicini cum Iacobo Imperiali, ubi morali certitudine comprobata inconsummatione, causam iustam dispensationis recognovit « tum in odiis et inimicitiis nedum inter coniuges, sed etiam inter nobiles utriusque partis consanguineos exortis, quae prorumpere possent in perniciem publicae tranquillitatis. » Quibus concinit Ursaya *cit. op. tom. 3 p. 2 disc. 21* aliique passim.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. Altera sed vero ex parte matrimonialis vinculi defensor praemittit mutuo amore in themate nuptias fuisse conciliatas. Comes enim cum primum. Henricam vidit, eius amore captus est, ita ut et in iudiciali examine id deposuerit. Quod et testes Alexandra Mackiewicz et comitissa Barbara Los plene confirmant. Neque mulier, ait, comitis amorem, amore compensare desiit. Licet enim de prima vice qua illum allocutus fuit remissius sentiret ; tamen postea familiari consuetudine et transmissis munusculis, apparet, valde amorem fuisse excitatum. Neque per comitem stetisse, subdit sacramenti vindex, quominus nuptiae extemplo fierent. Namque comes ascito iuramento affirmat; ab initio Henrica mihi placuit et ego studui, ut cum ipsa cito matrimonium celebraretur: et hoc etiam presmiliensis Episcopus in suis uteris diei 12 Septembris 1889 testatus est. Ceterum mutuus amor quo die sponsalia inita fuere, perspicue, ex iis quae mulier enarrat, ostenditur. Siquidem cum simul neosponsi in viridarium profecti ad invicem suaviati essent, ille mihi dixit: sentio quod nos erimus felices; ab hoc puncto ego affecta fui vero amore erga illum.

Matrimonium vero celebratum est postquam uterque coniux dispensationem a duobus ex tribus bannis implorasset, quin aliquid minus iucundum, praesertim comes ostenderet..

Post nuptiarum solemnitatem, memorat vinculi sacramentalis adsertor, coniuges ad multam noctem profectos fuisse ad comitis villam Sredniam wies, ac exinde in plures civi-

tates ubi ultra bimestre conversati sunt, testibus ac arbitris remotis. Risum vero defensori movet comes asserens in separatis cubiculis unumquemque degere et noctu Henricam clavibus ianuam obserare; nam id centies denegat, ascita iuramenti fide, coniux, et Episcopus scribit: « In diversoriis habitabant et dormiebant coniuges in separatis quidem cubiculis, ast patebat per fores aditus ex uno ad alterum. > Haec autem vehementissimum praesumptionem consummationis matrimonii inducere videntur, praesertim eo quod ex processualibus actis satis superque constet, coniuges genio neque ineptos, neque insuetos fuisse.

Ulterius animadvertit defensor, coniuges, absoluto nuptiali itinere, luna mellis se adhuc perfrui indubie ostendisse. Parochus enim Szarlinski, qui nupturientibus suppetias tulerat, interrogatus num et quando munus aliquod ab eis recepisset, reposuit : nihil recepisse ante matrimonii celebrationem, sed post reditum ab exteris nationibus, munera distincta ab unoquoque ex sponsis, sed pretiosiora a comite accepisse. Unde arguit sacramenti vindex haud credendum esse, comitem et Henricam per tam diuturnum temporis intervallum mutuo quidem amore se fnisse prosecutos, iucunde ac lepide ad invicem conversatos, amplexibus et osculis induisisse, quin tamen thalamum conscendere ausi fuerint, sin minus absque lodice, quae inter concumbentes intercederet. Nec verisimilis magis ei apparet, coniuges quibus coeundi inerat cupido ab ea manifestanda abstinuisse, quia vir uxori, uxor autem viro id oneris incumbere existimabat. Eo vel magis quod instanti iudici : an taedio afficeretur ex eo quod consummare non posset matrimonium, respondit: maximo affectus sum dolore, ita ut aegrotarem. Et comitissa in iudiciali examine narravit: quod cubantes in eodem lecto osculum dedi et accepi; sed alia amoris indicia non dedit mihi: neque ego alia exhibui signa amoris per horam qua in lecto permansimus.

Quae fides autem habenda sit in his coniugum et testium depositionibus, dimetiendum in primis est, iuxta defensorem, ex eo quod comes professus sit quod in principio nemini hoc

dixerit, sed tantum quando meditavit divortium, tempore aedepol suspectissimo hoc dixisse gerenti Henrico Fuchs. Quod vero comitissam attinet, observat, antequam illa ad iudicium accederet, comes coram tabellione in forma iuris debita se obstrinxisse rependere 125 mille florenos suae uxori, postquam matrimonium renunciaretur solutum.

Comitissa praeterea iureiurando retulit: sese accepisse chartam, subsignandum; quae has continebat declarationes, concinnatas et manu propria scriptas a marito; quod nempe coacta fuerit ad matrimonium, a quo dissolvi cuperet. Harum declarationum exemplar feci et subsignavi, ait mulier. Quibus si ea addantur quae Presmiliensis Episcopus retulit, concludit defensor, in vado positum esse coniuges in matrimonium temere coniurare eiusque valori, interposita pecunia, nuncium mittere, quasi de re quae a lubitu eorumdem coniugum pendeat ageretur.

Comes Plater, pergit sacramenti vindex, falsa ductus opinione matrimonii dissolubilis quoties partes in id conveniant, uti testatur Presmiliae Antistes, et divitiis affluens comitissam Laczynska paupertate pressam, ad omnia paratam experitur.

Obiici quidem potest tractatus inter coniuges eo spectasse ut matrimonium coactum ostenderent, dum e contra praesens iudicium quoad inconsummationem agitur. Ast vinculi defensor haud exinde excludi monet quod et de inconsummatione asserenda pactum fuerit. Quinimo inter declarationes a comite uxori praescriptas, hanc sub num. 2 reperiri observat: causam aversionis ad invicem esse absentiam relationum coniugalium. Hic igitur ea syngrapha exhibenda fuisset quam Henrica transcripsit, ac Bursynski, corniti deferendam, tradidit, nec non illae epistolae quae sive ab Henrico Fuchs sive ab ipso comite in suo examine memorantur; quae omnia ad collusiones et fraudes praecavendas agnoscere omnino necessarium existimat. Dolet proinde neque eas, neque alias litteras comitis Komoroski actibus processualibus fuisse insertas, et relatam Fuchs epistolam....in adverso summario penitus deficere.

Perperam autem, subdit sacramenti vindex, patronum comitis Plater nonnulla documenta in summario additionali et inter informandum editurum spondere. Nam memorat vigentem legem apud S. O. C. § 19 praescribere: « Non saranno > attesi i documenti ed osservazioni esibite *inscia parte* dopo > le risposte: » et Constitutionem Benedicti XIV *Dei miseratione* § 7: « Quaecumque, eo (vinculi Defensore) non legitime citato aut intimato, in iudicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus ac pro nullis, cassis ac irritis haberi volumus, perinde ac si citata et intimata non esset ea pars, cuius citari intererat, et quam iuxta legum et canonum praescripta ad legitimam iudicii validitatem citari aut infirmari omnino necessarium erat. »

Ulterius recolit libellum esse cuiusvis iudicii basim et fundamentum, ita ut scribit Leurenius *for. ecclesiast. lib. 2, q. 197 et q. 208:* « clare et distincte exprimere debeat rem ab actore petitam^ actionem, et causam agendi, et secundum petitionem in libello formatam ferenda sit sententia. » Unde fit quod semel ac libellus iudicis iussu reo denuntiatus fuerit ac reus vadimonium obierit, et litis contestatio secuta sit; « actor amplius libellum mutare nequeat. » Porro ex epistola Archiepiscopi Leopoliensis ad S. C. data die 25 Octobris 1888, colligi monet libellum fuisse a comite S. O. oblatum ineunte anno 1888, et praeterea Henricam nonnisi die 15 Octobris eiusdem anni audiri potuisse. Sane haec ibi prostant: « Literis veneratissimis Eminentiae Vestrae de die 29 februarii anni currentis in mandatis accepi quatenus audita uxore Michaelis Comitis Plater Henrica de comitibus Laczynska comitissa Plater in causa petitionis mariti eius ad S. Sedem Apostolicam... referam etc. Ast mandatum hocce iisque ad hodiernam diem minime exequi potui, cum extra meam Dioecesim commorans *quinquies citata* ob varia ab ea prolata impedimenta, et inter haec infirmitatem... non prius quam 15 Octobris coram delegato meo comparuerit, qua die primum protocollari ter audita sequentia fassa est. » Hic vero animadvertendum vult defensor, comitem Plater die 5 Octo-

bris 1888, scilicet decem dies antequam comitissa ad examen coram archiepiscopali curia leopoliensi accederet, solemni instrumento cavisse Henricae antedictam summam centum viginti quinque millium florenorum et comitissam subscripsisse syngrapham, de qua supra dictum est. Iamvero post Archiepiscopi responsum primo illi libello, quem nunc una cum relativo S. C. C. Rescripto inter acta processus haud reperire potuisse dolet, alium libellum subrogatum fuisse recolit. Fatetur quidem comitis orator se primitivum libellum emendasse ex errore facti : at miratur sacramenti vindex, cum in praesenti causa agatur de inconsummatione matrimonii, comitem Plater in urbe Roma a patrono suo facta huiusmodi didicisse, quamvis in citata pluries epistola ad Emum Praefectum comitissa monuerit « Certains rapports entre deux » époux ne se passent que dans l'intimité la plus impéné- » trable. » Neque meliori omine affirmari contendit, libellum fuisse emendatum salva manente substantia. Vulgatum enim est non assertionibus, sed monumentis in iudiciis dimicari, et aliunde cum omnia quae in actis prostant post stipulationem 125, 000 florenorum et iudicialis confessionis formulam a viro uxori impositam edita sint, apprime necessarium defensori videtur, quid comes vel comitissa de matrimonii sive valore sive consummatione ante hoc tempus senserint, cognoscere.

Verumtamen et maiora hac in re esse perpendenda validitati, tutor observat. Siquidem recolit comitis patronum in novo libello matrimonium coactum proclamare non iam ob metum comitissae a matre illatum, sed e converso, quia comes dolo malo et violentia a parocho Szarliski adductus est ut matrimonium iniret. Misso autem quod comes Plater tunc 38 aetatis suae annum agens, vitae socialis expers et omni suorum tutela destitutus incongrue asseritur, et quod religioso viro cui comes post nuptiale iter grati animi ergo munus haud modici valoris largitus est, mysteriosae sollicitudines ab iis qui eius litteras coactionis causam non edunt inconsulto appinguntur, quaerit quaenam sit tandem aliquando

actoris intentio. Refert enim ex Leurenio *loc. cit. 2, qq. 197 et 203,* hanc claram et distinctam esse debere eo quod « si laboret aequivocatione, nimia generalitate, alteratione petitionis... si causa petendi in libello non exprimatur, reus conventus non tenetur respondere. > Hoc posito, observat, in nova libello postulari dispensationem a matrimonio rato et non consummato « non relicta inquisitione super nullitate matrimonii^ huiusque nullitatis causam coactionem ab inexperto comite passam innui, dum e contra in oratione patroni pro aris et focis metus comitissae a matre illatus defenditur, de quo tamen libellus, alte silebat. Quinimo animadvertit, controversiam universam, sub unico dispensationis dubio proponi, cum e contra scitissimum sit, iuxta S. C. praxim, causas in quibus nedum de consummatione, sed etiam de valore matrimonii controvertitur, sub his rogationis formulis disputari « 1 *An constet de matrimonii nullitate* » et quatenus negative « 2 *An consulendum sit Sanctissimo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato.* » Et recte: namque subdit, dispensatio est remedium extraordinarium quod invocatur, quoties praesto non sint ordinaria remedia, quodque validitatem matrimonii praesupponit, cum matrimonii dispensationi non sit locus si illud non consistat.

Postquam haec omnia relate ad praesidia adhibita et ad decertandi methodum in hac causa invectam adnotaverit validitatis defensor, haec pro suo munere quoad causae meritum observat. Ex hucusque relatis, extra omnem dubitationis aleam positum esse affirmat, Michaelem et Henricam genio* neque ineptos neque insuetos, a die 22 Iulii usque ad finem Decembris 1886, brevi excerpta comitissae absentia, continuo una simul conversatus esse atque pacifice cohabitasse. Cum in themate inconsummatio matrimonii per aspectum corporis mulieris demonstrari nequeat, fere impossibilis probatio censenda est. Ad rem De Luca *De matrim, disc. 9 num. 15:* « Difficultas magna apud me erat quod ageretur de vidua,, quae cum viro iam dormierat, ideoque non agnoscerem quomodo convinci posset negativa consummationis matrimonii:

licet enim id non sit omnino impossibilis iustificationis, attamen videtur nimium difficilis, adeo ut sit difficultas quae quodammodo fraternizet cum impossibilitate. > Porro hanc difficultatem neq^ a coniugum confessione, neque a septimae manus testimonio removeri tuetur.

Et quod primam attinet, licet ea haud levis momenti sit quando coniuges in votis habent matrimonium consistere, tamen, iuxta Sánchez *De matrim, lib. 2, disput. 45, n. 23:* « cum sit in confitentium favorem, nihil probat. » Iamvero, observat defensor, nedum comes, verum etiam comitissa in praesenti causa adversus matrimonium pugnat. Praeterea comitum Plater depositionibus fidem esse adiiciendam denegat, tum ob cautionem 125,000 florenorum, cum ob syngrapham, quam comitissa vi metuque adacta subscripsit. Persuasum enim habet haec esse a veritate alienissima et coniuges inter se convenisse verbis et scriptis de fabellis in iudicio dandis. Praeterea, pergit, quamvis in omnibus et per omnia Henrica corniti obtemperare studuerit, cognovit tamen se aliquem lapsum linguae in iudiciali examine passam esse. Re enim vera cum comitissa enarrasset se in eodem lectulo semel cum viro cubasse apud eundem, sub eodem operimento, matrimonii vindex instet: autumas ergo te cubasse cum tuo marito in eodem lecto et sub eodem operimento? Ad haec comitissa: memini bene et affirmo cum certitudine nos cubasse in eodem lectulo et sub eodem tegumento. Iamvero haec adeo corniti displicuisse adnotat defensor, ut mulier quae pluries ipsi scripserat se nil aliud velle quam eius sequi voluntatem in depositionibus coram Episcopo Presmiliensi subinde ad haec recurrere coacta fuerit: animadvertit aliquis, ait, me retulisse quod cubaverim sub eodem operimento, dum depositio mariti habet quod ego supra steterim operimentum sed in eodem lecto. Possibile est quod maritus meus benedixerit, quando asseruit me cubasse super operimentum, quin accusari possim de mendacio.

Iisdem ductus rationibus haud putat veritati obsecutam fuisse Henricam cum propriam turpitudinem prodere visa est,

asserens: se ante matrimonium corruptam fuisse,, et ad finem Ianuarii 1887 in lucem edidisse infantulum, cuius pater non erat comes Plater. Etenim cum nuptiae celebratae fuerint die 22 Iulii 1886, et puer, quem immature editum testes passim affirmant, natus sit, teste comitissa, sub Ianuarii fine anni 1887, intrare videtur notissimum axioma: « Pater, quem iustae nuptiae demonstrant. > Parochum insuper testatum fuisse memorat: quod ratio vitae puellae fuerit semper irreprehensibilis; et ideo si deflorata fuit, id accidisse credit post matrimonium; id ex eo confirmatur quod puer natus sit septimo post matrimonium mense. Nec praetereundum est quod retulit presmiliensis Antistes, scilicet comitem putasse hanc causam, nimirum, lapsum uxoris sufficientem esse ad solvendum matrimonium. » Quibus positis, nihil addendum censet defensor quoad opinionem a patrono editam, quod in statu graviditatis mulieris nusquam theologice comes sacramentum conficere potuisset.

Tandem septimae manus depositiones ad trutinam revocans, animadvertit, ex novem excussis testibus, ne unum quidem tempore non- suspecto quidquam de inconsummmatione matrimonii, aut de re adsimili audivisse sive a coniugibus sive ab aliis. Concludit itaque defensor, iuramentum testium qui nihil viderunt, nihil audierunt tempore non suspecto, haud melius quam coniugum confessionem matrimonii inconsummationi demonstrandae suffragari.

Hisce aliisque adductis, propositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C C. re disceptata, sub die 21 Maii 1892 respondere censuit: *Ex deductis non constare de inconsummatione.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Perdifficile esse probare inconsummationem in matrimoniis, quibus mulier iam non est am-

plius virgo, coniuges apti reputantur ad matrimonium implendum, et longa praecesserit cohabitatio.

II. Difficultatem hanc non minui per coniugum confessionem, neque per testimonium septimae manus; quae probationes pro nihilo habentur si sunt in commodum confitentium.

III. In themate deprehendi videtur coniuges colludere inter se contra vinculi stabilitatem, habent enim in votis ut matrimonium non consistat.

CASTELLANETEN.

FACULTATIS BINANDI

Die 9 Martii 1892

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. In oppido Palagiano Dioecesis Castellanetensis plus quam 5000 incolis frequenti, praeter parochum, duo extant presbyteri, quorum unus in paroeciali templo, alter in aedicula iurispatronatus laicalis s. Rocho dicata, diebus festis sacrum peragere solet. Cum vero senior sacerdos iam 70 aetatis suae annum supergressus fuerit et adversa plerumque detineatur valetudine, ita ut quandoque a divinis conficiendis abstinere debeat, ineunte mense Maio praeteriti anni, praefati oppidi parochus veniam a S. C C. iterandi missam èxpostulabat, quoties diebus dominicis aliisque festis diebus tertia missa deficeret. Accedentibus Episcopi litteris, in quibus enuntiabatur, paroecialem ecclesiam populi numero imparem evasisse, nec extraneum presbyterum praesto esse posse, vigore specialium facultatum, pro gratia, dummodo de vera ageretur necessitate, et eiusdem Episcopi conscientia onerata, rescriptum fuit.

Verum insequenti mense Novembri, Episcopus novas preces ablegabat parochi loci Palagiano, petentis eundem oratorem binare posse in Ecclesia paroeciali, in casu etiam quo

missa celebraretur-in Cappella **S.** Rochi. atque responsum accepit: *Pro ut exponitur non expedire.* Nihilominus cum eaedem preces, accedente etiam Praesulis commendatione, nuper geminatae fuissent, eae modo inter supplices libellos proponuntur.

Rationum momenta quibus votum innititur, sic a castellanetensi Antistite enumerantur: 1. In pago Palagiano. qui numerat 5000 habitantes, duos tantum adesse presbyteros cum parocho. 2. In praedicto pago duas adesse Ecclesias, videlicet ecclesiam paroecialem, nimis angustam pro populi augumento, et parvam cappellani s. Rochi, laicalis patronatus. 3. In praefata cappella s. Rochi, patronum, pro sua speciali devotione, curare ut cunctae anni functiones expleantur, haud exclusa s. Sepulchri in hebdomada maiori, proinde non acquiescere, ut proprius capellanus litet Missam diebus festis in ecclesia paroeciali; sed iubere ut omnino celebret in propria cappella. Ex qua fit ut tertia deficiat Missa in paroecia et quamplures fideles sacro non adsint.

Disceptatio Synoptica

GRATIA DENEGANDA VIDETUR. Iamvero contra parochi petitionem animadvertendum est, vulgatum esse in iure ex *Cap. Consuluisti,* et *ex Cap. Te Referente. De Celebr. Missar.* presbyteros una vice tantum posse eadem die missae sacrificium offerre, nisi aliter necessitatis causa suadeat. Quod si, hac accedente causa, quandoque venia bis celebrandi indulgen potest, id «nonnisi ex magna necessitate fieri debet et magna cautela », ceu monet Fagnanus *Cap. hi ordinando.* Cui prudenti disciplinae et S. C. C. constanter adhaessisse novimus ex Derthusen. *20 Augusti 1768,* Apten. *8 Maii 1734,* Nicien. *27 Novembris 1790,* et recentius ex. Arboreen. *23 Augusti 1872,* Avenionen. *22 Aprilis 1882,* et Ortonen. *29 Martii 1890,* in quibus cum asserta necessitas haud probatissima appareret, facultas missam iterandi denegata fuit.

Insuper notum est S. C. veniam binandi tunc concedere solere, cum causae adsint in Constitutione Benedicti XIV *Declarasti nobis* expressae, vel saltem illi aequipollentes. « Id vero intercedit, uti explicat Lucidi *De Visit. Sacr. Lim. part. 1 vol. 1 pag. 438 recent, edit.* cum unus parochus duabus paroeciis praeest, vel duos populos valde seiunctos, regit, vel parochiani eadem hora ad missam audiendam una simul convenire nequeunt, et alioquin alius sacerdos inveniri nequit. » In themate igitur cum tres iam missae diebus festis celebrentur, nec aliunde populi numerus immodicus videatur, concludendum esset potius de commoditate agi, quam de necessitate, atque idcirco rationes ad gratiam concedendam hic minime concurrere.

Quae clariora évadent si EE. VV. recolere dignabuntur casum propositum in una Venetiarum *die 28 Februarii* anni praeterlapsi, in quo oeconomo paroeciae insulae Burino facultatem binandi pro quarta missa petenti, licet exposuisset quod providenda esset Missa pro plusquam septem millenis personis et Emi. Patriarchae commendatio accederet, rescriptum fuit: *Attentis omnibus non expedire* (1).

GRATIA INDULGENDA VIDETUR. At vicissim praetereundum non est, sacri iterationem permitti posse non modo ex causa necessitatis, sed ad verba Glossae in *Cap. Consuluisti De Celebr. Miss,* ex « causa honestatis et utilitatis. » Utilitatis quidem non celebrantis intelligi debet, sed audientis missam, ut declarat Benedictus XIV. *cit. Constit.* Unde factum est, ut Ecclesia, quoties magna fidelium pars missae sacrificio des ti tueretur, rationum momenta adesse autumaverit ad facultatem binandi indulgendam. Ita ex. gr. S. C. de Propaganda Fide, anno 1832, Episcopo Nicopolitano in Bulgaria significabat : « Sedem Apostolicam dictam facultatem concedere in bonum spirituale fidelium, desiderio, ut omnes praeceptum ecclesiasticum adimplere possint. »

Cum itaque in themate incolae loci Palagiano absque .petito indulto non modo praeceptum audiendi sacrum facile

(1) Adest haec quaestio Vol. XXIII, 611.

adimplere nequeant, sed teste Episcopo, plures fideles missa privantur; causas hic ad gratiam minime deficere tenendum esset. Eo vel magis quod hac tempestate, qua pluribus in locis actus publici religionis adeo imminuti sunt, etiam S. C. C. aliquantulum hac in re iuris rigorem emolliendum censuerit, ut deduci posset ex Pacen. *16 Decembris 1876.* Lingonen. et Turonen. *24 Augusti 1878,* Mexicana *20 Decembris 1879,* Vallisoletana *7 Aprilis 1873,* De Tülancingo *10 Maii 1884;* Gratianopolitana *eiusdem diei et anni,* Salernitana *4 Maii 1889* etc. (1).

Denique observari posset allegatam Venetiarum elapsi non undequaque cum praesenti congruere, sive quia ibi quarta missa praesertim exposcebatur ut mulieres viris suis ac familiae cibum apto tempore parare possent, sive quia haud apparebat ambitum ecclesiae paroecialis insulae Burano populi frequentiae imparem evasisse.

Quibus praenotatis, quaesitum est quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita, sub die 5 Martii 1892 censuit respondere : *Pro gratia arbitrio et conscientiae Episcopi ad triennium, facto verbo cum SSïïio.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI EXCALCEATORUM.

Dubia quoad officii recitationem.

Rmus Pater Procurator generalis Ordinis Minorum S. Francisci Excalceatorum pro Hispania, Sacrae Rituum Congregationi sequentia Dubia pro opportuna solutione humillime subiecit nimirum :

Dubium I. An Parochi Regulares in Philippinis Insulis Divinum Officium recitare teneantur iuxta Calendarium sui Ordinis ?

(1) **Quaestio** *De Tulaneingo* **adest Vol. XVII, 157;** *Gratianopolitana* **eodem volumine pag. 139;** *Salernitana* **Vol. XXII. 154.**

Et quatenus Affirmative.

Dubium II. An Regulares recitare debeant Officium Sanctorum Titularium Ecclesiarum quibus praesunt uti Parochi, etiamsi ea Officia ab Religiosis illius Provinciae non persolvantur?

Dubium III. An eiusmodi Officia Titularium recitari debeant a Parochis Regularibus sub ritu Duplicis primae classis cum octava; vel sufficiat ut ipsi Missam solemnem de Titulari Paroeciae celebrent?

Dubium IV. Quum a Sede Apostolica inde ab anno 1670 Insularum Philippinarum Patrona declarata fuerit Sancta Rosa, Virgo Limana, quaeritur: an a Religiosis memorati Ordinis ibidem commorantibus Officium recitari debeat sub ritu Duplicis primae Classis, etsi in Calendario eiusdem Ordinis notetur festum ipsius Sanctae sub ritu duplici tantum minori?

Dubium V. Ab immemorabili tempore ab Alumnis Provinciae a S. Gregorio Magno nuncupatae Ordinis Minorum S. Francisci Excalceatorum festum S. Petri de Alcantara recolitur sub ritu Duplicis primae classis cum Octava, etsi in Calendario Ordinis assignetur ritus Duplex secundae classis absque octava. Quaeritur:"an Religiosi dictae Provinciae continuare possint in dictam consuetudinem ; vel debeant sese conformare Ordinis Calendario?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet :

Ad L et II. Affirmative, iuxta alias Decreta.

Ad III. Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.

Ad IV. Affirmative.

Ad V. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, saltem donec non constet de legitimitate privilegii. Atque ita rescripsit et declaravit die 13 Maii 1892.

8 CAL Card. ALOISI-MASELLA, S. R. C. PRAEF.

VINCENTIUS NUSSI, S. R. C. *Secretarius.*

RHEMEN. Dubium quoad Missam votivam SSmi. Cordis.

Ex Apostolico Indulto diei 28 Iunii 1889 in Archidioeceseos Rhemen. Ecclesiis, ubi feria sexta, quae prima occurrit in unoquoque mense, fiunt de mane pia exercitia in honorem Sacratissimi Cordis Iesu, Missa votiva de eodem Sacro Corde solet celebrari. Quum vero Sacra Rituum Congregatio die 20 Maii 1890 rescripserit eiusmodi Missam celebrandam esse ritu, quo Missae votivae solemniter cum *Gloria* et *Credo;* atque unica Oratione celebrantur; hinc Rmus Vicarius generalis, Emi et Rmi Dñi Cardinalis Benedicti Mariae Langénieux Archiepiscopi Rhemen, eidem Sacrae Congregationi sequens Dubium pro opportuna declaratione humillime subiecit, nimirum :

An haec verba *Missa votiva Sacratissimi Cordis Iesu, ritu Missae votivae solemnis celebranda* intelligi queant etiam de Missa lecta, seu sine cantu?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, proposito Dubio rescribendum censuit : *Affirmative.* Atque ita rescripsit et declaravit -die 20 Maii 1892.

* CAL Card. ALOISI-MASELLA, *Praefectus.*

VINCENTIUS NUSSI *Secretarius.*

CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS.
Dubium quoad Missam et Officium s. Ioannis Damasceni.

Rmus P. Nicolaus Mauron Congregationis Sanctissimi redemptoris Superior generalis et Rector Maior, Sacrae R. Congregationi sequens Dubium pro opportuna resolutione humillime subiecit, nimirum:

Sacra eadem Congregatio per Decretum datum sub die 30 Augusti anno 1883, Orationem et Lectiones historicas recitandas in festo S. Ioannis Damasceni Confessoris in usum Alumnorum Congregationis SSmi Redemptoris approbavit, atque in Proprio Religiosae Congregationis assignata fuit ab Apostolica Sede dies 13 Maii.

Quum vero per Decretum generale eiusdem Sacrae Congregationis diei 19 Augusti 1890, idem festum ad Ecclesiam universalem extensum fuerit, addito S. Ioanni Damasceno titulo Doctoris, variisque immutationibus cum in Officio, tum in Missa inductis, et assignato festo diei 27 Martii; quaeritur: « An Alumni dictae Congregationis sequi teneantur posterius Decretum generale tum quoad Missam et Officium S. Ioannis Damasceni, tum etiam quoad diem pro Ecclesia universali memorato festo assignatam ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, re mature perpensa, ita proposito Dubio rescribendum censuit, videlicet:

Ad primam partem Affirmative; ad secundam partem Negative in casu. Atque ita rescripsit, et declaravit die 20 Maii 1892.

C. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus*

L. * S.

VINCENTIUS NUSSI S. R. C. *Secretarius.*

VICENTINA Indulgetur servari posse consuetudinem quoad processiones....

Rev. hodiernus Prior Ecclesiae et Coenobii Beatae Mariae-Virginis ad montem Bericum Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis apud urbem Vicentiae, de consensu Rmi Dñi Episcopi Vicentini, sequentia Dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna resolutione humillime subiecit, nimirum: quum ex publico civitatis Vicentiae et antiquissimo voto duae Processiones fiant ad praefatam Ecclesiam, quibus Rmus Episcopus una cum Capitulo Ecclesiae Cathedralis, et Parochis stola decoratis, ceteroque Clero et Confraternitatibus interesse solet; mos est ut ad Ecclesiae ianuam Religiosa Familia Processiones-excipiat, ac Prior superpelliceo stolaque indutus accedentibus porrigat aquam benedictam. Episcopo tamen ad limen templi pervento, Prior, stola deposita, ac praevio manus osculo, aspergillum tradit, ut Antistes populo benedicat.

Quaer. 1. An liceat Superiori Regulari Ecclesiae in Monte-Berico excipere ad ostium Processiones, indutus superpelliceo et stola?

2. An liceat Parochis, qui dictis Processionibus intersunt, Ee-

clesiam Beatae Mariae Virginis ad Montem Bericum ingredi cum stola ?

3. Et quatenus Negative ad 1. et 2, supplicibus et communibus votis expetitur, ut exposita consuetudo servari possit.

Sacra porro eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis Dubiis censuit rescribendum, videlicet : *Expositam eonsuetudinem servan posse.* Atque ita rescripsit die 20 Maii 1892.

CAL CARD. ALOISI MASELLA, S. R. C. *Praef.*

L. * S.

VINC Nussi, S. R. C. *Secretarius.*

EX SECRETARIA BREVIUM

BREVE quo conceditur Indulgentia toties quoties Ordini carmelitano pro die festi B. V. M. de Monte Carmelo.

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quo magis fidelium erga Bmam Virginem Karmelitidem devotio augescat et pietas, unde eorum animis uberrimi et salutiferi fructus derivare possunt, piae postulationi Dilecti Filii Aloisii Mariae Galli, summi Moderatoris Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo veteris Observantiae benigne inclinati, peculiari privilegio Carmelitanas Ecclesias locupletare statuimus. Quapropter de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli App. Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, qui quamlibet ex Ecclesiis vel quodlibet ex publicis Oratoriis sive Fratrum sive Monialium universi Ordinis Karmelitidis, tum Calceatorum, tum Excalceatorum ubique locorum existentibus die decimasexta mensis Iulii cuiusque anni, qua festivitas Deiparae Virginis de Monte Carmelo celebratur, a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum

extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quoties id egerint,, toties Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die xvi Maii anno MDGGGXGII. Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

L. S.

S. CARD. VANNUTELLI.

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

SODALITATES sub titulo B. V. Mariae in coelum assumptae ad iuvandas animas igne Purgatorii detentas, ubique locorum erectae, nequeunt gaudere indulgentiis et privilegiis, quibus gaudet Archisodalitas eiusdem nominis in urbe erecta, nisi! fuerint eidem Archisodalitati aggregatae.

Beatissime Pater,

Hermes Martinelli Congregationis SSmi Redemptoris Procurator Generalis ad pedes S. V. provolutus demisse exponit olim in Ecclesia S. M. vulgo in Monterone nuncupata, in hac alma Urbe existente, erectam fuisse Archisodalitatem sub titulo B. M. Virg. in Coelum Assumptae, ad iuvandas animas purgatorii igne detentas, eiusdemque Sodalitatis ceu moderatorem constitutum fuisse Procuratorem generalem pro tempore existentem Congregationis SSmi Redemptoris.

Non raro autem accidit ut eiusdem nominis et tituli Sodalitates erigantur a Rmis locorum Ordinariis, vi facultatis illis collatae, ex speciali indulto, erigendi sodalitates cum Indulgentiis, quibus in Urbe fruuntur respectivae Archisodalitates; absque ulla exhibita petitione aggregationis Archisodalitatis supremo Moderatori.

Id vero, uti experientia comprobata, in eiusdem Sodalitatis bonum minime vergit. In his siquidem Sodalitatibus, quae nullo inter se vinculo coniunguntur cum Sodalitate primaria quae ab Apostolica Sede uti centrum aliarum fuit constituta, paulatim ea deficit unitas directionis piorumque usuum conformitas, quae maxime confert ad incrementum pietatis erga animas Christifidelium igne Purgatorii detentas, nec non maioris boni ipsorum sodalium.

Quare praedictus Orator humiliter et enixe exorat S. V. ut benigne decernat Sodalitates sub titulo B. M. V. in coelum assumptae ad iuvandas animas purgatorii igne excruciatas, etsi ab Ordinariis locorum canonice sint erectae, nihilominus Indulgentias et privilegia Archisodalitati a Romanis Pontificibus concessa, non posse consequi in posterum, nisi a Congregationis SSmi Redemptoris Procuratore generali, prius obtentis Ordinarii loci consensu eiusque litteris testimonialibus, praedictae Archisodalitati fuerint aggregatae.

Et Deus etc.

SSmus D. N. Leo Pp. XIII in Audientia habita die 18 Iunii 1892 ab infrascripto Secretario S. C. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces, ceteris servatis de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C die 18 Iunii 1892.

A. CARD. SERAFINI

L. * S.

ALEX. ARCHIEP. NICOPOLIT. *Secretarius.*

PARISIEN. An indulgentia adnexa orationi «En ego o bone Iesu » etc. a sacerdotibus binas missas in die celebrantibus, bis acquiri valeat.

Sacerdos A. Boudinhon, Instituti Catholici Parisiensis Professor, ab hac S. Indulgentiarum Congregatione suppliciter quaerit huius dubii solutionem :

An Sacerdotes qui binas Missas eodem die celebrare debent, bis quoque plenariam Indulgentiam lucrari valeant, quae adnexa est orationi « En ego, o bone et dulcissime Iesu etc. », eam post utramque Missam recitando.

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 20 Iunii 1892 relato dubio respondit:

Detur Decretum Urbis et Orbis d. d. 7 Martii 1678 (1).

Datum Romae ex Secreteria eiusdem S. C. die et anno uti supra.

A. CARD. SERAFINI, *Praefectus*

L. & S.

ARCHIEP. NICOPOLITAN. *Secretarius.*

EX 3. CONGR. R. U. INQUISITIONIS

DUBIA quoad absolutionem casuum et censurarum etiam speciali modo Papae reservatae m quando poenitens versatur in impossibilitate adeundi personaliter s. Sedem.

Beatissime Pater,

S. Congregatio Inquisitionis, sub die 30 Iunii 1886, ad quaesitum (2) « I. Utrum tuto adhuc teneri possit sententia docens, ad Episcopum, aut ad quemlibet sacerdotem approbatum devolvi absolutionem casuum et censurarum, etiam speciali modo Papae reservatorum, quando poenitens versatur in impossibilitate personaliter adeundi S. Sedem?

« II. Quatenus negative, utrum recurrendum sit, saltem per litteras, ad Eminentissimum Card. Maiorem Poenitentiarium pro

(1) In hoc decreto quod prostat in Coli. aut. Ratisbonensi n. 18, sub finem haec leguntur.....« *semel autem dumtaxat in die* » plenariam indulgentiam in certos dies ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus *lucrifieri.*

(2) Episcopus Brixien, petiit hanc resolutionem, quae relata fuit Vol, XIX, 47.

omnibus casibus Papae reservatis, nisi Episcopus habeat speciale indultum, praeterquam in articulo mortis, ad obtinendam absolvendi facultatem? »

Responsum dedit a Papa approbatum et confirmatum :

«Ad I. *Attenta praxi S. Poenitentiariae, praesertim ab edita Constitutione Apostolica san. mem. Pii PP. IX, quae incipit:* APOSTOLICAE SEDIS^, *Negative.*

« Ad II. *Affirmative: at in casibus urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae, supra quo Confessariorum conscientia oneratur, dari posse absolutionem iniunctis de iure iniungendis, a censuris etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem.* »

Quum vero inter Doctores de hisce responsis dubia fuerint exorta, S. Congregationi Inquisitionis sequentia ad resolvendum proponuntur :

I. Utrum responsum ad 1. valeat etiam pro casu quando poenitens fuerit *perpetuo* impeditus personaliter Romam proficisci?

II. Utrum in responso ad 2. clausula: *sub poena, tamen reincidentiae in easdem censuras, etc.,* referatur solummodo ad absolutionem a censuris et casibus *speciali modo* R. P. reservatis, an etiam ad absolutionem a censuris et casibus simpliciter Papae reservatis?

Quaeritur denique:

III. Utrum auctores moderni post Constitutionem *Apostolicae Sedis* (contra ius commune, Cap. *Eos qui, 22, De sentent, excommun, in 6, v.* 11; Cap. *Ea noscitur,* 13, *De sententia excomm.* v, 39; et contra Rituale Romanum, *De Poenitente* Titul. III, cap. I. n. 23), recte doceant, ei qui in articulo mortis a quolibet confessario a quibusvis censuris quomodocumque reservatis absolutus fuerit, tunc solummodo imponendam esse obligationem se sistendi Superiori recuperata valetudine, si agatur de absolutione a censuris *speciali modo* Papae reservatis, an huiusmodi recursus ad Superiorem etiam necessarius sit in absolutione a censuris simpliciter Summo Pontifici reservatis?

Feria IV, die 17 Iunii 1891

In Congregatione generali S. Rom, et Univ. Inquisitionis propositis dubiis, praehabitoque Reverendissimorum DD. Consultorum voto, Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Cardinales in rebus fidei et morum generales Inquisitores respondendum mandarunt :

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam partem.*

Ad III. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam partem; iuxta resolutionem fer. IV, 28 Iunii 1882.*

Sequenti vero feria v, facta de his Sanctissimo D. N. Leoni PP. XIII relatione in audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, eadem Sanctitas Sua Eminentissimorum Patrum resolutionem approbare dignata est.

I. MANCINI, *S. Rom. et Univ. Inquis. Notarius.*

Beatissime Pater,

X..., ad S. V. pedes provolutus, perhumiliter exponit prout, sequitur:

Litteris *Apostolicae Sedis* declaratum fuit non adesse reservationem, si agatur de mortis articulo, sed additum fuit : *in quo tamen firma sit quoad absolutos, obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint,*nulla facta mentione de poena reincidentiae, si isti obligationi non satisfiat, nec ulla data explicatione circa sensum vocum *standi mandatis Ecclesiae.* Ex decreto quoque S. Officii (30 Iunii 1886) *in casibus urgentioribus dari potest absolutio a censuris etiam spedali modo reservatis S. Pontifici,* sub quibusdam tamen conditionibus; sed in praelaudato decreto non dictum fuit an ista absolutio sit directa vel indirecta. Inde plures exortae sunt difficultates. Hinc orator quaerit:

I. An obligatio standi mandatis Ecclesiae, a Bulla *Apostolicae Sedis* imposita, sit sub poena reincidentiae vel non ?

IL An obligatio standi mandatis Ecclesiae, in sensu Bullae

Apostolicae Sedis, idem sonat ac obligatio se sistendi coram S. Pontifice, vel an ab illa debeat distingui?

III. An absolutio data in casibus urgentioribus, a censuris etiam speciali modo S. Pontifici reservatis, in sensu decreti S. Officii (30 Iunii 1886) sit directa, vel tantum indirecta?

Feria IV, 19 Augusti 1891.

In Congregatione generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis, audita relatione suprascripti supplicis libelli, praehabitoque Rmorum. DD. Consultorum voto, Emi Dñi Cardinales in rebus fidei et morum Generales Inquisitores respondendum mandarunt :

Ad I. *Affirmative ad primam; negative ad secundam partem.*

Ad II. *Obligationem* STANDI MANDATIS ECCLESIAE *importare onus sive per se, sive per confessarium, recurrendi ad S. Pontificem, eiusque mandatis obediendi, vel novam absolutionem petendi ab habente facultatem absolvendi a censuris S. Pontifici speciali modo reservatis.*

Ad III. *Affirmative ad primam ; negative ad secundam partem.*

Sequenti vero feria V, Smus D. N. Leo, divina Providentia PP. XIII, in audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem benigne approbare dignatus est.

J. MANCINI *S. R. et U. I. NoL*

DUBIA circa probationem obitus prioris coniugis.

Beatissime Pater,

Humiliter expetitur interpretatio authentica Instructionis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide anno 1883 *De Iudiciis ecclesiasticis Art. IV, De impedimento ligaminis,* § 43, quoad verba : « Quod si de matrimonio *contrahendo* agatur, hoc permitti nunquam poterit, donec de morte prioris coniugis *certo* constiterit. »

Status quaestionis. — Coram tribunali ecclesiastico Curiae N. duae causae agebantur ad hunc effectum, ut vir, qui ante 30-38

annos evanuit, nec de eo habetur notitia ulla, pro mortuo declaretur, et ut parti derelictae fas sit secundas nuptias inire. Iudex primae instantiae, processu in forma confecto, nec unum quidem testem *certum* de morte coniugis adduxit; nihilominus obitum ex coniecturis, indiciis, edictalibus, diuturna absentia tot annorum, certo probatum iuridice praesumpsit, et parti accusanti libertatem dedit ad matrimonium secundum, coram Ecclesia contrahendum, quod iam civiliter initum erat et proles suscepta.

Iudex in appellatorio simpliciter sententiam reiecit, deducens hic esse casum de matrimonio *contrahendo*, ideoque nunquam permittitur convolatio ad secundas nuptias, nisi certo, i. e. per documenta, testes, de morte prioris coniugis constiterit, praesumptiones vero, indicia, et aliae circumstantiae, quae respiciunt mortem prioris coniugis, perpendendae sunt tantum in casu matrimonii *contracti*, quando de valore secundarum nuptiarum agitur (Cfr. Instructio *de Iudiciis ecclesiasticis circa causas matrimoniales* edita a S. Congreg, de Propaganda Fide, an. 1883, § 43, *ad ñnem)* (1).

Proinde oritur fundamentale dubium, quomodo componi possit sensus litteralis verborum Instructionis de Prop. Fide cum novissima Instructione S. R. U. Inquisitionis, *De status libertate ante nuptias probanda* de die 29 Augusti 1890, ubi dicitur (2): In matrimonio contrahendo, « si testes responderat, nupturientes habuisse uxorem vel maritum, sed esse mortuos,. . . . .non detur licentia, nisi prius recepto testimonio authentico a rectore hospitalis, in quo praedicti decesserunt, vel a rectore ecclesiae aut coemeterii, in quo humata fuerunt eorum cadavera. Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, non excluduntur aliae probationes, quae de iure communi possunt admitti, dummodo sint legitimae et sufficientes.... Iudex servatis servandis...., poterit iudicare an sit concedenda licentia nec ne. »

Insuper admittit Instructio S. Congreg. Inquisitionis data Archiepiscopo N. de die VI Februarii anno 1863, declarationem mortis coniugis, quando nullus testis haberi queat et per consequens in casu matrimonii *contrahendi* Iudex ex coniecturis in facto occurente adducto non solum potest, sed etiam debet moderare arbitrium suum.

(1) Instructio haec relata fuit Vol. XVIII, 369.
(2) Habes hanc instructionem Vol. XXIII, 189.

« Verum, ait Instructio praedicta, quandoque contingit, ut nullus testis haberi queat. Tunc coniecturae, praesumptiones, indicia colligenda. Haec potissimum ex ipsis coniugibus desumenda. Inquirendum an mutua voluntate copulati, mutuoque affectu se prosecuti fuerint, bonis moribus imbuti religiose vixerint, filios, bona stabilia habeant, qui discessit, an infirmae vel optimae valetudinis, an bella, seditiones, pestilentiae extiterint. »

Praefectus Cardinalis S. C. Inquisitionis in litteris ad Archiepiscopum N. die VI Februarii 1863, scribit:

« Argumenta etiam desumi possunt ex actis a Tribunali civili confectis et deinde super illis, instituto examine, ubi nihil contrarium reperiatur, ab Ecclesiastica potestate, ferri *debet* sententia, qua declaratur satis constare de obitu personae de cuius existentia inquiritur. »

Hic innuitur quasi officium nobile Iudicis sententiam ferendi ad praecavenda maiora incommoda, quia nimirum ampla tunc querimoniis via aperiatur si Iudex coniugi postulanti sententiam declarantem obitum prioris coniugis a limine reiecerit; Tribunal ecclesiasticum accusaretur quasi obex ad civilia iura et moralia protuenda, quasi sollicitans civilia contubernia, reddens conditionem bonorum catholicorum peiorem quam malorum. Malus enim, spreta ecclesiastica potestate, forsan per fas et nefas promptus erit ad matrimonium morte prioris coniugis rite ab Ecclesia nondum declarata, contrahendum. Bonus postulat remedium iuris, sententiam declaratoriam ab Ecclesia, ut quietus in conscientia tandem post 30 aut plus annos ad alias nuptias possit convolare.

Debetne in tali casu omnino respui? an alio modo verba Instructionis an. 1883 sint interpretanda?

Hinc quaeritur:

I. An si agatur de matrimonio *contrahendo*, nunquam ferri debet sententia, qua declaratur satis constare de obitu personae, de cuius existentia inquiritur, ex famae adminiculis, praesumptionibus, citationibus per ephemerides dioecesanas, etc.?

II. An verba: « donec de morte prioris coniugis *certo* constet », ita intelligenda sint, ut certitudinem adstruat tantum documentum, certus nuntius, testis, exclusis praesumptionibus et aliis de iure adminiculis, iuxta arbitrium iudicis sufficientibus?

III. Si ad primum affirmative, quaeritur insuper, utrum ne-

cessano duae sententiae consentaneae mortem coniugis declarantes a duobus tribunalibus sint extrahendae, an sufficiat una sententia, quasi supplens documentum de statu libero partis?

Feria IV, die 6 Maii 1891.

In Congregatione generali S. Rom. et Un. Inquis. proposita suprascripta instantia, praehabitoque Reverendissimorum DD. Consultorum voto, Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Cardinales in rebus fidei et morum generales Inquisitores respondendum mandarunt:

Ad I et II : *De morte prioris coniugis certo constare posse etiam ex praesumptionibus, indiciis et adminiculis aliisque probationibus, quae de iure communi admittuntur, dummodo legitimae sint ac sufficientes, iuxta ea quae habentur n. 6 Instructionis Supremae huius Congregationis s. Officii: Ad probandum obitum coniugis.*

Ad III : *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, nisi forte aliquis ex interesse habentibus appellationem interposuerit.*

Sequenti vero feria VI die 8 dicti, SSmus D. N. Leo XIII, in audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, relatam sibi Eminentissimorum Patrum Cardinalium resolutionem benigne approbare dignatus est.

I. MANCINI, *S. R. et U. L Not.*

SUMMA ACTORUM

QUAE IN HOC VOLUMINE XXIII. CONTINENTUR

LITTERAE ET ACTA ROM. PONTIFICIS

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

EX S. CONGREG. EP. ET REG.

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

EX S. CONGR. INQUISITIONIS

S. CONGR. IMMUNITATIS

EX S. CONG. INDICIS

EX S. C. DE PROPAGANDA FIDE

EX S. CONGR. CAEREMONIALI

EX SECRETARIA STATUS

SACRA CONGR. SUPER STATU REGULARIUM

INDEX GENERALIS

CONCLUSIONUM QUAE IN PLERISQUE ACTIS IN HOC VOLUMINE CONTENTIS ADNOTATAE SUNT, QUARUM MATERIA IN SINGULIS ACTIS, AMPLE EXPOSITA, VEL DECLARATA REPERITUR.

Eae autem conclusiones sub sequentibus verbis comprehenduntur:

Aedificatio

Si quis in alieno solo sua materia aedificavit, illius est aedificium, cuius et solum est: et si scit alienum solum esse, sua voluntate amisisse proprietatem materiae censendum est. pag. 558.

Dominus soli, si petat aedificium nec solvat pretium materiae et mercedes fabrorum potest per exceptionem doli mali repelli, si nescit, qui aedificavit, alienum esse solum, et tamquam in suo bona fide aedificavit, *ibid.*

Nam si scit, culpa ei obiici potest , quod temere aedificavit in eo solo, quod intelligeret alienum, *ibid.*

Summus Pontifex iura tertio acquisita, neque vult, neque potest laedere absque peccato, nisi causa subsit legitima, quae iuxta Card. De Luca sententiam *disc. 2,* ***n.****6 et 7 de Regul.* **publicae utilitatis esse debet.** *ibid.*

Appellatio

Appellatio a iudice inferiori ad superiorem admittitur, quoties appellans iniuste praegravatum se sentiat. 58.

Appellationis remedium ad defensionem innocentiae eiusque praesidium institutum est; ideoque in iure naturae fundamentum habet. *ibid.*

Quocirca hoc remedium contra sententiam quoque concedendum est, cui quis se obtemperaturum iureiurando promiserit, quoties per huiusmodi sententiam iniuste opprimetur, *ibid.*

Ex Congregationis Oblatorum Mariae Immaculatae Regulis arbitrio et conscientiae Superioris Generalis eiusque assistentium remissum est iudicare de iustitia et congruitate causarum, ob quas religiosus a Congregatione dimitti valet. *ibid.*

Et huiusmodi causis iustis ac ra-

una sit procuratio etiamsi plura loca eadem die visitata fuerint. 367.

Ex iure constat posse Episcopos exigere synodaticum seu cathedraticum: idest tributum in honorem cathedrae episcopalis praestandum; item ius exigendi procurationem, quartam funeralium, quartam decimationum.... *ibid.*

EXEMPTIO

Congregationem S. Ioannis de Deo ex Brevi Pauli V. *Romanus Pontifex* ab omnimoda Ordinariorum locorum iurisdictione exemptos esse liquet : ita ut Episcopi etiamsi Cardinalatus honore praefulgeat, in his, quae observantiam et disciplinam concernunt, se immiscere aut intromittere haud valeant. 621.

Huiusmodi privilegia et exemptiones ab Urbano VIII, Brevi - Cum sicut - confirmata fuerunt, quoad dictae Congregationis Conventus et Hospitalia, in quibus duodecim Religiosi vitam agunt. *ibid.*

Quo vero ad illos Conventus seu Hospitalia, in quibus erit minor Religiosorum numerus, Episcopi, una cum eiusdem Congregationis Superiore, ad revisionem computorum administrationis procedere possunt; ita tamen, ut contra personas in nihilo prorsus se immisceant, *ibid.*

Imo Hospitale Civitatis Yetulae, in vim Brevis Urbani VIII-Ad futuram rei memoriam - ab Ordinarii iurisdictione exemptum est, licet in ipso duodecim dictae Congregationis fratres de familia non assignentur, nec illic actu habitent. *ivid.*

Ideoque videtur Hospitale Granatense , illiusque Ecclesiam et Altaria, per breve S. Pii V - Salvaturis Nostri - a qualibet Ecclesiarum parochialium Rectoris iurisdictione perpetuo exempta esse ratione perceptionis eleemosynarum, oblationum,iurium et obventionum etiam funeralium, quae ipsi Hospitali proveniunt, *ibid.*

Mox citata privilegia atque exemptiones Hospitali et Ecclesiae Granatensi a S. Pio V. concessa, tum a Gregorio XIII, tum a Sixto V, tum denique a Gregorio XIV universis Ordinis Hospitalibus et Ecclesiis, tam intra, quam extra Italiam existentibus deinceps extensa fuisse tenendum est. *ibid.*

Ista hospitalia a Parochorum iurisdictione ideo exempta sunt, quia (de Luca *disc. XXIII p. de Parodi.)* ille qui ex eodem Ordine vel alias deputatus ad administrandum sacramenta infirmis , habetur loco parochi, ipsumque Hospitale intra suum ambitum dicitur habere territorium separatum , atque quoad ibi viventes constituere quamdam speciem Parochiae diversae ac stantis per se. 622.

Iura parochialia

Parochi in sua paroecia, ceu Episcopi in propria Dioecesi, iure et suapte natura, gaudent potestà-

ie et praecedentia pro omnibus aliis. 318.

Et ideo sicut nullus Episcopus, cuiusvis privilegii praetextu, potest exercere pontificalia in aliena Dioecesi, absque expressa Ordinarii loci licentia, sic nullus sacerdos absque licentia parochi agere îiequit solemnes et publicas functiones, *ibid.*

Non esse ambigendum videtur quod recenseri debeant inter functiones publicas et solemnes, benedictiones illas quae explentur ritibus et precibus statutis, cum cantu ipsarum precum a Sacerdote sacris vestibus induto, ac magna adstante fidelium multitudine, *ib:*

Benedictiones solemnes navium, reservantur parochis, ceu reservantur eisdem, processiones agendae intra limites paroeciarum suarum; quae nullimode fieri queunt absque eorumdem consensu, *ibid.*

Matricitas quoad decimas

Liquet, matricem, relate ad filiam vel filias, dici illam paroecialem Ecclesiam, ex cuius territorio dismembratio altera vel plures constituuntur paroeciae. 364.

Liquet, matricitatem haud importare filiae vel filiarum dependentiam; quinimo omnino excludere; quia omnes Ecclesiae noviter erectae cum plena authonomia et iurisdictione, in iure paroeciali sunt coaequales; ita ut improprie loquatur qui adhibet nomen matricis vel filiae, quando Ecclesiae ab una sint dependentes cum omnimoda subordinatione, *ibid.*

Hinc facili modo deprehenditur matricitatem non esse purum nomen, sed ex facto nasci dismembrationis alicuius Ecclesiae ; per quod altera vel plures constituuntur paroeciae ex parte territorii et populi ipsius, *ibid.*

Legi tamen canonicae cohaeret reservatio decimarum favore matricis super partem vel totum territorium novae paroeciae, omnino independentis a prima quoad ius paroeciale, *ibid.*

Etenim stare potest ut ecclesia filialis sit vera paroecia, atque in universum habeat ius parochiale, et tamen matrix ius decimandi retineat in toto territorio vel in parte paroeciae, noviter erectae, *ibid.*

Causae et quaestiones super decimis, transactionibus legitimis finitae, resuscitali non possunt ; et si compositio inter partes facta fuerit de consensu Ordinarii litigantium, rata et inconcussa persistit; et aequivalet liti finitae et rei iudicatae ex unanimi consensu doctorum, *ibid.*

Matrimonium

Quae ad formam, substantiam et solemnia matrimonia respiciunt, regi debent per Ecclesiae Romanae leges. 39.

Et consequenter, quidquid disponant, quoad sacramentum matrimonii, leges civiles, habendum est ceu iurisdictionis usurpatio. *ibid.*

Missa pro populo

Pensio

IMPRIMATUR

Fr. Raphael Pierotti Ord. Praed. S. P. A. Magister

IMPRIMATUR

Iulias Lenti Patriar. Constantinop. Vicesgerens.